


500

1118







VITÆ  
SIMONIS

SCRIPTA


A


è Belgico in Latinum sermonem versa , &  
ab Auctore aliquot in locis aucta.



Apud GEORGIUM GALLET,

---





B E N E V O L O

L E C T O R I

PHILIPPUS A LIMBORCH

S. P.

BENEVOLE LECTOR,

**C**UM ante septennium  
Conciones Episcopii,  
separatis antehac volumini-  
bus editas, in unum cor-  
pus collectas, & nonnul-  
larum numquam antea  
editarum additione locu-

★ 2

ple-

pletatas, ederem; ut amicis, qui se rerum ab Episcopo gestarum Historiam paullò ampliozem desiderare aliquoties indicaverant, gratificarer, hanc, quam hîc vides, vitæ Episcopii Historiam linguâ Belgicâ scripsi. Omnia quæ hîc de Episcopo à me narrantur, aut ipsis Episcopii, aut avi mei Remberti Episcopii scriptis, propriâ ipsorum manu exaratis, quæque à me asservantur, aut instrumentis publicis, & antehac editis, adstruere possum, paucissimis solummodò iisque minoris momenti exceptis, quæ ex ore parentum meorum Episcopo proximè agnatorum, habui.

habui. Consultò quædam momenti majoris præterii, quæ à parentibus sæpiùs narrata quidem audivi, & de quorum veritate licèt nullus dubitem, attamen quoniam nusquam ea annotata repperi, omittere consultiùs duxi. Quia enim delicato vivimus sæculo, in quo iniqua aliorum judicicia plerumque exspectanda sunt, nihil hîc extare volui, nisi quòd indubitatis documentis adstruere possum.

In Exterorum gratiani hanc, quam nunc publici juris facimus, versionem amicus adornavit. Verùm quoniam Episcopii gestis arctè me alligaveram, & varia cum

illis connexionem habentia, utpote sæpiùs linguâ nostrâ edita, ac proinde popularibus nostris satis nota, consultò præterieram; monitus fui, aliquot locis narrationem meam minùs claram Exteris fore, nisi subinde quædam, quibus temporum illorum historia elucidatur, infererentur; idcirco versionem hanc relegi, & ubi necesse fuit, brevi additamento omnem, quantum potui, obscuritatem tollere, pleniorémque paullò rerum nostrarum, quatenus Episcopium spectant, conspectum dare Exteris studui. Si omnia, quæ arctam cum Episcopi gestis con-

xionem habent, exactè narrare aggressus essem, magnum fuisset conficiendum volumen: verùm mihi scopus fuit, non res Remonstrantium, sed unius Episcopi vitam conscribere. Tu, Lector, ex illâ indignam virorum magnorum in hoc mundo fortem mecum agnosce, neque ex eventu minùs læto de causæ bonitate judica. Vale. Amstelodami 9. Septemb. 1700.



CASPARIS BARLÆI

EPIGRAMMA

In effigiem

SIMONIS EPISCOPII.

*Quem tu Leida prius, Synodus mox ipsa loquentem  
Audiit, hoc vultu vivit Episcopus.*

*Vivit, & externis pandens sua lumina Gallis,  
Exoptat patriæ tempora blanda suæ.*

*Tempora dant pretium, rapiunt quoque tempora  
doctis,*

*Ludit & in magnis fors malifana viris.*

*Res levis exsilium est. Grande hoc, mens nescia  
pravi.*

*Hac duce securus vixit ubique domi.*

VITA





V I T A  
S I M O N I S  
E P I S C O P I I .

**Q**UAMQUAM ea Christianæ Ecclesiæ fors est, ut in terris perpetuum habeat certamen, attamen non semper æquè difficilia ac periculosa sunt tempora. Aliquando persecutionibus jactatur, sæpenumero erroribus obruitur, dissidiis subinde miserum in modum dilaceratur, interdum etiam ab omnibus hisce malis simul oppugnatur; denique, horum metu, in exiguum tempus liberatam laceßere hujus mundi vix umquam desinunt illecebræ. Humani autem generis creator idem ac conservator Deus, pro mole certaminis, Ecclesiam suam iis adjuvat auxiliis, quibus in fide perseverare, ac de omnibus, quæ saluti officiant, triumphare possit; ideóque, si qui minùs inveniantur constantes, culpa non Deo, quasi opem non tulisset, sed ipsorum negligentia & incuria tribuenda est. Inter ea verò adminicula, numerari præsertim debent viri eximii, quos iis exornat dotibus, quas certamen illorum, quibus vivunt, temporum postulat; adeò ut Ecclesiam Dei, propugnaculorum instar, contra ingruentes tentationes tueri queant, perfectiones immotâ forti-

tudine sustineant, errores vi veritatis debellent, diffidia modestiæ paciſque spiritu componant, atque illecebras hujus mundi constanti pietate aspernentur. Quâ ratione non huic tantum præſenti ævo, sed & futuris prælucent, copioſoque fructus laboris ſui, etiam poſt mortem, colligendos relinquunt. Inter hoſce viros meritò SIMONEM EPISCOPIUM ponas, ſeu ſpectes difficillima quibus vixit tempora, ſeu plurima certamina, quæ ab incunte ætate decertanda ei fuerunt; vel magnas & ſingulares, quibus a Deo ornatus erat, dotes; vel denique utilem ejus & indefeſſum laborem, quo omnis generis hoſtes, à quibus oppugnari poteſt Eccleſia, uſque ad mortem in timore Dei, repulit. Ideòque ad Dei gloriam atque ut bonis calcar addam, quò veſtigiis ejus inſiſtant, ſtatui præcipuorum quæ fecit ac tulit narrationem publici facere juris.

Anno  
1583.  
Nativitas  
Episco-  
pii.

Simon ergo Episcopius, prout ab eo adnotatum invenio, Amſtelodami, anno Domini milleſimo quingentefimo octogefimo tertio, primo, vel octavo Januarii die, natus, ac decimo ſexto baptizatus eſt. Patrem habuit *Egbertum Remberti Episcopium*; matrem verò *Gertrudam Joannis*, immaculatæ ambos famæ, addiſtòſque Reſormatæ Religioni; quam profiteri illis temporibus, in Belgio, admodum erat periculofum. Conjugali vinculo juncti fuerant, anno milleſimo quingentefimo ſeptuageſimo ſecundo, & decem tuſceperant liberos; nempe, ſeptem filios, non interruptâ ſerie, & tres præterea filias. Hi autem omnes in puerili, aut juvenili ætate, excepto Simone, & duobus ejus fratribus *Remberto*, ac *Joanne Episcopis*, de quibus poſtea, fatiſ conſeſſerunt.

Prima  
eius pue-  
ri.

Filiorum, citra unum, natu minimus fuit Si-

MON

mon. Is ab infantia acris ingenii, tenacisque memoriae indicia dedit, quibus conjunctus erat animus legendi cupidissimus, quod assidua lectio librorum in manus ejus incidentium ostendebat. Parentes ejus licet haud amplas haberent facultates, nec sine molestia possent honestè educare tot liberos, ferendisque studiorum ejus sumptibus pares non essent; attamen ejus maximo natu fratre Remberto hortante, & Cornelio Benningo viro Consulari privatim subsidium ultrò offerente, litteris eum consecrare animum induxerunt. Missus igitur in Scholam Latinam, cujus tum Rector erat Petrus Vekemannus, tantos cum in Latina, tum in Græca lingua, brevi temporis spatio, fecit progressus, ut plurimi docti, celebrésque viri Senatui Amstelodamensi, ut in numerum ejus urbis alumnorum admitteretur, auctores fuerint. Quod & fecit Senatus, adversantibus licet initio parentibus, sed ad eandem tandem sententiam à Verbi Divini Præconibus Joanne Kuchlino ac Jacobo Arminio adductis, eumque deinceps singulari prosequutus est benevolentia. Emenso in urbe patriâ puerilium studiorum curriculo, à Curatoribus Scholæ anno MDC. dignus renunciatus est, qui in Academiam ad altiora studia capeienda promoveretur. Ideoque profectus Lugdunum in Collegium Illust. Ordinum Hollandiæ Westfrisiæque admittus est, cujus Regens erat Joannes Kuchlinus, cui, dum Amstelodami munus Ecclesiastæ obiret, magna cum ejus parentibus intercesserat necessitudo. Non diu illic fuerat, cum parentes amisit, primò patrem anno MDCII. mense Majo, cum ingens grassaretur pestis, quâ plurimi interierunt. Memorabile hoc tunc contigit, & quod si miraculum non habeatur, at certè singularis providentiæ Dei speci-

Epist.  
Præf.  
Vir. L.V.  
P. 105.

men est certissimum, quòd, nempe (ut in Epistola ad Joannem Uytenbogardum scribit Jacobus Arminius) toto illo anno, usque ad decimum septimum Augusti, quo data hæc Epistola, nemo ex Consulibus, Scabinis, Thesaurariis, Orphanorum Præfectis, Verbi Divini Præconibus, Senioribus, Diaconis, Eleemosynariis, Rectoribus Scholarum & Hypodidascalis illâ lue infectus fuerit. Biennio post, mense Novembri anni MDCIV, mater quoque ejus decessit; nullam tamen hi tristes casus vel minimam Episcopii studiis attulerunt moram. Cognitione Linguarum, per assiduam bonorum Scriptorum lectionem, quantum necesse erat, imbutus, Philosophiæ ad penitus eam intelligendam totum se addixit, ac triennium in hoc studio magna cum diligentia impendit. Postremò Theologiæ, quæ finis erat omnium ejus studiorum, se applicuit, non tamen omisâ Philosophiâ; ad quam, ingenti arcana ejus penitius rimandi cupiditate, subinde redibat. Quum jam ferè exacti essent sex anni, per quos in Collegio Illust. Ordinum perficienda sunt studia, cumque hoc singularis status, in quo erat Episcopus, aliquatenus postularet, titulum *Magistri Philosophiæ*, vel *Artium Liberalium* ambiit; quo à Matheseos Professore Rudolpho Snellio, vigesimo septimo Februarii anni MDCVI, publicè insignitus fuit. Decimo die sequentis Aprilis, egregium diligentia eruditionis ac probitatis testimonium ei dedere Regens Joannes Kuchlinus & Proregens Petrus Bertius.

1656.  
Creatur  
Philosophiæ  
Magister.

Theologiæ  
operam  
dat.

Ab eo tempore, totum Theologiæ, in qua multum jam profecerat, se dedit. Lectiones Professorum Francisci Gomari, Lucae Trelocatii, ac Jacobi Arminii assiduus audiit. In Disputationibus ac Concionibus quæ exercitationis cau-

sâ fiunt (*Propositiones* vulgò vocant) tam diligentem tamque industrium sese exhibuit, ut multis, brevi tempore, omnes condiscipulos, superaret parasangis, utque cui concionatorium deferretur munus, dignus judicaretur. Hisce permoti Amstelodamensis Civitatis Consules cum specimen ejus eruditionis videre cuperent, ille coram Consulibus Diderico Petri Hoofdio ac Benningo & quibusdam Senatoribus, aliisque, undecimo Junii, in Sacello Novo, de verbis Pauli ad Rom. C. VIII. v. 14. concionem habuit. Hoc primum anno, noscere cœpit Joannem Uytendogardum, eloquentissimum juxta ac doctissimum, Hagæ-Comitis atque in aula Mauritiæ Principis Arausionensis, Concionatorem.

Sub idem tempus, præsertim post Lucæ Trelcatii obitum, inter duos Professores Gomarum & Arminium, tristis illa de Prædestinatione contentio exarsit. Gomari sententia erat, Deum, ad patefaciendam cum suam misericordiam, tum etiam justitiam, in duas partes ab omni æternitate totum humanum genus, pro suo beneplacito, divisisse; quarum unam, eamque minimam, ad æternam salutem, alteram verò eandemque maximam, ad æternam damnationem prædestinasset. Atque ut hoc exsequeretur decretum, statuisse creare hominem, cui legem observandam præscriberet; ita tamen ut omnia eò dirigeret, ut necessariò cum omnibus suis posteris laberetur in peccatum, adeoque, qui, unà cum posteris, æternâ damnatione puniretur dignus evaderet. At in Electorum gratiam, Filium suum Jesum Christum in mundum mittere decrevisse, ut posteaquam ille pro omnibus eorum peccatis divinæ satisfecisset justitiæ, reconciliationem iterum cum iis iniret. Hos au-

Controversiæ inter Gomarum & Arminium.

tem pacto , per Filium Christum liberatos , ad fidem ac conversionem efficaciter vocare , & fidem in iis operari eo modo , cui resistere nequeant , & qui in illis necessariò gignat fidem ; eamque eadem operatione , usque ad finem , in illis conservare ; adeò ut peccata quibuscum salutifera non consistit fides , aut committere non possint , aut si committant , in illis usque ad mortem perseverare nequeant : sed vi gratiæ Divinæ ex iis rursus ante mortem revocentur , eoque modo necessariò salutis æternæ fiant participes. Negabat contrà Deum pro Reprobis Filium suum in mundum mittere voluisse , aut eos cå vocatione vocare , quæ sola , ad convertendos idonea est ; unde sequitur eos in peccatis necessariò remanere , ac sine ulla conversione perseverare , usque ad finem , adeoque ineluctabiliter in æternum perire. Hæc quidem Gomari fuit sententia , quæ Prædestinationem peccato hominis præordinat , & quæ , si ad verba respicias , durior est quàm opinio eorum qui Prædestinationem peccato subordinant , quam confirmavit Synodus Dordracena. Arminii contrà sententia erat , Deum prævidentem humani generis lapsum , misericordiâ suâ , universale afferre decrevisse remedium , quod aptum esset ad omnes ex corruptione liberandos , in quam illos ipsorum præcipitaverunt peccata ; nempe , Filium suum Jesum Christum , quem ad totius generis humani peccata expianda mortis supplicio tradere decrevit. Hoc jacto reconciliationis fundamento , cum humano genere fœdus inire statuisse , ex quo omnibus , qui in Filium suum credunt , ac condiciones observant fœderis , omnia remittat peccata. Hoc fœdus , ut ab humano observaretur genere , per legatos ac ministros non solum ubique palam facere , sed ei comitem tam validam addere decrevisse gratiam ,

ut

ut omnes, quibus verbum prædicatur, apti fiant ad ei assentiendum, si velint, ac credendum; non tamen omnipotenti præditam vi, cui obfisti nequeat, sed cui pertinaciâ resisti potest, & à multis revera resistitur. Causam igitur fidei obedientiæque hominum gratiam esse divinam, quæ iis sat virium suppeditat; incredulitatis verò ac inobedienciæ incusari posse solum hominem, qui gratiam negligit. Hac semel acceptâ gratiâ, fideles in fide atque obedientia usque ad finem perseverare posse, verùm rursusne à fide excidere queant, se plenâ certitudine conscientiæ dicere non posse. Decretum ergo Prædestinationis hoc esse aiebat; nempe, Deum decrevisse omnes, qui efficaciâ oblatae sibi gratiæ credidissent, ac usque ad finem perseverassent, æternâ donare salute, contra verò incredulos, & qui gratiam rejecissent, damnare.

Dissensum hi Professores aliquamdiu tacitis fovebant animis, operam dante Arminio, mansuetæ ac pacificæ indolis viro, ne sententia sua antequàm legitimæ eam proposuisset Synodo, nimis palam fieret. Non tamen planè celari potuit; discrimen enim ejusmodi erat, tantamque habebat cum variis aliis dogmatibus connexionem, ut manifesta in docendis studiosis, inter eum ac Gomarum, differentia appareret. Episcopium ad Arminii doctrinam magis inclinare, cùm viderent adversæ sententiæ addicti Ministri, minùs ei ideò fuere benevoli. Magna illi exteris visendi Academiis inerat cupiditas, adeò ut Gaudenses, qui anno MDCVIII eum ordinarium Concionatorem sibi petere in animo habebant, nimio illum peregrinandi flagrare desiderio cernentes ab incepto desisterent. Verùm licèt Amstelodamenses Consules, ad satisfaciendum ejus cupiditati satis essent proclives,

Suspectus Episcopus quia à partibus Arminii stabat.

non tamen quod optaverat, eo tempore, consequi potuit. Coactus igitur Leidæ adhuc commorari, summa cum diligentia, Theologiæ incubuit. Singularis ejus eruditio, ac modestia cum Consules Amstelodamenses haud fugerent, ad Concionatoris munus promotum cum voluerunt. Ministri verò Amstelodamenses omnes ferè infensissimi Arminio, nunc hanc, nunc illam interponentes moram, Consulum in eum benevolentiam eluserunt. Cujus rei pertæsus Episcopus, inelytâ maximè *Joannis Drusii* Hebræicæ Linguæ Professoris excitatus famâ, Leideni relicta, in Academiam Franekeranam se contulit.

1609:  
Franekeram  
contendit.

Duodecimo Junii anni MDCIX. die, nempe, Dominicâ Franekeram appulit. Jam ante adventum ejus, rumor per totam urbem erat sparsus, Episcopium expectari, Arminii sententiæ addictum, ac omnes ejus discipulos eruditione superantem. Ideoque horâ septimâ matutinâ diei Dominicæ, urbem ingressus, cum horâ nonâ in Ecclesiam, ad audiendam concionem, procederet, quamplurimi ei obviam venerant, ut tantopere expectatum cernerent Episcopium. Aderant eorum quidam sciscitari non dubitantes *num esset Episcopus?* quibus postquam se esse affirmasset, sparsò per ora hoc nuntio, intra paucas horas Professoribus, Studiosis ac Civibus totâ urbe adventus ejus notus fuit. Civium aliqui ei postea narrarunt ejus adventum magis fuisse expectatum, quàm fuerat sæpe Comitum Guilielmi. Hinc videre est, opinionem de aliquo conceptam, sæpenumero ex una urbe ac regione in aliam subitò transferri.

Disputat  
cum Si-  
brando  
Lubberti  
co.

Vixdum hospitium, in quo habiturus esset, invenerat Episcopus, cum ecce ei Theses Sibrandi Lubberti in septimum Caput Epistolæ ad Romanos afferuntur de quibus, decimo septimo Julii,



Julii, publicè Disputatio habenda erat. Ex Arminii consilio, statuerat Episcopus non disputare in illa Academiâ, ut nullam omnino criminationis præberet occasionem. Ceterùm tam sæpè tàmque acriter non solum ab aliis ad id stimulabatur, sed etiam à Studiofo, cui sub præsidio Lubberti eæ Theses defendendæ erant, ut reverâ aliquatenus ad eam Disputationem præparatus in Auditorium iverit; quod faciendùm etiam sibi ratus est, ut cognosceret, utrum per Hollandiam sparsus rumor, Franekeræ aliquid contra se decretum esse, verus esset. Postquàm ergo è Studiofis quidam aliquid contra hæc Theses objecisset, illico magnum fuit silentium, provocatúsque è medio est Episcopus. Qui, cùm primò recusaret, deinde recusatione nihil promoveret, varia Thesisbus objecit. Hæc disceptatio dum in fatis longum protrahitur tempus, variis iisque validissimis argumentis Episcopus adeò urfit Sibrandum, ut magnam sibi in illa Academia acquireret famam, ac fateretur ipse Lubbertus, *se disputationem cum Leidenfi habuisse, qui meritò Arminianus diceretur, utpote quo melius, aut accuratius Arminium ipsum rem urgere non posse crederet, imò scire se diceret.*

Per totam hanc Disputationem, humanissimè erga Episcopium se gessit, ac publicè laudatâ cùm materiâ, tum soliditate & concinno argumentorum ordine, ad familiarius eum impensè invitavit colloquium; atque, dum ei gratias ageret, se admodum cupere dixit, ut Auditores sæpiùs hoc exercerentur modo. Ex hac collatione, animadvertit Episcopus Sibrandum non esse virum magnopere timendum Arminio; ad quem scribit *in hoc eum dissimilem esse Gomaro, quòd cùm hic per varia distinctionum diverticula elabi conaretur; ille nudum se & per-*  
vium

*vium rusticâ quadam simplicitate omnibus telis faceret.*

Quodnam ei cum professore Antonide negotium fuerit.

Quatriduo post habitam hanc Disputationem, Professor Antonides ad se Episcopium accersit, eique dixit se plurimis ex variis locis litteris de ejus adventu certiozem esse factum, eumque totam Arminii sententiam planè imbibisse, atque hac ratione quædam ad Arminium pertinentia ex eo expiscari voluit. Episcopus ei, ad dissendendum de Arminii sententiâ, amicam obtulit collationem; quam abauit, oravitque ne inter Studiosos aut alibi ullius tumultus causa esset. Idem Antonides, cum iterum cum Sibrando disputasset Episcopus, ab eo petiit, *ut quando sub se Disputatio habenda esset, à disputando abstineret, ne, si bene responderet, occultus sibi cum eo consensus intercedere videretur; sin malè, ne lis, à qua multum abhorrebat, inter eos sic oriretur.* Plurimi quoque Studiosi magnâ eum observantiâ colebant, quorum quidam eum, ut in Theologiâ ab ipso erudirentur, convenire, quod abnuit. Iisdem fermè diebus, cum tempus instaret, quo Cœna Domini celebrari solet, posteaquam Episcopus testimonium illud, quod jussu Synedrîi Leidensis dederat ei Adrianus Borrhîus, obtulisset Rudolpho Artopeo, ac ille comiter accepisset, ad sacram Cœnam in Ecclesia Franekerâ admissus est.

Leidam ad Arminium ægrotaantem ill.

In gravem interim morbum inciderat Arminius, haud dubiè ortum partim ex assiduo labore ac summâ diligentîâ, partim etiam ex multis adversis rebus, & quòd variis in locis præsertim Amstelodami infensissima hominum judicia experiretur. Ingravescente ejus in dies morbo ac periculo imminente mortis, in Hollandiam revocatus est Episcopus, ut fortè ultimâ vice carissimum Magistrum videret. Eo tempore mul-

ta cum eo de Religione & Ecclesiæ statu differuit, atque tribus vix hebdomadibus, ante Arminii obitum, dum ad ejus lectum vigilat, Arminioque somnum morbus excutit, haud pauca circa Christi cognitionem, ac mortis ejus vim & resurrectionem, cum illo locutus est, Arminio in ore perpetuò habente hæc verba Apost. ad Hebræos. C. XIII.

20. 21. *Deus pacis qui magnum illum ovium, per sanguinem pacti æterni, pastorem nostrum D. Jesum, ex mortuis reduxit, compingat vos ad omne opus bonum, ad præstandam ipsius voluntatem, efficiens in vobis quod gratum sit in conspectu suo, per Jesum Christum, cui sit gloria in sæcula sæculorum.* Sed cum pertinax & diuturnus Arminii esset morbus, initio circiter Octobris, Episcopus Franekeram reversus est, ibique cum Sibrando de articulo Justificationis, vigesimo primo ejusdem mensis, in Academia quàm disputasset, de exitu vitæ Arminii, qui decimo nono Octobris fatis concefferat, certior fit. Dolorem, quem ex tam cari Præceptoris morte Episcopus conceperat, auxit hoc, quòd, ut in quadam ipse scribit epistola, non tantam Professoribus Franekeranis eruditionem & docendi facultatem, quantam Leidensibus inesse comperisset, ideòque, si Linguae Hebraicæ cognitionem, quam eum docebat Joannes Drusius, exciperes, multò utilius ei fuisset Leidæ remanere.

Eadem tempestate, quidam haudquaquam Episcopii amici, suspectum eum Socinianismi facere conati sunt, levi sanè de causâ. Degebat tum fortè Franekeræ nauta, Gedanum quotannis navigare solitus; qui, quoniam cum Socinianis illic sæpius versatus esset, sententiæ illorum addictus erat. Huic, præter vernaculam, nullam Linguam tenenti, ac tamen multa aliis ignota sibi nota esse ostendere cupienti, mos erat sæpius cum Franekeranis Studiosis disceptare de dogmatibus,

Quidam Episcopium Socinianismi suspectum facere conati sunt.

tibus, quibus ille à communi discrepabat sententia. Is Episcopii excitatus famâ, ideóque ejus sibi conciliare cupiens amicitiam, præsertim cum haud longè à se invicem domicilio distarent, frequenter ad eum ventitabat, multúmque de variis Religionis Christianæ dogmatibus cum eo colloquebatur. Hanc avidè arripuerunt occasionem, ad Episcopium suspectum faciendum, ac si in eadem cum eo viro fuisset sententia, rumorémque sparserunt, cum varios per illum nautam Gedano afferri sibi curasse Socinianorum libros. Sed Episcopus, in epistola quadam ad fratrem Rembertum Episcopium exarata, vigesimo secundo Decembris ejusdem anni, disertè affirmat, *nulum, nisi de infantium baptismo agentem librum ab eo se petiisse; verùm licèt alios postulasset, se non magis culpari posse, quam ipsum Sibrandum, qui omnes, quos illius generis habebat, libros ejusdem nautæ operâ sibi acquisiverat.* Addit præterea & hoc, *sæpè illius viri se refutasse sententiam, atque adeò familiaritatem hanc nemini justam de se parere potuisse suspicionem.* Attamen ut omnem suspitionis præcideret occasionem, postea cum eo nauta rariùs collocutus est.

Sibrandus Episcopium ex Academia Franekerana expellere nititur.

Sub initium anni millesimi sexcentissimi decimi, Episcopium ex Academia Franekerana expellere moliebatur Sibrandus Lubbertus. Querebatur apud Curatores, quòd liceret hominibus subornatis novas ac periculosas spargere hæreses, partim in Academia disputando, partim etiam privatis colloquiis; idque per viros adeò huic negotio aptos, ut acutioris ingenii non crederet mitti posse. Mensæ accumbens, cum varii adessent Professores, dicere etiam non dubitavit, *Arminium in proponenda & urgenda argumentorum suorum vi, præ Episcopo, infantem esse.* Hac de causa, plures Studiofi ad Curatores vocati sunt,

sunt, eâ specie, ut coram Professoribus testimonium dicerent de uniuscujusque moribus & delictis quæ commissa forent. Sed cum adfuerunt, interrogati sunt, *numne hæreses quasdam spargi, ac eruditos Studiosos colloqui secum velle animadvertent, qui inter colloquendum varia in dubium vocabant, ac multa difficilia intellectu proponebant? Ut veritatem hac de re ingenuè faterentur, sacramento adacti sunt. Verùm quùm hæc negassent, quæsitum iterum ab iis, numne hæc ergo fieri audivissent? sed negantibus denuo, responsum, præclaros ac fide dignos viros hoc tamen asseverare. Rogati porrò, num disputationi de Justificatione interfuissent, & annon validæ objectiones propositæ tunc temporis fuissent? Hoc affirmantes interrogati rursus, anne Calvinii nomen contumeliosè habitum quoque fuisset? Hujus rei inscios se esse cum dixissent, pronuntiarunt Curatores, hoc sese intellexisse, nec ullo modo amplius fieri velle, utpote ad tuendam Calvinii doctrinam salutem & fortunas periclitari paratos; ideòque caveret unusquisque ne latius hæc serperent. Hæc, & plura similia ex Studiosis quæsitâ Episcopi illico rescire non potuit, quoniam jurejurando obstricti erant ne quidquam ex interrogatis patefacerent. At, ut fit, fuere eorum aliqui, qui neglectâ jurisjurandi religione, quædam ei narrarunt.*

Sub finem Disputationis habitæ cum Sibrando Episcopus, illos non ita absurdè sentire, qui crederent vocem Fidei in dogmate Justificationis non Metonymicè pro objecto suo, sed propriè debere intelligi. Hanc autem afferebat rationem, quia, nempe, justificati quidam fuerunt per Fidem, cujus objectum non poterat esse justitia Christi, & quorum Fides Metonymicè accipi non poterat pro objecto apprehenso.

Episcopus iterum cum Sibrando disputat.

Tali

*Tali fide aiebat justificatos fuisse, ante Christi mortem, Apostolos; justitiam enim Christi objectum illorum fides esse non potuisse, quoniam eum moriturum, nesciebant, nedum ut scirent morte suâ justitiam allaturum: quod quibusdam Novi Testamenti phrasibus confirmabat. Dixerat Lubbertus, per totam urbem, se postridie Theses ad ostendendam hujus sententiæ falsitatem affigere velle. Post quatuor fermè elapsos menses, hæ diu promissæ Theses affiguntur. Ad hanc Disputationem, præter consuetudinem, Concionatores urbis Sibrandus invitaverat. Per totam civitatem notum erat Doctorem Sibrandum cum Magistro Episcopio disputaturum; quare non tantum Professores, qui rarò disputationibus intersunt, plurimique ex vicinis pagis Ministri, atque ad unum omnes Studiosi, verum etiam magna civium pars in Auditorium convenerant. Festivum quidpiam *Albertus Hutthenus* tunc temporis Sibrandi discipulus, deinde Sedani Hebraicæ Linguæ Professor, ac tandem inter Remonstrantes Concionator, mihi narravit. Inter oppidanos, qui ad audiendam disputationem in Academiam venerant, etiam linguæ Latinæ ignaros, quum suum quoque hospitem conspexisset *Hutthenus* atque adeò mirabundus petiisset, quid illic ei esset negotii, responsum accepit, disputationem fore inter Doctorem Sibrandum & Magistrum Episcopium, seque ad videndum quisnam victoriam reportaturus esset venisse. *Huttheno* autem rursus quærente, quomodo Latinam Linguam non intelligens hoc dignoscere posset, *qui prior in iram erumpet, ait, ille victus erit.* Erectis jam omnium auditorum animis, expectatione tam celebris Disputationis, adest Sibrandus, silentiòque facto Episcopium è media ad disputandum provocavit*

vit turba. Longa de dogmate Justificationis fuit disceptatio, in qua Sibrandus pristinae immemor humanitatis in Episcopium contumeliosas voces emisit, ac probris hominem laceravit; exprobrans insuper nunc puerilem ignorantiam nunc etiam insaniam, interdum quoque ut in contemptum eum adduceret, dicens ejus argumenta rectè non esse proposita, ideò eum adjuvare sese velle, ut in rectam redigerentur formam; ac tandem maximâ incitatus irâ, indecenter corpus flectens, alterum pedem præ rabie supra cathedram extollebat; quod Hutthemus, qui rem viderat, mihi ipse narravit. A civibus, qui adfuerant, per totam urbem rumor illico spargebatur, Doctorem Sibrandum, quia irâ fuerat incensus immodicâ, à Magistro Episcopio fuisse victum. Latinæ Linguæ periti judicabant Sibrandum nullis, aut paucis Episcopii argumentis rectè respondisse. Nihilominus, habitis post finitam Disputationem precibus, Episcopium ac reliquos Auditores Sibrandus, ad iterum hacce de materia differendum, invitavit; verùm Episcopus, cognito ejus ingenio, ad iracundiam proniore, recusavit, quòd, ut dicebat, *præstaret id fieri in posterum ab iis, quos non vexat insania, sed commendat credulitas.*

Hisce ita peractis, ab Episcopio, per Studium, Sibrandus postulavit, ut omnia argumenta, quæ proposuerat, & quæ plura fortè haberet, sibi scripto traderet. Hoc abnuente Episcopio, ab eo denuo petiit, vellètne ergo relegere sua argumenta, prout ab ipso Sibrando concepta ac conscripta erant, ut videret num talia essent, qualia ille ea proposuerat. Hoc quoque recusante Episcopio, statim alias de Justificatione Theses affigi curavit, quibus affirmabat *Fidem à Deo, pro plena ac perfecta legis justitia,*

*zia, non accipi.* Has sub suo præsidio defendendas obtulit Alberto Huttheno, quod ille recusavit, Sibrandum superiore Disputatione nullomodo sibi fatistecisse dictitans, ac se mirari, quò pro dignitate materiæ tunc non respondisset, præfertim cum lucidam veritatem à partibus suis stare crederet. Quare alii eas dedit Studio, adeoque vigesimo quarto Februarii secundâ, ac decimo nono Martii tertiâ vice, cum Sibrando de Justificatione Episcopus disputavit. Verùm in omnibus Disputationibus, Sibrandus æquè iracundum ac immodestum erga Episcopium se exhibuit. Quò magis hisce disceptationibus crescebat Episcopii fama, eò magis Sibrando invidus fiebat. Qui, si id quod machinabatur, eum, quem crediderat, habuisset successum, Ecclesiastico Ministerio in perpetuum exclusum dimississet Episcopium: at ille quamquam artium, quibus petebatur, ignarus, prudentiâ hanc à se procellam avertit.

Amstelodamum re-  
vertitur.

Postquàm linguæ Hebraicæ, sub Drusio, operam dedisset, relictâ Franekerâ mense Majo Amstelodamum reversus est, ubi illico nova ipsi à Synedrio objiciuntur certamina. Anno M D C I. Leidæ ut membrum Ecclesiæ admissus fuerat, ostenso testimonio Synedrii Amstelodamensis. Consueverat autem temporibus feriarum, cum Amstelodami esset, illic sacræ mensæ particeps fieri; ad quam pro consuetudine, etiam præcedente Paschate, accesserat. Interim postquàm Franekeram profectus erat, novum Synedrii decretum ex templorum cathedris promulgatum fuerat, quo cuivis ex alia urbe, vel regione venienti Sacrà Cœnâ interdicebatur, nisi priùs ostendisset Ecclesiæ testimonium, in qua proximè ejus particeps fuerat. Episcopus hoc decretum ad se nihil pertinere ratus, Amstelodamum, ut antea diximus,



diximus, Franekera reversus, Cœnæ, ut antea solebat; interfuit. Haud multò post duo Synedrii Deputati, Concionator Urfinus ac cum eo Senior eum convenere, jussu Synedrii, rogantes, *Quandoquidem jam bis adfuisset Cœnæ, nec testimonium exhibuisset, scirétne Ecclesiam hanc legem sanxisset, ac quosdam in Synedrio factò ejus scandalizatos esse, quasi præ superbia & contemptu hoc fecisset?* Ad ea Episcopus, *audivisse quidem sese, dum abesset, è cathedris hoc fuisse promulgatum, sed ad se nihil pertinere credidisse, quoniam à tot annis & nuper, cùm jam Franekeræ habitasset, Cœnam adierat, nemine propterea criminante, ideòque sibi illud necessarium non esse putasse; præsertim cùm à Studio id vix fieri quiret, quem sæpius ex uno ad alium migrantem locum nova subinde testimonia afferre oporteret; præcipuè autem se huic decreto non esse obnoxium, quia & ipse & ii, quibuscum vivebat, satis omnibus erant noti, quippe in quorum actiones tam Ecclesiastici quàm Saculares intentos haberent oculos: Nihilominùs sese hac in re Ecclesiæ observaturum statutum, & datâ occasione testimonium eis quoque tradere velle.* Quod & illis manu Rudolphi Artopei conscriptum statim ostendit. Adjecit, *se nullam novæ legis aliam videre rationem, quàm ut aliquid in ipsum molirentur.* Responderunt, *tale esse statutum.* At eos machinari aliquid aiebat iterum Episcopus, *idque patere duobus: Primò, quòd sibi hoc per tot annos permissum esset, nemine, licèt Synedrio notus esset, à se tale quidpiam postulante; deinde quia multi ejusmodi decretum mirarentur, atque hoc totum propter ipsum solummodo fieri judicarent; qui quàm rectè divinasent, eventum docuisse, siquidem inter duas, quibus Cœnæ interfuerat, vices, promulgatum illud erat, & scandalizatos ideò se fuisse quidam præ se ferebant.* Episcopi verò frater Rembertus intervenit, di-

Lis cum  
Synedrio  
de ejus  
testimo-  
nio.

xítque *fratrem suum infidiis peti*, nec à se per multos jam annos *sacra mensa adesse assueto*, ac postquam *quindecim annis Regiomonti degisset*, inde *reverso unquam hoc fuisse postulatum*. Post alia ultrò citròque dicta, amicè & humanè finitum est colloquium; ac junctis, in signum amicitiae, dextris, dixerunt Deputati, se mandata sua tantùm exsequutos esse, ast nullomodo eum dolo capere tentasse. Episcopus contra pollicitus est se Franekeranum testimonium Synedrio Amstelodamensi exhibiturum, promittentibus iis, ei ab Synedrio testimonium petenti negatum non iri.

Rogatur  
ut Alcmariæ  
concionetur.

Venerunt postridie ad Episcopium quatuor Synedrii Alcmariensis Deputati, eum orantes ut coram Synedrio ac quibusdam aliis in Sacello Alcmariæ concionaretur. In animo Alcmarienses habebant Episcopium ad Ecclesiasticam functionem vocare, quod munus tamen ei non aridebat, quia inter ambos ejus urbis Concionatores Adolphum Venatorem & Cornelium Hillenium tantæ inimicitiae erant ortæ, ut non solum omnes cives in partes ivissent, sed etiam ingens ideò inter Magistratum & Classẽ esset natum certamen, quod negotium & ipsos Hollandiæ Ordines occupatos habuit. Episcopus pacis ac tranquillitatis amans quàm honestissime potuit Deputatis rem negavit, prospiciens, id quod accidit, majora in illa Ecclesia brevi futura dissidia. Cornelius enim Hillenius adeò adversatus est Magistratui, ut concionatorio munere destitutus, ac intra duas hebdomas urbe egredi iussus sit. At egressus, in vicino pago concionando, omnes suis partibus studentes ex urbe ad se eliciebat. Magistratus, ut omnem certaminis tolleret occasionem, Venatorem quoque à concionando desistere iussit; ac, consensu

Biancii  
Hist. Eccl. part.  
2. pag.  
111. 112.

sensu Synedrii , duos è vicinia Concionatores vocavit , qui donec ordinarios denuo Ministros haberet Alcmariensis Ecclesia , illic concionarentur. Sed hoc modo in tantum crevere dissensiones , ut Hillenius & Venator ambo causam dicentes ab Illust. Ord. Hollandiæ sint auditi , utque Hillenium , non solum Alcmariæ , sed quocumque etiam in loco , concionari Ordines venterint. Magistratus quum nihil promovere se cerneret , post elapsum annum , Venatori pristinum munus reddidit.

Alcmarienses , licet ab Episcopio repulsam passî , non antè tamen ab incepto destitère , quàm semel in illorum Ecclesia fuisset concionatus. Interim alius , qui magis ei arridebat , locus ad concionandum à Rotterodamensibus Episcopio offertur. Bleisvicum ille erat , cujus pagi Rotterodamensis Magistratus patronus erat , & qui , mortuo Ministro Swalmio , indigebat Concionatore. Episcopus , petente hoc ab eo Magistratu , Rotterodami concionatus est , comitantibus eum Venatore , ac reliquis Alcmariensibus Deputatis. Hæc concio ad eò Senatui Rotterodamensi placuit , ut ei haud dubiè Bleisvicum destinaret , ubi & sequente die Dominicâ concionem habuit. Interim quidam vicinarum Ecclesiarum Ministri , ut hanc vocationem malis artibus impedirent , cum de variis Religionis Christianæ dogmatibus malè sentire dixerunt. At quum præcipui eorum , qui in Ecclesia Bleisvicensi Episcopio adversabantur , Magistratus Rotterodamensis rationes audivissent , ac cum Prætores suo & pagi Senatu consilium iniissent , vocationem , si modò Classis assensum præberet , comprobarunt. Quum verò à Deputatis Rotterodamensis Magistratûs res Classi proponeretur , Ruardus Acronius Schiedamensis Concionator acerrimè adversatus est ,

Vocatur  
ad munus  
Eccle-  
siasticum  
Bleisvici.

ac inter alia postulavit ut Episcopus doctrinæ ac morum testimonium non solum Theologicae facultatis Lugdunensis, verum etiam Franckeranæ & Synedrii Amstelodamensis ostenderet, & sese omni suspitione Heterodoxiæ purgaret. Tandem tamen pluribus suffragiis vocatio hæc comprobata, ac examini decimus sextus Augusti dies præstitutus est.

*Agrè  
missio-  
nem im-  
petrat ab  
urbe  
Amstelo-  
damensi.*

Episcopus secum sumto Classis decreti apographo, Amstelodamum contendit, ut à Magistratu, (utpote cujus erat alumnus) assensum vocationi suæ quoque impetraret. Illuc venienti magnas molestias facere Amstelodamenses Ministri, nunc hoc, nunc illud excogitantes, ut moram vocationi afferrent, ac tandem eam impedirent. Suspectum eum Heterodoxiæ facere conabantur, ideoque Episcopus, ut sibi coram Magistratu, adversus eorum criminationes defendere sese liceret, petiit; at Ministri, coram Magistratu, cum eo disceptare noluerunt. Dum eo modo negotium trahitur, venit Rotterodamo Consul quidam, litteras Magistratûs ejus urbis afferens, quibus orabantur Amstelodamenses, ut assentirentur, qui tandem precibus victi assensum præbuerunt. Elapso interim, quod ad examen statutum erat, tempore, dilatum illud est usque ad vigesimum septimum Septembris. Hoc appropinquante die, petiit ab Ursino Episcopus testimonium, qui ipsi Franckeranum, quod nuper ab eo acceperat, reddidit, ac porrò ad Synedrium hominem rejecit; ubi quum adefset, testimonii datio, propter Ministrorum Planckii & Jacobi Roelandii absentiam, in aliud tempus dilata est. Quoniam verò Rotterodamum proficisci eum oportebat, fratribus ejus, ut ejus loco postularent, permisum est.

Statutâ

Statutâ die, Classis Rotterodamum convenit, cui adfuerunt duo Synodi Deputati Joannes Becius & Libertus Fraxinus, hic Brilæ, ille Dordraci Minister. Venerunt quoque ad eum conventum decem Magistratûs Rotterodamensis Deputati, tres, nempe, Consules, quidam Senatores, Aggerum Schielandiæ præfectus, ac Pensionarius Elias ab Oldenbarnevelt. Magna Contentio inter quosdam è Rotterodamensi Classe de ejus vocatione. contentio in Classe fuit, utrum Magistratûs Deputati admittendi essent, nec ne; censentibus quibusdam, admitti non debere antequàm finitum esset examen, quod ipsi summa vi prohibere nitebantur. Dum ita certatur, per duas integras horas, Magistratûs Deputati ad Classem intrare prohibiti sunt, qui interea templum perambulantes, sæpiùs Classi, sese jam adesse ac expectare nunciari curabant; donec tædio diuturnæ moræ fatigati, quum à Classe peti curassent, ludibriõne ipsos haberet, tandem admissi sunt. Quibusdam è Classe Ministris in animo erat totum hoc negotium, absque Magistratu, conficere; quapropter Episcopium jusserant testimonia Kuchlini Regentis Collegii, Ecclesiæ Leidenensis & Franekeranæ ostendere, ut ea perpendere. Vixdum ingressis Magistratûs Deputatis, illico quinque Concionatores exierunt Ruardus Acronius, Eleazar Swalmius, Hugo Beierus, Samuel Gruterus, ac Renerus Bormannus. Hortabantur eos Deputati ut remanerent; sibi aliquid esse de quo cum iis agerent dicentes. Tres nihilominus abierunt, duo reliqui januæ adstantes negabant *hanc esse Ecclesiasticam congregationem, dicebantque ut tali congregatione exirent Ecclesias suas sibi mandasse.* Ad quæ Deputati, *satis se scire ipsos Ecclesias esse, ideòque sibi met illa ipsos dedisse mandata.* Serio insuper eorum irreverentiam erga Magistratum castigarunt, quod

quòd ejus Deputatos foris per duas horas expectare jussissent, & statim ac ingressi erant, exirent, atque eo modo, quantum in ipsis erat, Conventum solverent. Porrò rogantes *númne eos puderet?* monuerunt illos *ut modicè ea, quam sibi arrogabant, auctoritate uterentur, omnia enim immodica haud longi esse ævi; ac se hæc omnia ad Ordines relaturos dixerunt.* Non tamen à sententia revocati sunt, ideóque uno ex Deputatis dicente, *mirari sese tam inobedientem esse Beierum, quippe qui sub ditione Rotterodamensi degens, ob suam contumaciam, à Magistratu puniri posset; ac eo respondente, se eo casu crediturum suum esse officium pro Christo pati, adjecit Pensionarius: si propter tuam puniaris contumaciam, Christus culpam non feret; vos soletis omnium vestrarum actionum culpam Deo tribuere, sanè Christus tuæ inobedientiæ particeps non est.* Vixdum hisce dictis, hi quoque abierunt. Illis quinque digressis, Episcopus post aliquam deliberationem, intrò vocatur, ac ei à Præside objicitur, *Plancium Acronio scripsisse, eum, cum à Curatoribus suis examinaretur, Heterodoxum fuisse compertum ac Vorstii sententiam de infinitate Dei defendisse, nec testimonium ostendisse Ecclesiæ Amstelodamensis.* Ad hæc tria in hunc modum Episcopus respondit, & primò quidem, *sese ante sex annos, cum nondum promotus esset Magister, cum Plancio, utpote Scholarcha, de variis rebus, & inter alia, corpúsne in animum operaretur differuisse, & quoniam Theologiæ nondum studisset, Philosophicè se respondisse, Plancium deinde varias inde deduxisse consequentias; verùm se postea, nec cum Plancio, nec cum ullo alio unquam de re amplius fuisse loquutum.* Ad secundum accusationis caput ait, *se iter facientem, cum Studioso quodam de Vorstio differuisse, ac rumoribus de eo sparsis, item quomodo suam sententiam exponeret, se narrasse: sed de hac re nihil affirmasse, nec Vor-*

*stii sententiam defendisse: atque hæc fuisse obiter tantum dicta, quoniam sibi vix per quadrantem horæ cum Studio colloquium intercessisset. Ut à tertio accusationis capite se purgaret, quâ ratione testimonium petiisset, ac quapropter dilatum hoc esset, narravit, & epistolam fratris sui Joannis Egberti Episcopii prælegit, cujus argumentum erat, sapius sese, postquam ille profectus esset, testimonium postulasse, verum responsum sibi fuisse, fratrem suum Franekerâ reversum suoapte consilio, haud ostenso Franekerano testimonio, sacræ Cœnæ in Amstelodamensi Ecclesia interfuisse, ideòque considerari eum debere non instar Amstelodamensis, verum Franekeranæ Ecclesiæ membri, nec eum primo quidquam amplius postulasse, quàm ut sibi Franekeranum testimonium redderetur; quod quoniam fecerat, Synedrium judicare se ejus primis postulatis satisfecisse. A petendo attamen enixè testimonio ejus fratre non desistente, ac dicente, prout ipsi à fratre suo Franekera reverso testimonium Franekerani Synedrii exhiberi cupiebant, ita etiam alios, ejus loci, ubi proximè fuisset, desiderare testimonium, respondisse Jacobum Roelandum: non quidem dicimus, frater Egberte, nos fratri tuo testimonium dare nolle; sed cum ille Franekerâ huc veniens suum testimonium non ostenderit, & postea eo ostenso Synedrii approbationem non exspectaverit, verum privato consilio Cœnæ interfuerit, neque consentiente Synedrio fuerit admissus, propterea fratres se non constrictos ad plura testimonia danda censent. Interrogasse itaque Joannem Egberti Episcopium, tantùmne hoc esset crimen, ut ideò frater Ecclesiæ membrum non esset, aut se testimonio indignum reddidisset? Postremum apertè eos affirmare noluisse; at Jacobum Roelandum dixisse, esse eum quidem Franekeranæ Ecclesiæ membrum, cujus ei testimonium in manu esset, sed cum hoc non exhibuisset ipsis, nec ab ipsis tamquam membrum agnosci; ideòque ei*

ut Ecclesiæ suæ membro, testimonium dare se non posse. Quamvis ad hæc omnia ejus frater responderet, ac rationibus variis eos urgeret, nihil at tamen promovit; adeò ut epistolam suam hisce verbis claudat: hæc est Synedrui responsio, ex qua colligere licet tibi testimonium non esse daturus; oportet itaque iis adminiculis, quæ habes, quomodo-cumque possis, te tuearis. Hisce ad sese purgandum dictis, conclavi egressus est; tota verò Classis eum adversus omnes accusationes rectè se defendisse, & cunctis satisfecisse judicavit. Deinde rogata omnium sunt suffragia, nümne igitur ad examen pergendum esset? Synodi Deputati dixerunt, se tali examini præesse nolle, quoniam illegitimè Episcopo illud munus concionatorium oblatum esset, tam per Magistratum, quàm quòd tota Classis non assenserat; quippe contra quod nonnulli protestati essent, qui & ad alium judicem provocassent; oportere igitur hoc tamdiu differri, donec Synodus convocaretur, ac ii qui provocaverant audirentur. Dum hæc de re disceptatur, ac Deputati ad Ecclesiæ quoddam statutum provocant, Magistratùs Delegati id Ecclesiæ statutum afferunt; quo lecto compertum est, quod unus ex Deputatis ei inesse dixerat illo non contineri. Denuo itaque quæsitum cùm esset, utrum ad examen procedendum esset, dixere Deputati, se huic examini præesse nequire, quòd Episcopus Amstelodamo testimonium non attulisset; quare se se judicare plurimum eum suspectum esse, neque enim Ecclesiam Amstelodamensem pro nihilo habendam. Ad hæc Rotterodamensis Magistratùs Delegati: Audivistis, inquit, quare ei testimonium dare nolint, vultisne vobis ab eo dari, quod eum nostis consequi non posse? Pensionarius adjecit: fortè inter vos cernentes aliter vocationem ejus impediri non posse, & Amstelodamenses ita convenit, ut eum non dimitterent; quod variarum rerum, quæ Amstelodami acciderant, confirmabat



firmabat narratione, addens: *dicimus Ecclesiam Amstelodamensem parum candidè nobiscum agere, si adversùs Episcopium graves habeat rationes, cùm illas nobiscum non communicet, quandoquidem tamdiu scivit eum ad hanc Ecclesiam esse vocatum. Hoc fieri non solet, inquit Becius, in rebus Ecclesiasticis. Quo audito, rogavit Pensionarius: An in rebus Ecclesiasticis igitur, mos quidem esset à Plancio in Epistola scribi id, quod ante sex annos ab Episcopo audiverat, ac de quo postea numquam cum eo fuerat loquutus, & quod ille in curru sedens de Vorstio per quadrantem horæ cum quodam confabulatus erat, ac talia crimini dari? Haud multò plura quæ criminaretur eum novisse, alioquin enim illa quoque scripturum fuisse. Becius aiebat indicasse fratres, qui abierant plura se quidem scire. Regessit Pensionarius: parum candidè igitur nobiscum agunt, quòd abeant, cùm sciant hac de re agendum esse; verebanturne audituros esse Magistratùs Delegates aequè firmo fundamento hæc niti, ac illa, quæ jam referuntur? Unus ex Magistratu Rotterodamensi indignabundam quoque hac de re orationem orsus est, quâ ostendebat, manifestò apparere hoc totum negotium à Deputatis Synodi & iis qui abierant ita esse compositum, ut rem turbarent, ac, quo minùs procederetur, impedirent; ejusmodi præterea agendi ratione leges omnes everti, nec eam in conventibus tolerari posse; unicuique liberum esse suffragium, attamen omnia decreta ex plurium consensu fieri; itaque si quorum partibus pauciora faverent suffragia, irati è conventibus exirent, atque eo modo omnia decreta impedirent, tum nihil posse peragi; ideòque concordiam oportere regnare, ac illum, qui suffragiis inferior esset, apud se reputare se fecisse quod potuerat; quòd si quid ei haud rectè factum videatur, palam eum hoc dicere debere, sed non abire, & meris figmentis ac suspicionibus indulgere.*

Post hæc iterum sententiam omnes rogati, an ad examen procederetur; Concionatorum quidam aiebant *interrogandos prius esse Synodi Deputatos*. At Grevinchovius, *Deputatis potestatem non esse hac de re suffragia ferendi, sed eos solummodo tanquam auditores à Synodo missos habendos esse, & qui, si qua oriretur lis, eam componerent; nimium iræ indulgentes auctoritate suâ sedarent, ac interdum etiam, inter examinandum, quadam interrogarent*. Alii sententiam rogati censuerunt modo Synodi Deputati remanere vellent, procedendum esse. Hi se remansuros, propter rationes sæpius memoratas, planè negabant; nempe, eum, qui munere fungeretur concionatorio, tam exterorum quàm domesticorum testimonia afferre oportere. Hic pristinum rursus certamen ortum. Quare Pensionarius: *ostendit, inquit, testimonia in locis, in quibus diu vixit, ipsi data: nec ullus adversùs ea quidquam profert: bonæ famæ est possessor, quam si quis illi adimere velit, contrarium probet oportet. Injustum sanè esset aliquem pallio te spoliare dicentem: tuum illud non est, aut tuum esse proba. Jure merito diceres, diu te illud habuisse ac tuum esse, probari ab illo oportere te injustè id nactum esse. Hac ratione est agendum. Ibi è Concionatoribus quidam: hæc vestra fortè dictant jura. Ad quæ Pensionarius: habetisne meliora, docete illa nos. At contendebant illi, eum tam doctrinæ, quàm morum, testimonium afferre oportuisse, præsertim Amstelodamo, quæ civitas in ejus, utpote sui alumni, actiones quàm maximè intenta fuisset, ac præterea Lugdunensium & Franekeranorum Professorum, quoniam ii in rebus Ecclesiasticis infimi ordinis non erant. Ad hæc respondere quidam se nulla quoque Professorum testimonia attulisse, nec à se postulata fuisse. Præterea iis objectum, oportere igitur indicari quidnam de eo nossent Profes-*

*sores.*

fores. Illi autem ad eos, qui abierant, provocarunt. Tum quidam è Magistratu: Vos, inquit, tantopere testimonium Amstelodamense desideratis: credo sanè vos cum Smoutio, qui tandiu Amstelodami fuit, ita contulisse capita, ut probè sciatis eum inde nullum accepturum esse testimonium, atque adeò illum oblato munere excludere velle. Hæcine Christianos decent? Ad hæc Becius: licèt Smoutius Amstelodami non fuisset, tamen non obtinuiſſet testimonium. En, ait unus è Magistratu, consilia ac fraudes vestræ pateſcunt. His dictis, ad abeundum surrexere Deputati. Magistratus verò ut remanerent hortari, ut omnia Synodo renuntiare possent, non enim abeundo eos officio suo fungi: adjiciebant, hos omnes agendi modos Ordinibus expositum iri, qui facilè hæc ad seditionem & contemptum Magistratûs tendere viderent. Præses obnixè Deputatos ne abirent orabat, quoniam pro certo habebat omnes suspiciones Episcopii, ad ea quæ interrogarentur, responsis sublatum iri. Acriter, inquebat, eum interrogemus. At clausis auribus hæc accipientes Deputati abiere. Hora tum erat post meridiem circiter prima. Post discessum Deputatorum, jussu Magistratûs quæſivit à Concionatoribus Præses, nûmne ad examen procedendum esset. Maximæ partis sententia erat, procedendum, sed examen acriter & severè instituendum esse, ut eò meliùs deinde ratio reddi posset. Adrianus Simonis aiebat, se inter examinatores nolle esse, nisi Synodi Deputati, ut assensum suum præberent, adducerentur, vel saltem ab iis hoc peteretur, vel examen in alium conventum differretur. Tum quidam è Magistratu ac nonnulli etiam Concionatores: *Ecquis speret eos qui nullis precibus, ac justis adhortationibus ad remanendum adduci poterant, alio tempore esse redituros? Annon satis constat illos cum Amstelodamensibus ita conspirasse, ut*

Episco-

*Episcopus testimonium inde relaturus non sit? vel saltem tantum tempus elapsurum, antequàm id consequatur, ut Episcopo defendere sese cupienti multum temporis hoc modo præriperetur? Tum verò scopum attigerint. Bleisvici enim tot interim difficultates movebunt quot poterunt, eaque Ecclesia pastore destituta remanebit. De hisce varia, quidnam optimum factu esset, agitata consilia, ut Christianâ æquitate, res tractaretur, ejusque Deo hominibusque ratio reddi posset. Unanimiter tandem decreverunt, duos viros ad Synodi Deputatos in Diversorium mittendo, (ubi & Festus Hommius, Lugduno veniens, eos convenerat.) cum hisce mandatis, ut proponerent eis nomine Magistratûs & Classis, vellèntne polliceri intra quatuordecim dies examini Episcopii sese adfuturos, interea dum ad Synedrium Amstelodamense scriberetur, ad resciscendum quanam adversus Episcopium dicenda haberet; cujus examen in quatuordecim dies productum erat, propter quosdam, qui admodum se sollicitos esse præ se ferebant, quòd nullum Amstelodamo testimonium attulisset. Quod si Deputati Synodi hæc non repudiarent, tum verò intra quatuordecim dies ad examen deveniretur; sin minùs, illico ad finem perduceretur, siquidem nulla spes esset intra statutum tempus ad sanio rem mentem redituros esse. Ministros Lansbergium patrem & Petrum Cupum mitti placuit. Hi reversi renunciarunt, sese Deputatos Synodi haud alienos ab hac re comperisse, modò nomine totius Classis hoc scriberetur, & Concionatores qui abierant huic rei quoque assentirentur, quos tamen quoniam abiissent, difficulter suffragium ferre posse aiebant; tum Lansbergium (cunte interea ad Magistratum Cupo, ut ei Deputatorum mandata exponeret)*

eos quæsitum ivisse, ac cum duobus è quinque fuisse colloquutum, qui aiebant. *se se huic negotio nullomodo immiscere velle, nisi prius extra Rotterodamum Classis convocaretur, ac tam examini quàm aliis rebus, è Magistratu non plures quam duo Religionem Reformatam profitentes, adessent.* Hæc verò res indigna Magistratibus visa; quò, inquit, *illine nostræ urbi jus suum adiment? Classem, quæ Rotterodamum congregari debet, in alium locum transferent? ac nobis quis aderit, quis non aderit, præscribent? quosnam se esse credunt? volüntne novum iterum introducere Papatum? Sanè ut ab eo immunes essent, nimio sanguine Majoribus nostris constitit.* Opus est, inquit Pensionarius, *ut intentiorem hujus rei curam geramus. En patet quid moliantur; non satis est tamdiu nos foris detinuisse, imperare insuper cupiunt, quot nostrum adesse licebit, cùm tamen adhuc nihil adversus eorum sententiam sit decretum.*

His dictis, Magistratus soli congregati pergen-  
 dum decreverunt, adjeceruntque se visuros, Perfici-  
 tur ex-  
 men. quis sustineret dicere illegitimè hoc esse factum. Eadem omnium Concionatorum sententia erat, imò etiam eorum, qui adhuc aliquatenus ad-  
 versati erant, & jam dicebant, *conscientiam suam testem sibi esse omnia, quæ fieri potuerant, facta esse.* Episcopus igitur *Propositionem* coram Classe habuit, in verba Pauli ad Philip. II. 12. *cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini: Deus enim is est, qui efficit in vobis & ipsum velle & ipsum agere, pro gratuita sua benevolentia.* Sed quoniam jam advesperabat, reliquum examen, in quo Episcopus omnibus plenè satisfacit, postredie ad finem perductum est; quare omnium ad unum sententiæ fuere, ut Episcopus Bleisvicensi Ecclesiæ proponeretur, ac elapsis tribus hebdomadibus, in suo munere confirmaretur.

Quo-  
rumdam  
è Classi  
protesta-  
tio.

Illi quinque qui abierant ac protestati erant, nondum destiterunt, sed cum examen perfectum, & Episcopium Bleisvicensi Ecclesiae propositum audivissent, epistolam ad Synedrium Bleisvicense, quâ eam Ecclesiam suâ protestationis certiorum faciebant, scripsere. *Ac, inquit, quoniam audivimus reliquos fratres unâ remanentes in examine perrexisse, licet nos protestati fuerimus, & Deputati abierint, eumque admissum & vestrae Ecclesiae propositum fuisse; ideo, quemadmodum ut munere nostro rectè defungeremur, & conscientiae satisfacere, non potuimus quin contra hanc vocationem protestaremur: sic etiam eadem ratione permoti vos hortamur ac monemus, ne Simonem Episcopium, ut legitimum Verbi Divini Praeconem, admittatis, antequam protestatio nostra in majore, eaque Ecclesiastica congregatione, audita ac disceptata sit. Deum testamur nihil aliud nos quæsisse, quam ut salvam haberemus conscientiam, nec quidquam fecisse, cujus rationem omnibus probis, piisque reddere non possimus, nec ullius rei, præterquam gloriae Dei, puritatis doctrinae, adificationisque Ecclesiae rationem habuisse. Oramus interim hæc res cordi vobis sit, ac hoc in negotio fidelem operam navetis Ecclesiae Domini, ut post hanc vitam super plura constituamini. Sin minus, nos quidquid in nobis est fecisse, ac vos admonuisse testamur. Ceterum si omnia humana deficiant auxilia, Jesu Christo, supremo pastori, hoc mandabimus; qui suos electos custodiet, ne dispereant & seducantur. Cujus sacrae tutelae vos omnes commendamus. Datum Delphiportu, 14. Octob. anno MDCX. & à nobis subscriptum. Eorum nomina erant Eleazar Swalmius, Samuel Gruterus verbi divini Minister, Hugo Beierus Jesu Christi Minister in ipsius Ecclesia Heiligerst-Bergæ, Ruardus Acronius, Renerus Bormannus. Magistratus Rotterodamensis, ostensâ sibi à Bleis-*

Bleisvicensibus hac epistolâ, eos ab omni damno, quodcumque foret, ob constantiam quam testarentur in admittendo Episcopio, immunes se præstiturum pollicitus est. Itaque Episcopus, postquàm Ecclesiæ fuisset ter propositus, decimo septimo Octobris, coram Rotterodamensis Magistratûs Deputatis, muneri suo fuit inauguratus; sequentique die Dominicâ concionatus in verba Pauli ad Ephes. I. 2. ministerium suum inchoavit, atque tertio die Januarii sequentis anni, ut membrum Classis admissus est.

Mense Novembri, Rotterodamum venit Adolphus Venator, cum tribus Alcmariensium Deputatis litteras Magistratûs, Synedrii Alcmariensis, Deputatorûmque Senatorum, ad Magistratum Rotterodamensem afferens, quibus sibi Episcopium ordinarium Ministrum concedi petebant; quo non impetrato, in aliquod tempus eum sibi commodari orabant; at postquàm id etiam recusatum esset, infectâ re, domum rediere.

Hoc anno, mense Julio, à Ministris pluribus Arminii sententiæ addictis, oblata fuit Ordinibus Hollandiæ ac West-Frisiæ Remonstrantia, à qua postea Remonstrantes denominati fuerunt. Ejus occasionem, & quæ Remonstrantes causæ impulerint ut eam Ordinibus offerrent, paullò altiùs repetere operæ pretium est. Jam ante Arminium inter Doctores Reformatæ Religionis, cum aliis in regionibus, tum in patria nostra, discrepantes fuerunt sententiæ super Prædestinatione divina, aliisque illi annexis capitibus: in Geldria siquidem, Hollandia, Frisia & Trajecti varii eandem quam postea amplexus est Arminius sententiam propugnauerant. His se opposuere alii, qui à Genevensibus, Palatinis & Nassaviis Doctoribus in patriam nostram advenientes magistro-

Episcopus iterum sollicitus ab Alcmariensibus.

Occasio oblatæ Remonstrantiæ.

magistrorum suorum placita in Ecclesias Belgicas inferebant, easque in legem credendi convertere moliebantur. Jam anno CIO IDLXVI. Confessio fidei, nomine Ecclesiarum Belgicarum, edita fuit: de qua hæc scribit Hadrianus Saravia in epistola quadam ad Joannem Uitenbogardum: *Ego me illius confessionis in primis unum fuisse auctoribus profiteor, sicut & Hermannus Modetus: nescio an plures sint superstites. Illa primo fuit conscripta Gallico sermone à Christi servo & martyre Guidone de Bres. Sed antequàm ederetur, Ministris verbi Dei, quos potuit nancisci, eam communicavit, & emendandum, si quid displiceret, addendum, detrahendum proposuit; ut unius opus censeferi non debeat: sed nemo eorum qui manum apposuerunt, umquam cogitavit fidei canonem edere, verùm ex Canonicis scriptis fidem suam probare. Confessionis illius exemplaria Saravia Principi Auriaco & Comiti Egmondano offerenda curavit; alia etiam exemplaria Comiti Ludovico dedit, ulterius principibus distribuenda. Postea in Synodis aliquot Provincialibus decretum fuit, ut Ministri omnes Confessioni Belgicæ triginta septem articulis comprehensæ subscriberent, utque Catechesis Heidelbergensis ab omnibus reciperetur. Atque ita duo hi libelli tamquam consensûs Formulæ à Synodis sunt introducti, licet nullo hætenus publico imperio ab Ordinibus Hollandiæ approbati essent. Prædestinationis absolutæ patroni querebantur, alios diversum à se sentientes doctrinam fovere & verbo divino, & Formulæ hisce consensûs repugnantem, earumque auctoritate eos premere, & pastorali munere dejicere conabantur. Inde nova de illarum Formularum auctoritate contentio orta est: quin & de genuino illarum sensu disceptatum. Qui Prædestinationem absolutam defendebant longè nu-*

mer●

FRÆP.  
VIROS.  
EPIST.  
181.



mero aliis prævalebant ; itaque Synodorum auctoritate eos aut muneribus privare , aut ad palinodiam constringere moliebantur ; útque tantò major Synodorum esset auctoritas , jam antè decreverant , ut singulis trienniis Synodus communis ex omnium Fœderatarum Provinciarum Deputatis , quam Nationalem , ad distinctionem Provincialium , quæ unius tantùm erant Provincia , vocant , conveniret. Non tamen Hollandiæ Ordines , singulis trienniis , Synodose jusmodi convenire permiserunt. Tandem anno CIO IOXCVII. Synodi Nationalis convocationem concesserunt : quia autem id ab Ecclesiasticis agi videbant , ut Belgica Confessio , hæctenus nullo publico imperio ab Hollandiæ Primoribus approbata , Religionem , tamquam formula ac norma veritatis circumscriberet , ipsaque deinde Formula quorundam interpretamentis angustius circumscriberetur ; hanc consensui suo addiderunt legem , ut formulla illa ibi revocaretur ad examen , videreturque quâ ratione optimè consuli posset unitati Ecclesiarum. Verùm cùm ab aliarum Provinciarum Ordinibus consensus , licèt maxime urgentibus Ecclesiasticis , impetrari non potuerit , plures intra annos nulla Nationalis Synodus convenit. Tandem anno CIO IOCVI & aliæ Nationes in communem Synodum consenserunt , sed lege eadem , ut inibi illa Formula , simulque institutio puerorum , quam Catechesin vocant , relegeretur. Legi huic adscriptæ aliquot Pastores parvere , & considerationes suas in utramque Formulam , Ordinibus exhibuerunt ; plerique tamen illi se opposuere , qui hanc Magistratui auctoritatem minimè tributam cupiebant , aiebântque , in Synodo ea scripta recognosci non debere omnino , sed posse , atque ita demum , si ipsi Synodo ita videretur. Post-

quàm Gomarus & Arminius in conventu Ordinum auditi fuerant, antequàm super his controversiis certi aliquid decretum esset, placuerat Hollandiæ Ordinibus anno MDCLIX certamen hoc deferri ad Synodum Hollandicam modis legitimis indicendam & congregandam. Verùm nec illa Synodi convocatio processit. Causam ipsi Ordines Hollandiæ, in decreto quodam suo die quarto Decembris ejusdem anni, hanc reddunt, quòd Conventus Ecclesiasticus, Clailem vulgò vocant, tractus Alcmariani designatis Pastoribus negotium facessere cœperat, quæstione super hisce capitibus institutâ, hoc proposito, ut qui ab ipsis discrepare invenirentur eos Pastoralis munere arcerent: quod toti causæ præjudicare censebant: quòdque hac de re, & ob postulatam novo more subsignationem Confessionis Belgicæ & Catechismi, à Proceribus admoniti, ab hac rerum innovatione (quæ pendente deliberatione super re principali attentari non debuerat) absistere noluisse. Pollicebantur nihilominus Ordines decreto eodem, indicturos se ex Hollandia Synodum, simulatque Classis Alcmariana paruisset: ut moris est, antequàm de re principali quicquam statuatur, ea restitui quæ sunt innovata, ut res partium in integro sit.

*Remonstrantia  
effertur.*

Personabant interim pulpita clamoris quorundam disputationibus, & Classis aliæ, perinde atque Alcmariana, ad Formularum subscriptionem omnes adigere moliebantur. Cùm itaque Ministri, qui Prædestinationem conditionatam propugnabant, id unicè agi viderent, ut muneribus suis privarentur, libellum supplicem, modò commemoratum, titulo Remonstrantia, Ordinibus Hollandiæ obtulerunt: in ea pluribus ostendunt, immeritò se passim differri ac gravari,

ri,

ri, ac si quærent Religionis mutationem, essentque causa magnarum in Republica & Ecclesia contentionum: voluisse se parere mandato Ordinum de revidenda Confessione, & meditationes suas non in Classibus aperire, sed omnia referre ad Synodum Provinciam aut Nationalem. Postea sententiam suam quinque articulis comprehensam, rejectâ illâ quam improbant, declarant: Ac tandem rogant atque obsecrant, ut Remonstrantibus in legitimo liberòque conventu Synodico, sub Illust. Ordinum auctoritate, προεδείξας, ductu, συμφηφισμῶ ἔ moderatione habendo, plenè auditis, ipsorumque rationibus expensis, dogmata illa accuratiùs inspiciantur atque examinentur: Aut si nondum id commodè fieri possit, Fratres tamen interea se invicem in dilectione & pace ferant & tolerant. Quod quidem ipsi ex animo optent, modò interea temporis de iis ipsis articulis nihil doceatur, quod vel pietati officiat, vel bonis moribus adversum sit, & ne quis posthac, vel in Ecclesiastica, vel in Scholastica functione, neque presentis statûs neque futuri respectu, neque eorum ratione qui jam nunc illa ipsa munera obeunt, neque eorum qui in posterum ad ea capeSSenda evocandi sunt, ob prædicta capita (prout à Remonstrantibus explicata sunt) suspectus habeatur, rejiciatur, aut ullo modo graveatur: sin ii qui secus sentiunt id facere recusant, ut tunc saltem Remonstrantes ab iis ex Dei verbo meliùs doceantur. Aut si Remonstrantes depulsi omni spe, præter opinionem atque expectationem suam nihil istorum possint obtinere, ac proinde publica sua munera diutiùs bona cum conscientia in pace obire deinceps non possint, paratos se profitentur, ad mandatum Ordinum desistere à suis functionibus, ac deinceps ita se componere, ut Deo & proximo, quàm scient poterintque commodissimè, ex conscientia juxta verbum Dei inserviant, illæsa semper atque

*intemeratâ obedientiâ , quam Ordinibus deberi intelligunt.*

Lectâ hac Remonstrantiâ, major Procerum pars, quò certius ad pacem negotium regeretur, per homines æquos & extra studia positos, deligi à suo conventu cupiebant eos qui ad Synodum mittendi essent, non sine exemplo: nam & olim ab ipso Constantino in causa Donatistarum delecti erant arbitri; ut & à Bernatibus, in hac ipsa Prædestinationis controversia. Sed oppida nonnulla, non quòd hanc rem per se inconsultam ducerent, sed quòd metuerent ne id Pastores offenderet, petierunt Synodo convocandâ ad tempus superfederi. Quare statutum est, ut interim Classibus injungeretur, ne Ministros, tam ministerio jam fungentes, quàm in posterum ministerio inaugurandos in dogmate Prædestinationis, illique annexis articulis, ulterius inquirerent, quàm juxta sententiam à Remonstrantibus in sua Remonstrantia expressam, & prout usus hæcenus obtinuerat. Dissensere eadem oppida: pluribus tamen suffragiis consentientibus, decreti hujus apographa ad Classes missa sunt. Harum quædam, decreto ipsi parere recusant. Itaque in Classe Lugdunensi duo Deputati ex Collegio Ordinum Verlanius Harlemensis, & Sebastianus Egberti Amstelodamensis Consul comparuere; quorum præsentia refractarios, quorum præcipuus erat Festus Hommius, ad officium suum compulit. Inde ad Classem Woerdanam profecti, etiam in ea quoscumque ante ipsorum adventum decreto Ordinum se opposuisse invenerunt, & rationibus & auctoritate sua decreto illi morem gerere persuaserunt.

Collatio  
Hag:en-  
sis.

Mense Decembri, Deputati Synodorum in pleno Ordinum Concessu de variis, & præcipuè quidem

quidem quinque articulis Remonstrantiâ comprehentis questi sunt, eamque obscuritates, ambiguitates, ac tandem sententias Scripturæ Sacræ repugnantes continere criminati sunt; omniâque hæc, tempore & loco opportuno, se probare paratos esse affirmarunt. Placuit Ordinibus Remonstrantium defensiones ad hanc criminationem audire: &, ne quid in re tanti momenti temerè decerneretur, visum fuit, ut utriusque partis sex in conventum Ordinum comparerent, qui depositâ certandi cupiditate, amicè & placidè totam controversiam coram Ordinibus inquirerent. Hæc fuit celebris illa Collatio Hagienfis, cujus crebra passim mentio fit. A partibus Remonstrantium missus inter alios fuit Episcopus, & licèt se ob juventutem, tum etiam quòd non ita pridem muneri Ecclesiastico inauguratus esset, ac tandem quòd Synodi Deputati magis se ei quàm aliis adversos ostenderent, excusatum mallet, Remonstrantes tamen, quibus ingenium ejus perspicax ac solers & eruditio non vulgaris perspecta erant, nulli meliùs causæ suæ defensionem se committere posse judicarunt. In ipsa collatione, Episcopus tam linguâ quàm calamo ita se gessit, ut omnibus eruditione, judicio & ingenio suo satisfecerit. Varia etiam scripta composuit, quæ in Collatione à Remonstrantibus exhibita sunt; quorum quædam manu ejus exarata adhuc apud me supersunt.

Illi adhibetur  
Ep. scopus.  
pius.

Antequam Collatio inchoaretur à Delegatis Classium Hollandiæ & West-Frisiæ contraria Remonstrantia (unde Contraremonstrantes fuere dicti) oblata est, qua prolixè Remonstrantiæ respondent; cui postea Remonstrantes, libello seorsim edito, titulo *Pressioris Declarationis*, fuisse responderunt. Post habitam Collationem de sopiendis hisce controversiis, utrique judicium

suam Ordinibus exhibuerunt : *Contraremonstrantes quidem suam , his verbis : Post longas ac maturas deliberationes , expensis omnibus modis possibilibus & consuetis , non potuimus in timore Domini comprehendere , commodiorem ullam viam posse deligi , aut in manus sumi , per quam difficultates istæ penitus componi cum dexteritate possint , quàm ut primo quoque tempore ex auctoritate Illustriss. & Pot. D. D. Ordinum Generalium evocetur & celebretur Synodus Nationalis , in qua controversiæ plenè aperiuntur , examinentur , & ex verbo Dei iudicentur ; atque in qua porrò talis mutuæ tolerantie & conversationis ordo de communi sententia sanciat , ut per eam tandem aliquando generalis aliqua ratio pacis ac concordie stabilietur , exorituris porrò dissidiis , exacerbationibus , offendiculis , schismatibus , similibusque difficultatibus tempestivè occurratur . Remonstrantes verò his verbis suum iudicium expresserunt : Rebus omnibus etiam atque etiam expensis , cùmque omnibus suis circumstantiis bene ac maturè examinatis , profiteamur , non habere nos in presentiarum salubrius magisque idoneum consilium , quod Illust. D. D. Vestris suggeramus , consilio Beati Apostoli Pauli ad Corinthios Cap. III. 3 , 4. &c. ad vers. 15. Interea verò ex ejusdem Apostoli consilio , incedamus regulâ ad quam pervenimus , expectantes dum Deus , si quis aliter sentit quàm nos , hoc quoque ipsi revelet , ad Philipp. III. 15 , 16. Et mox : Nulla nobis videtur ratio iniri posse concordie certior , eâ ipsâ quam commendavimus tolerantiam . Nulla certè hoc tempore , tantisper dum animi justo acquirius incensi atque inflammati , imò & alienati à se invicem , paulatim deservere fiant , componantur , atque coalescant , ut habitâ hoc modo mutuâ communicatione , in libera , partibus minimè addicta , ac moderata Synodo Ecclesiastica , quæ sub Illust. D. D. vestrarum auctoritate ,*

*præsidio ,*

*præsidio, judicio, moderatione suo tempore haberi poterit, tota res attentius introspecti atque expendi possit; nosque omnes vel in unam sententiam perducamur; vel, si ex usu ita videatur, judicetur utra istarum duarum sententiarum veritati Scripturarum, & ædificationi quæ est secundum pietatem sit convenientior: ut re cognita is postea ordo instituat, quem secundum verbum Dei ad ejus gloriam, Reipublicæ incolumitatem & Ecclesiæ incrementum, maximè judicabunt Illust. D. D. Vestra expedire. Utrique judicium suum variis allatis rationibus Ordinibus persuadere conabantur. Ordines neutri contententium parti victoriæ palmam attribuerunt; sed utrique parti mutuam commendarunt tolerantiam, ac declararunt, prout nunquam ipsis placuerat, ita nec etiamnum placere, ut ulli Ministrorum sententia Remonstrantium de quinque articulis obruderetur, & ab altera, ut nemo ultra sententiam illam contra conscientia suæ dictamen gravaretur, sed ut utriusque partis tam qui ministerio jam fungerentur, quam in posterum illi inaugurandi, tanquam fratres Christianam caritate mutuo se amplectantur, & in doctrina ac conversatione pacem sectentur.*

Non tamen hoc decretum exacerbatos animos placare potuit. Rotterodami tantas turbas excitaverat Gefelius, ut res apertè schisma spectaret. Ad id impediendum, voluit Magistratus, ut coram se disceptarent Gefelius & Grevinchovius; at se hoc solum facturum negante Gefelio, unicuique comitem adjungi placuit. Grevinchovius, assumpto sibi Episcopio, cum venisset, solus adfuit Gefelius, nullum è Classe comitem inveniri sibi potuisse dicens. Elapsâ hebdomade, unâ cum Smoutio venit, sed multis inanibus & quæsitis subterfugiis disceptationem declinavit. Deinde palam seditiones in urbe

It ad  
compo-  
nenda  
dissidia  
Rottero-  
damum.

cùm moveret , primò munere Ecclesiastico deftitutus , & tandem ipsâ urbe excedere justus est.

Ultraje-  
ctum ad  
functio-  
nem Ec-  
clesiasti-  
cam vo-  
catur.

Magistratus ac Ecclesia Trajecti ad Rhenum quibus innotuerant cùm eruditio , tum solertia Episcopii, eum ad ordinarium Ecclesiæ suæ Ministerium obeundum, trigesimo Septembris, anno MDCXI. vocaverunt. Episcopus se vocacionem accepturum, modò & Magistratus Rotterodamensis, & sua Ecclesia assentirentur, pollicitus est. Magistratus Rotterodamensis primò planè recusavit, mox assiduâ postulatione Trajectinorum victus, cõsensit: sed non nisi his conditionibus: 1. Si & Episcopus & ipsa Bleisvicensis Ecclesia rem probarent: 2. Si quandocumque Rotterodamenses egerent ejus Ministerio, Trajectini eum dimitterent: 3. Si uti eo liceret, in disceptationibus ac diffidiis & Rotterodami & Hagæ-Comitis: 4. Si Trajectini, si fortè Academia Leidensis eum vocaret, hominem dimitterent: 5. Ac denique si, antequàm alius in ejus locum susceptus esset, non abiret. Verùm Trajectini cum quibusdam Magistratûs Rotterodamensis Deputatis Bleisvicum profecti, quum Bleisvicenses nullo modo ad assentiendum adduci possent, re infectâ domum reversi sunt. Interim quoniam Episcopus in se id munus suscepisset, & Magistratus Rotterodamensis comprobasset, nec quidquam, præter Ecclesiam Bleisvicensem, obstaculo esset; sperabant adhuc Trajectini, se brevi Episcopium habituros. At majoris momenti res incidit, quâ hæc omnia irrita facta sunt.

1612.  
Creatur  
Theolo-  
giz Pro-  
fessor  
Leidæ.

In Academia Lugdunensi, cùm vacaret locus Professoris Francisci Gomari, qui suo munere sese abdicaverat, ac Joannes Polyander unicus esset Theologiæ Professor, nuper ad id munus obeundum Dordracò accitus, Curatores ejus

Aca-



Academiae, decimo quinto Februarii Anni MDCXII. in Francisci Gomari locum Episcopium Theologiae Professore creatum. Sequenti hebdomade, vigesimo tertio, nempe, ejusdem mensis, postulantibus Curatoribus, de *optima regni Christi exstruendi ratione*, orationem suam inauguralem habuit. Ad orationem eam se parante Episcopo, Curatores Professore Polyandrum certiore fecere de Collega quem ei elegerant. *Ille se optasse respondit, loco Episcopii alium, vel saltem Joannem Arnoldi Corvinum, fuisse electum. Quoniam tamen hoc ita Curatoribus visum fuerat, reputare eos semper apud se debere, rem se inscio & inconsulto, ceptam & confectam fuisse, ut idipsum semper dicere posset; simulque monere Episcopium, ut secum pacifice & concorditer vivere niteretur, quem parum sociabilem ac disceptationibus deditum audiverat. At viros litteratos contemptum ferre nequire.* Vigesimo primo Februarii, ex sententia Classis Rotterodamensis, ab Ecclesia Bleisvicensi dimissus, & specioso admodum testimonio ornatus est. Orationem eo habente, fremitus Studiosorum quorundam exaudiebatur, sed nec diuturnus is fuit, nec in plures propagatus est. Festus Hommius Episcopium quoque salutatum venit, sibi gratum esse inquiring, hoc munus impostum ei esse, quoniam ipsum, fratresque ejus pacis amantes noverat. Triduo ferme post Consules Lugdunenses, convocato Senatu Academico, sese, Studiosos quosdam consilia agitare de explodendo Episcopo, andivisse dixerunt, ideoque edicto coercendos censuere, quod Senatus probavit. Vigesimo octavo hujus mensis die, coram Curatoribus, Rectore aliisque quibusdam Professoribus, dum primam lectionem in verba Pauli ad Romanos I. 16. haberet,

beret, fremitus, haud magni tamen momenti, iterum orsus est. Duabus aliis lectionibus, quas in eundem locum habuit, omnia tranquilla fuere, nec quidquam simile ei umquam postea accidit.

Quidam  
ex Am-  
steloda-  
menfibus  
Miniftris  
ipfi in-  
fenfi.

Onus Professionis Theologicæ Episcopus sustinebat, cum non ita pridem viginti novem annos attigisset; onus profectò grave, si ad ætatem ejus respicias, sed quod deerat annis, id eruditio & acre ingenium satis superque compensabant; quibus imperterrita accedebat constantia, quâ omnia in se tentata parvi faciebat; præterquam enim quòd eo vivebat tempore, quo non solum magna cura & sollicitudo adhibendæ, verum etiam magna prudentia ad Ecclesiam administrandam erat, maximè ei Adversarii, utpote ad superiorem dignitatem evecto, infensi erant. Tempore Paschatis, cum Nicolao Grevinchovio & Joanne Corvino quum profectus esset Amstelodamum, illico adventus eorum rumor per urbem sparsus fuit. Plancium concionantem audivere, deinde Triglandium. Magnus circa eos fiebat hominum concursus, aliorum attentè eos intuentium, aliorum verò cum in Ecclesia, tum in plateis convitiis laceffentium. Biduo fermè post Amstelodamum quoque venit Joannes Uytenbogardus. Vocati omnes ad epulas fuerunt à D. Brasserio, invitatis quoque Miniftris Plancio, Roelando, & Le Maire. Roelandus ab alio jam vocatus venturum se illico negavit. Plancius & Le Maire primò polliciti postea recusarunt, causati, *se cum ejusmodi perturbatoribus, absque magno Ecclesiæ suæ scandalo, epulari non posse.* Sub idem ferè tempus, in Synodo Gallica propositum quoque est, num Studiosi Galli ab audiendis Episcopi prælectionibus arceri deberent. At hoc negotium prudentiæ

dentia Danielis Colonii Gallici Collegii Regentis mandatum est.

Episcopus verò obire suum munus pergens, ex secundo & tertio Capite Apocalypseos Joannis, quatuor Epistolas ad Ecclesias Ephesiam, Smyrnensem, Sardensem, & Philadelphensem scriptas exposuit. Dum autem Epistolam ad Ecclesiam Smyrnensem scriptam explicare inciperet, Studiosus quidam Gallus in Academia rumorem sparsit, Episcopium illa verba, *ego sum primus & ultimus*, & alia quædam secundum Socini sententiam exposuisse; omniâque decem comprehendit articulis, quibus Episcopium suspectum facere conabatur, quòd iisdem, quibus Socinus, loquendi modis uteretur, & Scripturam prout Socinus explicaret. Horum articulorum apographum nactus Episcopus, singillatim eos refellit, in animo habens hanc refutationem prælo subjicere, si rumor latius serperet. Jam hæc ad aures Abrahami Sculteti Professoris Heidelbergensis, qui Comitem Palatinum in Angliam proficiscentem comitabatur, pervernerant, quod familiari colloquio, quod Hagæ-Comitis cum Uytenbogardo & Episcopio habuit, fatis indicavit; sed statim ac sese purgantem audivit Episcopium, *magis se ei credere dixit, quoniam lectiones dictatæ non essent & quòd suspicacibus difficulter satisfacere quis possit, ut & sibi ante decem annos Heidelbergæ acciderat*. Reliquus sermo inter eos erat, de diffidiis Ecclesiarum in Provinciis Fœderatis componendis, ac omnibus ad pacem dirigendis; cui rei se enixè operam dedisse, & adhuc ad idem faciendum paratos esse Uytenbogardus & Episcopus prædicabant; at Contraremonstrantes à pace alienos esse ostendebant. Haud multò post huic Gallo Studioso obviam fit Episcopus, & postquam multis cum

Studio-  
sus Gal-  
lus Epi-  
scopium  
Socinia-  
nismi  
suspe-  
ctum fa-  
cere ai-  
tur.

eo de hisce articulis egisset, monuit eum *pacem sectaretur, leves ejusmodi suspiciones paci repugnare, illis minimè indulgendum esse; officium ejus postulare, ut antequàm hac temerè vulgaret, se priùs conveniret.* Ille verò sese errasse fateri, *nec sine dolore agnoscere se eâ ratione pacem non quasivisse; attamen prudentiorem in posterum se futurum, & pravam suspensionem, quâ quosdam imbuerat, pro virili iis adempturum polliceri.*

Collo-  
quium  
cum  
Flandris  
quibus-  
dam.

Eodem anno, duo primùm, deinde quatuor Flandri Lugduni degentes Episcopium convenire, inhumanè admodum rogantes eum, *dixissetne circa omnia se eadem sentire quæ novi Jesuitæ, exceptis duobus articulis, carimonii, nempe, & Transsubstantiatione?* Hoc quidem negavit Episcopus, sed factus nihilominùs est, se circa dogma Prædestinationis in eadem esse sententia, quâ quidam Jesuitæ: ut contra alii ex Catholicis circa id dogma eadem, quæ Contraremonstrantes, sentiebant. Fortè quis crederet exigui hæc nimis esse momenti, quàm ut in medium proferantur; sed post elapsos fermè quatuor annos, rumor hic palam iterum editis epistolis, libellisque, per totum Belgium, sparsus fuit; imò Plancius Amstelodami, è cathedra pronunciare non dubitavit, *Episcopium coram octo testibus dixisse, se in Jesuitarum stare partibus, ac cum Antwerpia, Bruxellis & Lovanii esset, admodum bene sibi cum illi convenisse.* Quum à Plancio exigeretur ut hæc aliâque his similia, quæ dixerat, probaret, libellos hac de re editos, tamquam fidos testes, adduxit. Sed hæc majorum solummodo certaminum prologia fuere.

Episco-  
pius fra-  
tris sui  
infantis  
in bap-  
tismo su-  
ceptor  
et

Anno millesimo sexcentesimo decimo tertio, rogatus fuit Episcopus à fratre suo Joanne, ut susceptor in baptismo esset primogenitæ filia. Episcopus hæsitabat, considerans, id quod nuper

nuper Joanni Uytenbogardo acciderat. Mense  
 Februario. Uytenbogardus tamquam susceptor  
 baptismo infantis uxoris suæ filii, Guilielmi  
 Lindemanni, interfuerat; ubi cùm Plancius ad  
 secundam interrogationem pervenisset, rogasset-  
 que eum *annon doctrinam in Vetere Novoque Te-  
 stamento, & Christianæ Fidei articulis comprehen-  
 sam, ac quæ hîc in Ecclesia docetur* (cùm ex de-  
 creto Synodi anni MDLXXVI, consuetudi-  
 nêmque, quæ ubique invaluit, & secundùm  
 formulas in libellis, è quibus præleguntur, edi-  
 tas. rogare eum oportuisset, *ac iis consentanea in  
 Christiana Ecclesia docetur*) *veram & perfectam  
 salutis doctrinam esse confiteretur*; Uytenbogar-  
 dus, haud animadversâ illâ mutatione, incau-  
 tè prout mos erat, hæc se fateri dixerat. Po-  
 stea autem publicè per plateam incedenti obje-  
 ctum est à plebe, Remonstrantium eum senten-  
 tiam abjurasse. Quare deinde epistolâ cùm ad  
 Magistratum, tum ad Plancium, distinctiùs men-  
 tem suam explicuit. Episcopus hoc motus  
 exemplo ac metuens ne quid tale sibi accideret,  
 non audebat interesse baptismo fratris sui filiæ.  
 Attamen quoniam infans baptizanda erat, non  
 concionante Plancio, sed Casparo Heidano, qui  
 consueverat semper usitata formula uti, &, ut  
 animadverterant quidam, etiam post Plancii  
 mutationem; vinci se patitur Episcopus, atque  
 Heidanium, de creatione hominis è terra, con-  
 cionantem audit. Finitâ concione, ut infans  
 baptizaretur, Episcopus ad Ministrum propiùs  
 accessit, qui lectâ formulâ, interrogationes non  
 ut solebat, ex edito prælegit libello, sed eodem  
 modo, quo Plancius, eas proposuit. Episco-  
 pius, auditâ hac in rogando mutatione, *quæ  
 me rogas*, inquit, *confiteor, sed secundùm formulam,  
 quæ habet, ac iis consentanea.* Sub hæc quæren-  
 te,

Inde ortæ  
 conten-  
 tio.

te Heidano *quid diceret?* Sua verba Episcopus repetiit. Tum ille: *pudeat te, inquit, quòd quum sis juvenis, ita in Ecclesia Christi te geras: si qua dicenda habes ea mihi dicere domi meæ debuisses, sed non palam in Ecclesia Dei, scis ubi degam; reputes oportet, quidnam in concione dictum sit, præter terram & pulverem te nihil esse, ideòque tam elatum & superbum esse non debere.* Ad ea Episcopus nihil aliud, nisi, *si frater hoc responso contentus non esset, se abiturum.* Baptizata tamen fuit infans. Episcopus, dum templo egrederetur populus, Heidanium alloqui in animo habuit, at illum in baptisterio remanentem convenire non potuit. Interea Episcopus à muliere convitiis laceffitur, *si verus Christianus esset, ac in Ecclesia contradicere vellet, ipsum Heidanium alloqueretur, etque suas rationes exponeret.* Episcopus, hoc equidem se facturum ait, *sed ne tumultus excitaretur, jam omittit.* Ambulantem interea in Ecclesia nunc hic, nunc ille probris petebat, tandem ipse Janitor venit, clamitans *velle se illum videre hominem, ubinam esset? hicine esset?* Episcopiùmque pallio apprehendit; frater tamen ejus hominem lenibus verbis sedavit. Plures interim dum undique concurrerent, visum fuit Episcopo iterum ad Ministros nondum egressos regredi, quos in hunc modum alloquutus est. *Video, fratres, magnum necopinatò hîc excitari tumultum: haud credideram Heidanium mihi talem propositurum quæstionem, sed usitatam secuturum fuisse formulam, cui respondere paratus eram, ac satisfacere sperabam.* Ad hæc Heidanus *mirari se ejus audaciam* ait. Rogans Episcopus, *quam in re audacia usus esset?* dixit, *eum potius esse audacem, quoniam novis ejusmodi formulis causam tumultus præberet.* Tum Heidanus: *quid tibi in Ecclesia negotii erat?* Hoc quidem nosti, inquit, Episco-

*Episcopus, frater ad baptismum filia sua me vocavit. Heidanus iterum: extra Ecclesiam remanere debuisses. Hoc visum non est, ait Episcopus. Heidanus deinde cum qua sivillet, esse ne Professor Episcopus? ac ille se eum esse affirmasset; decreto Ordinum te impetam, inquit. Regessit Episcopus: rectè, videbo quid contineat, sed ego tuae formulæ in Synodo constitutam formulam opponam, cui adversari Ordinum decretum haud puto. Ac sese ad Ministrum Hallium convertens, Frater, inquit, quinam hi agendi modi sunt? an ita Ecclesiae membra formulas sequi parata, peculiari quadam ratione interrogabuntur? Potuine illas à conscientia aliter respondere, quam feci? Annon notum satis erat me palam sententiae Ecclesiae hujus contradixisse? Quomodo autem ejusmodi interrogatis assentiri possem, cum præter unam, aut alteram, eamque obiter auditam concionem, nihil audiam eorum, quæ hîc docentur? Ad ea Hallius: nonne recta tibi videtur doctrina, quæ hîc docetur? Hæc est cum verbo Dei conveniens doctrina. Nostrane Ecclesia igitur Christiana non est? Reliqui, qui baptismo quoque adfuerant, cum aliis Ministris colloquebantur; quibus salutatis cum abirent, à variis laceffiti sunt, ac præcipuè ad fores à turbulentis quibusdam feminis, quibus se adjungebant viri objicientes Episcopo, seditiosum eum esse, puerique dicentes: nulline lapides hîc sunt, itote & colligite saxa. Atque hoc modo multis clamoribus, minisque exagitati domum tandem pervenere. Hoc quidem secundo die Aprilis anni MDCXIII contigit.*

Postridie ad Consules Episcopus venire iussus, *Quidnam monitus est ab iis imprudenter se eum egisse, quod ipsi in conclavi cum sciret Uytenbogardo nuper tale quid accidisse, atque ex eo facile colligere posset, sibi simile quoque accidere posse, ad Ministros non ivisset, ac ab iis petiisset,*

*ipsi in conclavi Consul- lum ob hæc acciderit.*

tiisset, ut uterentur formula, cui respondere non gravaretur; deinde quòd ita necopinatò interrogatus, ut omnem vitaret tumultum, non potiùs tacuisset. Ac primùm respondit Episcopus, se quidem maturè omnia priùs perpendisse, ac ejusmodi rationibus fuisse impulsum, ex quibus crediderat fore ut sibi, quod Uytenbogardo contigerat, non accideret; quoniam audiisset multos è Magistratu Plancii aetionem agrè tulisse, eum ideò ab Ecclesiastico Synedrio fuisse increpitum, ac unum è Magistratu, qui hac de re quemdam Concionatorem allocutus erat, responsum tulisse, quamvis semel hoc contigisset, non fore ut iterum accideret: sese tamen, animadverso irrequieto Plancii animo, tempus elegisse, quo Heidanus concionaretur, qui moderatiùs semper se gesserat, ac postquàm Uytenbogardo id acciderat, formula rectè usus erat. Ad secundum quod attinet, si tacuissem, inquit, annon tamen infans baptizata fuisset? tum igitur nostro silentio, interrogationem comprobassemus; vel judicantne Consules infantem non baptizatam domum fuisse reportandam? Tum unus è Consulibus oportuisset, inquit, te postea ad Concionatores ivisse, atque ab iis postulasse, ut usitatam legerent formulam, alioqui te respondere nequire. Ad hæc Episcopus: Reputate, Consules, an verisimile quidem sit Concionatores, ut mihi fratrisque meo satisfacerent, formulam prælecturos fuisse, cum quotidie in me invebantur, & è Cathedra me probris petant? Me quoque, sicut Uytenbogardum, mutum canem appellassent, qui, cum tempus postulat, loqui, & cum interrogatur respondere non audet; præterquàm quòd ejusmodi publica respondendi recusatio non minorem excitasset tumultum. Tamen, inquit Consulum quidam, ex tuo responso ortus est tumultus. Verum quidem est, ait Episcopus, sed hæc omnia unico verbo vitare potuisset Heidanus, modò se talem interrogationi subjecera

subjecera



*Subjicere sensum dixisset. Hoc verum est, inquit Consul, utinam factum esset! Alius verò aiebat: Haud sanè scio an rectum quidem esset, tui gratiâ, formulam mutare. Respondit Episcopus, nullam se velle mutationem aut novationem, nec petere ut Heidannus aut contra conscientiam suam, aut statutum Ecclesiæ, vel adversùs id, quod semper consueverat, quidquam diceret vel ageret, sed solummodo ut formulam sequeretur, vel eo sensu acciperet, quem Synodus anno MDLXXXVI expressit, & sicut in libris propterea in Cathedra positus habetur. Cùm tamen à sententia non recederent, nempe, Episcopium ad eam interrogationem tacere debuisse, hæc ait: Quoniam hoc silentium, Consules, tantopere vos urgere animadverto, quæso reputate, an respondendo eo modo, quo feci, tanta noxa sit admissa? Potueritne quisquam magis Christianè, vel æquiùs respondere? Annon talis sit interrogationis sensus, vel saltem in Ecclesia Reformata esse debeat, ut id quod ex Dei verbo docetur, unicè ut verum agnosci oporteat? Si verò hic sit sensus, quare responsum eum sensum complectens agrè ferunt? Præterea aliter respondere mihi haud licuit, utpote qui palam prædicaverim multa me doctrinæ, quæ à quibusdam hæc docetur, contraria credere. Consul dixit, formula quidem usum non esse Heidannum, sed Episcopo dixisse, se ea usum credidisse. Rectè, respondit Episcopus; sed quare igitur agrè tulit æquum meum, & cum ejus opinione conveniens responsum? Ille, inquit Consul, mihi te sibi non fuisse notum testatus est. Ad ea Episcopus, se judicare, ait, ex composito & de industria hoc ita factum esse, quoniam se in urbe esse Heidannum sciret, fratremque suum probè nosset, uxoremque ejus non ita pridem peperisse; ac verisimile esset se, primo quoque tempore, susceptorem baptismo interfuturum; item quod præter consuetudinem tot adfuerant Con-*

cionatores ; & præcipuè quidem quòd Heidannus , etiam postquam tale quid Uytenbogardo à Plancio accidisset , tamen non ita interrogationem proposuisset ; ac demum licèt Heidannus se non nosset , ob id responsum tam malè se excipi non debuisse. Sub hæc de diffidiis Ecclesiasticis collocuti sunt , & quonam maximè modo componi ea possent. Tandem ab Episcopio unus è Consulibus petiit , ut quòd ab Heidano factum fuerat , æquo animo ferret , nec ejus meminisse vellet , omnesque simultates deponeret , atque res Ecclesiasticas eò dirigere niteretur , ut tranquillè , pacificèque una Ecclesia remaneret. Ad quæ Episcopus : naturâ sibi insitam non esse ultionis cupiditatem , atque ut ab ea re abstineret munere suo se moneri ; ac se potiùs , sicut caritas postulat , omnem suspensionem dimittere velle , quàm adversùs ingenuam Heidani declarationem , ipsum ex composito hoc non fecisse , eam retinere ; promisitque , quantum in se esset , annisurum ut pax atque quies in patria florerent. Rectè facturum cuncti dixerunt , atque his dictis Episcopus abiit.

Quidnam ei à turbulentiis hominibus in platea factum.

Post meridiem egresso obviam venit in Templo Veteri quidam faber ferrarius , clamitans : *hiccine est tumultuator ?* Adiciebat ejus hominis uxor , jamdudum in ergastulum conjectum esse credidi : sub vesperam unâ cum Werfio Consule Leidensi prætergressus hujus fabri domum , iterum ab eo probris laceffitus fuit. *Simon , hoccine de te credideram ? Vah ! tu ne Professor es ? imò verò nebulo potiùs ac verbero &c.* Tanto furore percitus homo erat , ut Episcopium prætereuntem conspicatus , manu adhuc tenens candens ferrum , quod super incende sargebat , officinâ eruperit , cùmque sit infecutus. Fabri uxor clamitabat interea , *suspensendus quibmodi homines , ut in aère putrescerent* . Alius post cœmeterium admodum ferociter clamavit : *progrediaris modò extra*

*extra portam, scelestè. Nemo tamen manus in eum injecit.*

Anno MDCXIV. præstantis suæ explicatio-  
 nis primæ Epistolæ Apostoli Joannis initium fe-  
 cit. Antequàm in lucem prodiret, varii de ea  
 rumores sparsi sunt. Joannes Hoornbekius  
 Professor non solùm sæpè dicere, verùm etiam  
 in editis libris scribere non dubitavit, *Episco-  
 pium cùm Leidæ Epistolam Joannis, vel alia publi-  
 cis lectionibus explicaret, dictata Socini tradidisse,  
 non adeò cognita tum temporis vel trita, quæ postea  
 patuere.* Post editam autem à me, dum viveret  
 adhuc Hoornbekius, hanc Episcopii explicatio-  
 nem, criminatio hæc planè evanuit. Ex colla-  
 tione enim Scriptorum, magnum inter ea  
 discrimen deprehenditur, non modò ad rerum co-  
 piam quod attinet, verùm etiam circa tracta-  
 tionis rationem, adeò ut Episcopus multis in  
 locis Socini explanationes vehementer refellat.  
 Itaque vera, falsa, omnia congesta sunt, ut  
 Episcopus hæreseos suspectus fieret. Hoc eod-  
 em anno Hollandiæ ac West-Frisiæ Ordines de-  
 cretum edidere pro pace Ecclesiarum, quo ex-  
 trema quædam circa doctrinam de Prædestina-  
 tione publicè pro concione doceri vetant, ad-  
 duntque: *Qui verò supra nec docent nec sentiunt,  
 quàm à Deo omnipotente ab aeterno ad salutem per-  
 petuam electos, pro benevolò affectu voluntatis ipsius  
 fundato in Jesu Christo Redemptore & Servatore no-  
 stro, eos qui per impromeritam gratiam & Spiritus  
 Sancti operationem in Jesum Christum Dominum no-  
 strum credunt, & in fide per similem impromeritam  
 gratiam ad finem usque perseverant; contra verò ad  
 damnationem rejectos eos qui in Jesum Christum non  
 credunt, & in incredulitate ad finem perseverant; hos  
 nolumus eo nomine molestiam pati, aut urgeri ut  
 supra doceant aut sentiunt: quum eam ipsam docen-*

1614.  
 Incipit  
 explica-  
 tionem  
 suam  
 primæ  
 epistolæ  
 Joannis;

*di formam judicemus ad salutem sufficere, & ad Christianam instructionem esse idoneam.* Hoc decreto Ordines mutuam sancivere in negotio Prædestinationis tolerantiam. Remonstrantes se illi decreto morigeros præbuerunt. Verùm Contraremonstrantes, editis libellis, illi se opposuerunt: decreti autem defensionem susceperunt Remonstrantes: atque ita per contentiones istas finis ille Ecclesiæ maximè salutaris, quem Ordines intendebant, obtineri non potuit.

1615.  
Ipsū  
Lugdunū  
Biravonū  
eo  
adduce-  
re tenta-  
runt, ut  
illuc ordi-  
nario  
munere  
Eccle-  
siastæ  
quoque  
fungere-  
tur.

Sequente anno MDCXV, in Confessu Magistratus Lugdunensis, consilium initum est, ut Episcopus in ea urbe ordinario munere Ecclesiastæ quoque fungeretur. Hac de causa, ad Syndicum Urbis accitus sese huic Ministerio, quo unaquaque die Dominicâ concionandum erat, suscipiendo paratum non esse dixit, hisce allatis rationibus; nempe, ad obeunda quæ ad Academiam pertinerent munia, præter alia plurima negotia, satis occupatum se esse, ac præsertim quòd tunc aliquot Flandrorum & Ecclesiastici Synedrii Censuræ subjicere se deberet, qui perpetua fortè negotia sibi facefferent. Attamen ut aliis adjumento esset, sive alia quacumque occasione, interdum concionari quidem se velle ait; sed ordinarium Ministerium, sicut reliqui, obire, nisi hoc Magistratus enixè à se exigeret, vel tempus hoc ita postulare videretur, se gravari. Ad ea responsum à Syndico est: quamquam Magistratus admodum cupiebat eum hoc suscipere Ministerium, non tamen reluctantem ad id impellere velle. Licèt res non processerit, aliquando tamen Episcopus non tantùm Lugduni, verùm etiam aliis in locis concionatus est.

Recrea-  
tionis  
causâ  
Lute-  
ciam pro-  
ficiscitur.

Eodem anno, quiddam accidit, quapropter Episcopo negotium iniquè faceffitum est, ac sinistri

nistri rumores in existimationem ejus spargebantur. Diebus Canicularibus, dum per aliquot hebdomadas Academicæ cessant exercitationes, Parisios, ad urbem eam visendam, se contulerat. Dum illic erat videns inopinatò Concionatorem Cloppenburgium, qui ipso inscio illuc quoque profectus erat, ingeniúmque ejus noscens malignum, illico animo præfagiit multos finistros rumores de hoc suo itinere in patria sparsum iri. Jasonémque Bylandium Concionatorem Legati Illust. Ordinum in Gallia hujus sui præfagii participem fecit. Docuit postea eventus probè eum divinasse. Vix enim domum reverso, sermonibus hominum id iter proficiendebatur: imò Plancius palam divulgabat, Episcopium clandestina cum Jesuitis, ac cum Petro Cottonio eorum principe, in damnum Reformatæ Religionis, habuisse consilia; eúmque Petri Molinæi congressum de industria vitasse; vel, ut aiebant alii, Molinæum Episcopii colloquium declinasse, quoniam vidisset ille, nimis familiariter inimicis patriæ, Religionisque Reformatæ eum usum esse. Episcopus sibi conscius vanum hunc esse rumorem, utpote qui per paucos dies subsisterat Lutetiæ, Cottoniúmque semel omnino, idque obiter venientem à Rege, adscendentémque currum viderat, numquam autem adloquutus erat, Molinæum verò bis quidem in ædibus ejus quæsierat, ad Ministrum Jasonem Bylandium, ad falsum hunc extinguendum rumorem, scripsit, testimoniúmque ab eo petiit. Sed legatus ipse Episcopo patentes litteras suóque munitas sigillo, dedit, sequentia habentes. *Nos Gedeon à Boetseler & Asperen, Dominus Langeraci, Neoporti, Carnis, &c. Illustrium ac Præp. Ordinum, Generalium fœderati Belgii in regnum Galliæ legatus compertum habentes è quibusdam litteris ad domesti-*

Rumores propterea sparsi.

Testimonium à legato Episcopo traditum.

cum nostrum *Ministrum Dominum Bylandium* ex *Hollandia* scriptis, malevolos & mendaces homines divulgare illic, reverendum, doctissimumque *Dominum Episcopium Theologiae in Universitate Lugdunensi* Professore (qui mense *Augusti Lutetia* fuit) sese *Jesuitis* quibusdam, & praesertim *Petro Cottonio* adunxisse, atque cum eo in *damnum Patriae* occulta habuisse colloquia, item *Dominum Episcopium Petri Molinai* vitasse ac fugisse colloquium; ideò, ad *veritatem in lucem proferendam*, ac bonam *Episcopii famam* ab omni suspitione, ac falsis calumniis vindicandam, unicuique, qui hasce patentes litteras vel videbit, vel legi audiet, testamur ac bonâ conscientia profitemur, falsum planè esse rumorem ac figmentum, eumque *Dominum Episcopium* numquam vel cum *Jesuitis*, vel cum *Sacerdotibus, Monachis, aliisque Catholicæ Religionis* addictis congressum esse; sed è contrario prudenter admodum & cautè in omnibus se gessisse, imò eorum *Ecclesias & Collegia* frequentare gravatum fuisse. Quæ *Dominus Bylandius* *Concionator* noster, eum exiguo, quo hic fuit, tempore, ubique comitatus, testatur; qui & insuper declarat, *Episcopium* non solum *Domini Molinai* domum & colloquium non fugisse, verum se eum ad ipsius aedes deduxisse, sed domi non reperisse; ideòque *Episcopium* cum intellexisset ad prandium apud nos vocatum quoque esse *Dominum Molinæum*, admodum gavisum fuisse, utpote in eam spem erectum, fore ut occasionem videndi & alloquendi *Molinæum* semel nancisceretur. At cum is, propter incidentia quædam negotia, ad epulas tunc temporis venire non potuerit, *Episcopus* illum non allocutus, tandem postridie hinc profectus est, quoniam tempus, ac praesertim turbæ & intestinum bellum, eum amplius hic commorari vetabant. Ad fidem veritatis solito nostro chirographo hancce subscripsimus, sigilloque munimus. Datum *Parisiis VI. Novembris* an-

no MDCXV. Subsignatum erat, G. à Boetseler & Asperen. Postulante Legato, epistolam ad Polyandrum Molinæus quoque adjecit, quâ testatur, *audivisse se Episcopium Charentoni: suæ concioni adfuisse, sed antequàm Episcopus profectus iterum esset, sibi hoc non innotuisse; quòd si id scivisset, se eum post finitam concionem, in ejus diversorio fuisse quæsiturum.* Addit præterea ad epulas ab illustri Legato se unà cum Episcopo fuisse vocatum, at quoniam & ipse ad convivium quosdam invitarat, venire non potuisse; item Legati Concionatorem dixi se sibi, bis cum Episcopo ipsum se quæsivisse, at domi non reperisse. Ostensis hisce litteris, falsus rumor illico evanuit. Haud diuturna tamen Episcopo quies fuit. Festus Hommius, qui illi, post habitam Orationem inauguralem, gratulatus fuerat Professionem, eamque Episcopo delatam esse gaudere se testatus, quia ipsum fratresque ejus homines pacis amantes esse noverat, jam aliquoties rumores de Episcopii heterodoxia spargere conatus est: sed quoniam pluribus testibus convinci non potuit, verba sua uni tantum dicta negavit. Tandem anno MDCCXVI Festus, quod diu celavit, aperuit, occasione Disputationis ab Episcopo habitæ de *Convenientia & Discrimine Veteris ac Novi Testamenti*, in qua Festus multa ab Episcopo dicta ac defensa aiebat, quæ Socini doctrinam redolebant. Episcopus vocatus fuit à D. D. Curatoribus, ac D. Mylius causam cur vocatus esset exposuit; quòd D. D. Curatores pridie ex ore viri cujusdam eximii intellexerant, in ipsius *Thesibus ante biduum ad disputandum propositis, & in ipsa Disputatione, aliena quædam ac inaudita fuisse defensa, & ubique novas loquendi formulas, & nominatim Socini phrasas usurpatas; unde facillè colligi possit, alia longè quàm quinque articulos inter Remonstrantes latere, Academiám-*

que intra quatuor vel quinque annos, planè Socinianam futuram. Nominatim etiam in ea defendi, posthac nullam fore resurrectionem mortuorum, sed resurrectionem mortuorum esse resurrectionem è morte peccati in novam & sanctam vitam, quod etiam ex *Thef. IX.* colligi poterat: Eaque de causa Episcopium citatum, ut ex ipso rei veritas cognoscatur. Respondit Episcopus: se nullius horum sibi conscium, neque divinare posse, unde ejusmodi rumores orti sint. Disputationem suam publicè esse habitam, presentibus multis doctis & Ecclesiasticis viris; optare se audire aut videre quempiam, qui ipsi in faciem audeat dicere, se in ea quicquam defendisse, quod novitatem aut falsitatem sapiat. Quod postremum attinet, nullam posthac fore mortuorum resurrectionem, meram aiebat esse calumniam, crassam nimis, quàm ut illius suspectus possit haberi Christianus. Socini phrasibus se neutiquam in Academia usum: *Theses* à se non esse conscriptas, sed à respondente, qui eas non ex Socini, sed potissimum ex *Arminii Thefibus* desumerat. Quod *Thef. IX.* dicitur, Gloriosam resurrectionem Jesu Christi esse causam moralem efficacissimam regenerationis nostræ, dicebat apud omnes Theologos esse in confesso, quia causa moralis nihil aliud est, nisi ratio sive argumentum suadens & inducens ad aliquid faciendum: inter argumenta autem suadentia pietatem & sanctimoniam, præcipuum atque efficacissimum est, resurrectio Christi gloriosa: sicut id clarè ex variis *Scripturæ* locis liquet, præsertim *1. Pet. 1. 3.* regenuit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis. Sed ipsi hoc adeò evidens videbatur, ut desideraret videre ac audire virum, qui ita de *Thefibus* suis judicasset. Et cum *D. D. Curatores* crederent hosce rumores primò à *Festo* sparsos, decretum fuit rogatu Episcopii, ut *Festus* citaretur, & de hisce interrogaretur. Itaque *Festus*



Festus primò seorsim est auditus, postea etiam vocatus Episcopus, cui D. van der Myle præfente Festo dixit, Festum esse qui cum D. Grotenhusio, Scabino ac Senatore Amstelodamensi, de Thesibus ac Disputatione ipsius locutus esset, Festumque D. Grotenhusio declarasse, *se Disputationi Episcopii interfuisse; & cum intellexisset ipsius declarationem & interpretationem Thes. IX. in ea acquievisse: quod verò Theses spectat, sibi in stylo & phrasibus, & quibusdam aliis non satis clarè expressis, quædam displicuisse; se putare eas Theses nimis esse doctas, quàm ut à Studiofo compositæ sint. Sed ut Episcopus omnia ex Festi ore audiret, mandatum fuit Festo, ut in ipsius præsentia ipse omnia exponeret. Festus narrabat sermonum suorum occasionem. Cùm à D. Grotenhusio mentio facta esset hodiernarum controversiarum, quæsitumque an nullum inveniri posset remedium controversiis hisce sopiendis idoneum, ut rursus optata quiete fruamur; ipse responderat, posse, si solummodò quæstio esset de Prædestinatione, aut quinque articulis in Collatione agitata, nihilque ulterius inter Remonstrantes lateret: quòd antehac magnas habuerint rationes de Remonstrantibus contrarium suspicandi, quòdque in suis suspensionibus quotidie confirmarentur, præsertim ex Thesibus Episcopii VII. die Maii disputatis, in quibus facillè observari poterat alium stylum aliasque phrasas usurpatas, quàm à Doctoribus nostris usurpari solent, & plerasque esse phrasas Socini: in illis inter alia etiam reperiri, causam moralem efficacissimam regenerationis nostræ esse gloriosam Christi resurrectionem: quòd non parum in suspicione sua per hæc Theses confirmaretur; attamen in Disputatione ipsa ea audivisset, quibus ipsi satisfactum esset; quod, inquebat, expressè addidi; & quia audivi aliquoties, patribus in Veteri Testamento promissiones*

*vita aeternæ esse factas, sed obscuras, typicas, verbis illis, Ego sum Deus tuus & feminis tui, comprehensas, etiamsi non disertas, aut in terminis, cum expressâ mentione vitæ aeternæ.*

Episcopus ad hæc respondit: Primò, *Se optasse, Festum, si quid in Thesibus suis vidisset, per quod in suspitione sua, quam de Remonstrantibus habebat, confirmaretur, priùs secum id communicasse, nec statim aliis revelasse, præsertim talibus, qui propter suam, quâ polleat, auctoritatem & eminentiam, læsione haud exiguâ famæ ac Ministerii sui id possent Amstelodami ac alibi narrare: Caritatem id exigere: potuisse enim evenire, ut se ita explicuisset, ut Festus acquievisset, quemadmodum in Disputatione factum erat. Verùm cum hoc non fecerit Festus, ad rem ipsam ita respondebat. Certum esse, Theses à respondente esse conscriptas, seque posse ostendere ipsum exemplar sibi à respondente oblatum, in quo pauca admodum correxisset: priores Disputationes à se esse scriptas, hanc verò à respondente, idque se liquidò ostendere posse: nihilominus tamen se credere nihil eas continere veritati adversum. Fure non posse dici novas & antehac inusitatas loquendi formulas iis contineri, quoniam Theses ex D. Arminii p. m. Thesibus de eadem materia potissimum desumptæ sint, in quibus nihil hæctenus à quoquam reprehensum sit. Phrases Socini in illis reperiri, se ignorare, neque credere posse à respondente usurpatas, quoniam advertisset ipsum potissimum Arminii Theses imitatum. In Thesi IX. quòd causa moralis efficacissima regenerationis nostræ sit resurrectio Christi gloriosa, mortem ejus consecuta, nescire se quid reprehendi aliqua cum specie possit. Nam inter rationes, quibus homo ad vitam Christianam excitatur, præcipuam ac efficacissimam esse continuam considerationem resurrectionis Christi ex mortuis, tanquam principis & capitis, cum quo tandem omnia membra corporis Christi unientur, ac proinde etiam posthac ex*

morte in vitam æternam suscitabuntur : Se per vocem , Moralis , evidenter distinctionem fecisse inter causas morales & physicas : has circa ipsam potentiam immediatè versari , eique vires novas & gratiam sufficientem imprimere atque indere : illas objectivè tantùm movere & actum elicere ex potentia , per actionem gratiæ physicam disposita & preparata. Inter has , quibus homo ad sanctè ac Christianè vivendum permovetur , præcipuam esse resurrectionem Christi , idque Scripturam passim docere. Inde concludebat , se manifestè discedere à sententia & phrasibus Socini ; quoniam ille causam physicam regenerationis efficientem planè rejicit , isque sit terminus planè scholasticus , quo Socinus uti non videtur. Ut dicta sua confirmaret rogavit Festum , an posset afferre validiorem ac efficaciorè rationem , quâ homines ad piam ac Christianam vitam invitentur ? Negavit Festus ; sed addebat , aliter se intellexisse , ac putasse Episcopium voluisse dicere , nullum alium nos ex resurrectione Christi percipere fructum , quàm ut per eam excitemur ad peccato valedicendum & justitiæ vivendum. Cùm Episcopus diceret , verba sua istum sensum admittere non posse ; dixit Festus , se acquiescere in illa declaratione ; addebatque , non tam se , quàm affinem suum Hermannum Kuchlinum illis verbis offensum ; se tamen aliquid Episcopii dictis responsurum. Ac primò , se sermone suo cum D. Grotenhusio nihil peccasse contra caritatem : nam licèt ipsi suspiciones suas ex Thesibus conceptas significasset , nihilominus expressè aliquoties addidisse , sibi in Disputatione plenè esse satisfactum. Et cùm D. D. Curatores dicerent , D. Grotenhusium nullam illius fecisse mentionem , ipse nihilominus dicebat , se id expressè , & quidem aliquoties , dixisse. Quod Theses attinet ; non sufficere eas ex Arminii Thesibus desumptas , ut inde concludatur , nihil novi aut alieni iis contineri ; quoniam

niam Arminius quadam scripserat, in quibus varia desiderabat, quæque magnam ipsi suspicionis causam dederant. Cùm Episcopus responderet, id sibi neutiquam verisimile esse, quoniam omnia quæ colligi potuerant ad gravandum Arminium, & per eum Remonstrantes, jam aliquoties collecta & typis edita fuissent, nihilque fuisset omissum, sed omnia diligentissimè investigata, ut aliquid reperiretur, quo vir ille post obitum suum posset crimine aliquo adspergi: si itaque quidpiam in Theſibus hisce reperiri potuisset, illud etiam jam olim adnotaturos fuisse. Dixit Festus, nisi ipse suasisset à scribendo esse abstinendum, quia oportet aliquem reliquis esse meliorem & moderatiorem, multò plura ex Arminii libris potuisse proferrì. Ad hæc respondit Episcopus, mirum sibi videri, Festum aliis dissuasuisse scriptiorem, cùm ipse abundè ad scribendum instructus esset: rogabatque, annon ipso auctore edita esset Collatio Delphensis, in qua omnes nominibus expressis essent publicè indicati, qui putabantur aliquid peculiare ultra quinque articulos fovere, speciatim nomina Arminii, Borrhii, Joannis Arnoldi, aliorumque essent nominata, omniàque quæ ex eorum libris corradi potuerunt essent prolata?

Hic D. Syndicus interloquebatur; D. Feste, tu sciebas quidem D. D. Ordines illius editionem venisse. Festus id intelligens de pleniore illius Collationis declaratione, Enchusæ edita, aiebat, se hætenus nescire, qua ratione illa edita esset. Cùm responderet Episcopus, se de Collatione ipsa loqui, non de pressiore declaratione, nihil Episcopo Festus respondebat; sed aiebat, in Arminii Scriptis alia reperiri reprehendenda; cùm primò audirentur Arminii orationes, non animadversum fuisse quicquam iis contineri quod suspicionem parere possit, sed id postea demum esse animadversum. Cùm rogaret Episcopus, an ergo quicquam in Arminii Scriptis

Scriptis reperisset, quod esset extra hos quinque controversos articulos, aut causam præberet suspicandi, multò plura latere. Affirmavit Festus, si inspiceretur Oratio de objecto Theologiæ; in ea quippe Arminium objectum Theologiæ constituere Deum & Christum, quod perinde etiam à Socinianis statuitur, etsi, inquiebat, sciam quosdam nostrorum Theologorum etiam ita loqui. Respondebat Episcopus, mirum esse, quòd Festus ejusmodi verba allegaret, ad colligendum Arminium jure Socinianismi fuisse suspectum, cum non tantum Scriptura idem statuatur Theologiæ objectum, Joan. XVII. 3. Hæc est vita æterna, ut te cognoscant illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum; sed &, fatente Festo, non pauci Doctores, qui propterea tamen Socinianismi minimè suspecti sunt: Si Christum à Deo ita contradistingueret, ut negaret ipsum esse Deum, suspicionem hanc justam fore; sed expressè Christum considerare tanquam Mediatorem inter Deum & homines. Scio quidem, aiebat Festus, sano sensu posse accipi, nihilominus suspicionem parere potest, præsertim si addatur, quòd in Oratione de certitudine Theologiæ omnia Scripturæ loca, quibus nostri Doctores & Theologi divinam Christi naturam & cum Patre ὁμοουσίαν adstruunt, alio sensu explicantur; ut, quando Christus imago Dei, character hypostaseos ejus, &c. Hebr. 1.3. appellatur, quæ ab Arminio in hunc sensum accipiuntur, quòd Jesus Christus imago Dei & character hypostaseos nostri respectu vocetur, quia in ipso omnia divina attributa, sapientia, potentia, bonitas &c. expressa & exhibita sint. Respondit Episcopus: Malè Festum colligere, omnia Scripturæ loca quæ pro Divinitate Jesu Christi communiter allegantur, ab Arminio alio sensu explicari, quia quædam aliter explicuit: Quoniam enim præter pauca hæc alia, multa reperiantur quibus articulus hic adstruatur, quæ ratio,

rio est, cur propter diversam quorundam locorum interpretationem aliquis statim suspectus habeatur, quasi omnia loca aliter interpretetur & porro *Theſin* ipsam neget? *Arminium* dicebat sententiam suam de *Theſi* ipsa plenè ac apertè declarasse, in *Theſibus* de persona Patris & Filii, ex quibus de sententia ipsius iudicium fieri oporteret; non verò ex interpretatione quorundam obscurorum locorum, quæ semper libera fuit in Ecclesia Christi, & in qua nemo majore libertate usus fuisset quàm *Calvinus*, qui aliquot centena loca aliter interpretatus est, quàm Patres, & quidem loca quæ *Trinitatem* & *Divinitatem Filii* spectant: imò ipsum hunc locum ad *Hebr.* ob cujus interpretationem *Festus Arminium Socinianismi suspectum* haberet, planè in eundem sensum accepit; expressè dicens, non debere verba hæc adhiberi ad frivolas speculationes, sed omnia hæc Christi elogia in usum nostrum esse applicanda, eosque qui hac relatione non observata aliùs philosophantur frustra se macerare, quia non tenent *Apostoli* consilium. Si id tolerari posset in *Calvino*, quidni in *Arminio*? Cum annuerent *D. D. Curatores*, aiebat *Festus*: *Attamen, D. Episcopi*, tu negare non potes te in lectionibus tuis in *Academia* pleraque loca *Scripturæ* more *Sociniano* explicare. Respondit *Episcopus*, mirari se hoc à *Festo* dici, qui hætenus ne unam quidem ipsius lectionem audivisset: an ergo id haberet è relatu quorundam *Studioſorum*? Oportere ergo illos diligenter *Socini* libros legere, qui tam exactè ejus phrasas discernere queant. Suas lectiones se aiebat satis purgaturum, ostensurumque omnes fermè suas explicationes nostris auctoribus posse confirmari; addebátque, se cupere ut *Festus* quandoque suus sit auditor. Respondit *Festus*, se ordinariè ipsius *Disputationes* audire. Rogavit *Episcopus*, an audivisset in eis quicquam defendi receptæ *Ecclesiæ* sententiæ adversum? imò annon è quadam *Disputatione*

*tionem meam exiens dixisti D. Borrhio, me caput de Divinitate Filii Dei contra objecta argumenta egregiè defendisse? Non dixi, ait Festus, de Divinitate Filii Dei, sed de Trinitate, me non credidisse, quòd adeo rotundè mentem declaraturus fuisses. Et cum responderetur, eundem esse articulum de Trinitate & Divinitate Filii Dei, quia Trinitas sine Divinitate Filii Dei defendi nequit; dixit Festus, Domini, adeò sincerus sum, quando mihi satisfactum est, ingenuè istud profiteor, & statim acquiesco. Sed tamen, D. Episcopi, videmus te aliòsque nunc plura movere & apertius loqui quàm in Collatione: nam de perseverantia, de qua antea dubitanter & hæsitanter loquebaris, nunc apertè & planè loqueris. Respondit Episcopus: in Remonstrantia ipsa quidem hæsitanter locuti sumus, quoniam in quibusdam nobis nondum plenè satisfeceramus; verùm in Collatione declaravimus, omnibus expensis & examinatis, nos magis in sententiam affirmativam propendere; uti liquet ex omnibus Syllogismis, quos ad Sententiæ nostræ defensionem protulimus, quorum conclusio semper est affirmativa. Cùm D. D. Curatores hic interloquerentur, dicerentque, Perseverantiam necessariam esse, & si quis non perseveret eum salvari non posse; item: qualis Prædestinatio, talis perseverantia; dixit tandem Festus, etiam in Theſibus Episcopi satis aliè quadam dici de promissis Veteris Testamenti, perinde ac si nullæ vitæ æternæ promissiones fuerint sub V. Testamento; etiamsi, addebat, mihi declaratione in Disputatione facta satisfactum est. Respondit Episcopus: nullum isti suspicioni posse esse locum, quoniam in Theſibus distingueret Veteris Testamenti acceptionem, quatenus videlicet oppositè sumitur, & rigidam tantum illam legislationem separatam à promissionibus complectitur: & compositè, quatenus has etiam includit, at non nudas, claras aut apertas; sed obscuras, generales,*

rales, typis, umbris, figuris involutus; ut distinguatur à Novo Testamento, quod umbris & figuris caret. Sed, inquit Festus, aliquoties de Novo Testamento dicis, quod melioribus promissis sancitum sit: Respondit Episcopus, hæc esse ipsius Scripturæ verba, sequè cum istud ait, *Vetus Testamentum semper accipere oppositè. Sed, inquit Festus, dicis differre materiâ & substantiâ ipsâ. Nequaquam, aiebat Episcopus, dico enim convenire substantiâ promissorum, sed eam in Veteri Testamento fuisse involutam umbris, & generalibus promissis, quibus vitæ aternæ promissa etiam comprehendi possunt, & revera comprehensa sunt; uti clarè apparet ex Novo Testamento, ubi hæc promissa ita explicantur. Sed substantia eorundem clarè & in terminis in Novo Testamento expressa est. Verum est, inquit Festus, te ita rem declarasse, vocibusque expressè, & in terminis, sapius usum, & sic sensus est bonus: attamen obscurum est quod de materia dicis, sicut etiam Studiosus in Disputatione indicabat, dicens se ita accepisse mentem tuam. Respondit Episcopus: non est obscurum quod de materia dicitur, si materiam vocemus promissa prout proposita & concepta sunt; nam in Veteri Testamento, proposita sunt obscurè & typicè: in Novo Testamento, clarè & perspicuè. Materia ibi fuit velata, tecta, obscura: hinc clara & aperta. Quod Studiosum attinet, ille satis indicabat se exiguo cum iudicio de materia loqui: quod ex ipsius oppositione liquerebat. Sed, inquit Festus, suspectum est quod in Thesis dicis; Fideles omnes Vet. Testamenti non intellexisse typos & umbras, quòd videlicet typi & umbræ essent rerum earum quæ in Novo Testamento apparent, sed paucos tantum, Prophetas videlicet & alios nonnullos. Episcopus hinc prælegit Thesis, in qua Festus id existare credebat, statimque apparebat contrarium in ea disertè affirmari;*



firmari; nimirum, omnes fideles sub Veteri Testamento notitiam quidem habuisse, sed obscuram aut tenuem, juxta obscuram revelationem tunc factam, quia secundum modum revelationis est modus scientiæ; sed Prophetas & quosdam alios claram & apertam illius habuisse notitiam; nam, inquiebat, distinguo in Thesi inter claram & apertam notitiam, & inter obscuram & tenuem. Ita, aiebat Festus, hinc sequeretur, fidem sanctorum V. Testamenti aliam fuisse, quam fidem sanctorum Novi Testamenti. Hoc negabat Episcopus; nam eadem fides propterea esse debet, quia in eadem promissa tendit: Promissa autem eadem sunt, licet ibi generalia, obscura, typica, hic clara & aperta sint: hæc enim substantiam non variant. Verum est, inquiebat Festus, idque mihi mirifice in tua Disputatione placuit, quod promissa, Ego ero Deus tuus & seminis tui, &c. etiam dices comprehendere, etiamsi in terminis & expressè vitæ æternæ mentio non fit; interim videtur id aliquatenus labefactari, quando dicis, fideles non habuisse notitiam typorum & umbrarum. Nequaquam, aiebat Episcopus, quia totum hoc ex æconomica illa dispensatione & adumbratione, qua Deus in populo isto usus est, peti & intelligi debet. Ut autem ad rem ipsam perveniatur, quæ sivit Episcopus; an Festus auderet dicere, omnes fideles Veteris Testamenti claram & apertam typorum & umbrarum notitiam habuisse? Respondit, non claram respectu nostri. Hoc idem est, inquit Episcopus, quod ego dico, illos habuisse obscuram & tenuem notitiam, cum nos claram & apertam habeamus. Hic D. D. Curatores dicebant, eos consentire.

Cum ad hæc nihil responderetur, rogavit Episcopus Festum, an inter alia etiam de se dixisset, quod resurrectionem mortuorum negaret, eamque nihil aliud crederet, nisi resurrectionem è

*morte peccati in vitam justitiæ ? Respondit Festus , id procul à se esse , neque umquam sibi in mentem venisse , sed longè aliam opinionem se de Episcopio habere.*

Hiscè ita pertractatis , dixit Dominus Mylius nomine D. D. Curatorum , Festum rectè facturum , si D. Grotenhusium , sive coram , sive per epistolam moneat , sibi in habita cum Episcopio Collatione de scrupulis , quos ex Theſibus Episcopii conceperat , ita satisfactum , ut omnes suspiciones deposuerit , rogétque ut ipse similiter eas deponat , nec aliis divulget. Hîc Festus multis suam erga Episcopium benevolentiam de prædicavit , nihil sibi gratius esse dicens , quàm cum Episcopio amicè vivere ; ipsum scire , quòd omnem , quæ Theologiæ Professori debetur , reverentiam illi exhibuerit ; quòd omnes occasiones contendendi præcidat ; quòd multa de ipso dicantur , quorum neutiquam reus sit. Hîc narrabat rumores quosdam de se sparsos , quòd Episcopium & Grevinchovium Socinianismi accusasset , quos falsos aiebat. Occasionem eorum dicebat fuisse , promotionem Slatii ad Ministerium per Episcopium & Grevinchovium procuratam ; qui cùm Socinianus esset , inde multis suspicionem ortam , ipsos simili opinione imbutos. Quod cùm diluisset Episcopus , Festus aliud movebat de promotione Welfingii. Cùm D. D. Curatores dicerent , hæc nihil facere ad causam præsentem , adderéntque , si ad omnia tam rigidè respiciatur , contentionem non minuendam sed augendam ; respondit Festus , *se in illa esse sententia , oportere ut denuò conveniant , ut in posterum omnes contentiones præcaveantur , nec spem deesse , aliquid boni effici posse : addens , D. Uytengardum , in responsione sua ad Pleniorum Collationis Delfhenſis declarationem , quidem dixisse ,*  
*Contra-*

Contraremonstrantes malo proposito ad eam accessisse; ego verò, inquiebat, declaro non esse verum, & etiamnum credo, si Remonstrantes in illa Collatione aperte egissent, quòd de pace conventum fuisset. Episcopus dixit, Uytbogardum sua quidem defensurum; quòd verò Collationem Delphensem attinet, Festum probè scire, per Remonstrantes non stetisse, sed paratos ipsos fuisse, ad mentem declarandam super omnibus sibi proponendis, modò Contraremonstrantes priùs declararent, articulos hosce de Prædestinatione esse tolerabiles: idque jure postulatum esse, quoniam quinque hi articuli causa essent hujus dissensionis, & ob quos Collatio hæc erat procurata: sed Contraremonstrantes id declarare noluisse; ipsos ergo suâ negatione & tergiversatione causam fuisse, cur unitas & pax obtenta non fuerit. Respondit Festus, nos satis mentem declaravimus, super capite de mutua tolerantia. Sed quomodo? aiebat Episcopus; quòd velitis solummodò homines tolerare, & illos tantùm qui jam Ministerio funguntur, additâ conditione, ut sententiam suam premant, neque alios illius sententiæ ad Ministerium promoveant, vel, sicut alibi propositum fuit, cum aperto schismate. Sed & contrarium apparere ex libro Jacobi Triglandii, & judicio Ministrorum Amstelodamensium, qui declarant, sententiam Remonstrantium non esse tolerabilem. Nos, aiebat Festus, libro Triglandii aut Amstelodamensium judicio alligati non sumus; neque ego Triglandii librum per omnia probo. Tandem dicebant D. D. Curatores, se jam satis audivisse, iterùmque monebant Festum, ut D. Grotenhufio coram, si nondum discessisset, aliàs per Epistolam, indicaret, sibi in Collatione ab Episcopo satisfactum, orarètque ut similiter de The-sibus Episcopii sentiret & loqueretur. Hic Festus tergiversabatur, dicens, Domini mei non est necesse, jam id feci. Cùm D. D. Curato-

res dicerent , hoc sibi ita placere , respondit Festus , se facturum.

Postridie Episcopus à D. D. Curatoribus obtinuit hoc testimonium. *Domini Curatores Universitatis & Consules Civitatis Leidaë , cùm intellexissent Festum Hommiium Ministrum Leidensem D. Joanni Grotenhusio Scabino Amstelodamensi dixisse , in Thesibus de Convenientia & Discrimine Veteris & Novi Testamenti , sub præsidio D. Simonis Episcopi Professoris Theologiæ in dicta Universitate VII. Maii præterito disputatis , usurpatis fuisse quasdam phrasas seu loquendi formulas , quæ suspicionem pariebant auctores & defensores earum vergere ad Socinianismum : & judicarent interesse honoris & existimationis tam Universitatis , quàm suæ , illud exactè inquire , ut Universitas ab ejusmodi criminatione liberaretur ; consilium duxerunt prædictos D. Episcopum & D. Festum Hommiium citare , ut ex ipsis rem totam plenius cognoscerent. Atque post aliquam super hisce habitam Collationem & factam declarationem , prædictus D. Festus declaravit , se quidem aliquam de prædictis Thesibus suspicionem concepisse , sed sibi in Disputatione à D. Episcopo ut Præside esse satisfactum ; quod dicebat se etiam prædicto D. Grotenhusio declarasse ; & etiamnum plenius sibi esse satisfactum. Quod cùm audivissent D. D. Curatores & Consules , voluerunt ut D. Festus Hommiius , quoniam ipse acquieverat declarationi D. Episcopi , idem scriberet ad prædictum Grotenhusium , similique rogaret , ut etiam suam sinistram suspicionem deponeret : Quod prædictus Festus recepit se facturum. Et quoniam D. Episcopus horum actorum requisivit testimonium , D. D. Curatores & Consules præsens hoc testimonium illi perhiberi ac tradi decreverunt , ut ipsi , ubicumque necesse sit , inservire possit. Ita actum per prædictos D. D. Curatores & Consules x. Maii anni MDCCXVI.*

Manda-

Mandato D. D. Curatorum & Consulum prædicatorum *Nicolaus Zeystius*.

Festus tamen postea eisdem & atrociores rumores primò clam, mox apertiùs disseminare cœpit, adeò ut Episcopus coram D. D. Curatoribus qui Leidam convenerant, VIII. die Augusti rursus comparens dixerit, *varios de se sparfos rumores, quòd in Collatione nupera cum Festo coram ipsis esset convictus Socinianismi & acriter reprehensus, quin & sibi mandatum esset, careret sibi ne in Universitate istiusmodi doctrinas doceret, aut malè hoc sibi cessurum*; & tales rumores, quoniam ab ipso Festo primùm oriantur, à plebe credi, in scaphis & curribus personare. Itaque rogavit, ut D. D. Curatoribus placeret sibi testimonium veritatis perhibere; & quoniam Festus tam confidenter affirmaverat, *se probaturum, imò se desiderare occasionem probandi, quòd in Episcopi Thesibus dicantur Patres V. Test. nullum vitæ aternæ habuisse promissum*, petebat, ut denuò contra Festum audiretur. Utrumque concessum, Festusque fuit citatus, coram quo Episcopus eadem repetiit. Respondit Festus, *verum esse, se ante aliquot menses D. Grotenbusio dixisse, apparere nunc plura inter Remoustrantes latere quàm quinque articulos, & quidem ex Thesibus Episcopi; se id dixisse, cum Theses nondum accuratè perlegisset, sed obiter tantùm inspexisset; postquam citatus esset & accuratius eas expendisset, in suspicione sua magis confirmatum: dixisse quidem, sibi satisfactum in Disputatione, & declaratione ab Episcopo coram D. D. Curatoribus facta, semper autem addidisse, alium esse sensum Thesium, quàm declarationis*. Rumores hosce novos dicebat ortos ab Episcopo; adfuisse sibi quosdam, qui dixerant, se audivisse *quòd ipse culpam esset confessus coram D. D. Curatoribus, idque dictum esse à Borrhio & Duinglone, quos*

oporteret id habere ab Episcopio; ego enim, inquit, bat, ipse non dixi; neque id credo de D. D. Curatoribus; ergo necesse est Episcopium dixisse. Et hinc narrabat quid inter se & Flandros aliquot actum esset.

Episcopus respondit: Notandum hoc esse, Festum D. Grotenhusio planè affirmasse, plura latere, idque liquere ex *Thefibus* Episcopii, cum tamen, uti hic fatebatur, *Thefes* nondum accuratè perlegisset, sed obiter tantum inspexisset; quod videbatur magnum esse confidentiæ indicium. Cùm Festus diceret, non esse captanda sua verba, perrexit Episcopus; mirum sibi videri, Festum dicere, se coram D. D. Curatoribus quidem acquievissè meæ declarationi, sed quòd semper scrupulum retinuerit de *Thefibus*: non dubitare se, quin D. D. Curatores adhuc meminerint, ipsum declarasse, se penitus acquiescere; quòd aliàs D. D. Curatoribus imposuisset: nihil enim declarasset, si dixisset se acquiescere declarationi, non verò *Thefibus*: hoc oportuisse clarè dici, aliàs malitiosè fuisse actum. Assentiebantur omnes Curatores, rem ita fuisse gestam. Addebat Episcopus, nimis esse manifestum, hosce rumores à Festo primùm ortos: nominabátque rumoris illius disseminatores Festi amicos. Cùm Festus se excusaret, eum Episcopus pressit suo argumento: qui id disseminavit, à me non habet, neque, uti credo, à D. D. Curatoribus: ergo necesse est à Festo habuerit, juxta ipsius Festi argumentationem. Addebat Episcopus, Borrhium & Duinglonem negare se quicquam de culpæ deprecatione dixisse; sed credere se id à Flandris quibusdam prodiisse, qui auditis aliquid addiderint; quod aliis eorum narratiunculis confirmabat. Hinc etiam dixit Festus, D. Curatorem Mylium Grotenhusio dixisse, se esse *zurum*, ut Festus verba sua revocet: quod Mylius aliter interpretabatur. Dicebat porrò Episcopus, optare se ut ad causam principalem veniant

niant, quod cùm approbarent D. D. Curatores, dixit Festus: *quoniam controversia in eo versatur, utrum Remonstrantes præter quinque articulos alia habeant, recipio me probaturum ipsos plura habere, paratúsque sum id scripto ostendere: proposueram jam aliquid scribere, sed morbo uxoris meæ impeditus sum.* Cùm diceretur, illud de Episcopio nominatim probandum esse; dixit Festus, *etiam de Episcopio probabo, & si D. D. Curatoribus placeat, rem cum duobus aut tribus è meis Collegis defendam.* Cùm Episcopus diceret, *hæc effugia esse, nunc verò probandum, quod in Thesibus exstare dixerat;* addidit D. Syndicus, *periculosum esse talia scripto comprehendere, quoniam scripta ejusmodi aliis communicata facîle edantur, uti antehac factum est: atque ita contentiones hæc Academicas reddi manifestas: quod omnino caveri oporteat.* Ad hæc Episcopus: *Se id non metuere; verùm impræsentiarum oportere ventilari, quod nunc quærebatur, & de quo ipse apud Flandros accusatus fuerat, nimirum, utrum in Thesibus suis exstet, Patres nullas habuisse vitæ aternæ promissiones; & petebat, ut D. D. Curatores illius probationem Festo injungerent, seque paratum dicebat in aliis Festo satisfacere.*

Dixit ergo Festus, *quædam aliquando ita ambigüè à Remonstrantibus dici, ut sapè longè aliud dicant, quàm dicere videantur; ex. gr. de fide in Christum, Thes. 21. fidem patrum Vet. Test. spectasse ad Jesum Christum, quia crediderunt umbris & figuris secundùm Dei intentionem respectum habentibus in Christum: & hîc valdè paratragædiabatur.* Respondit Episcopus, *Festum malè intelligere Thesin; se dicere, fidem illorum respexisse ad Christum, quoniam umbræ ad Christum respexerint; & quòd ideò umbras tamquam umbras & typos respexerint.* Secundùm intentionem divinam, dicebat Festus: *non solam, respondit Episcopus;*

nam ex *Theſibus* liquet, ipſos intentionem divinam intellexiſſe. Itaque hoc miſſo, Feſtus aliam vellicabat *Theſin*, ubi dicitur, *Legem oppoſitè ſuntam promiſſionem vita æterna continere, ut patet ex Matth. XIX. Luc. XVIII. Marc. X. ex reſponſione Chriſti qua adoleſcenti reſpondet, quærenti, quid faciendo vitam æternam poſſidere poſſit.* Reſpondit *Episcopius*, ea nihil ad rem hanc pertinere, quod & fatebatur Feſtus; nihilominus addebat *Episcopius*, *legem à ſe conſiderari, prout à Moſe lata eſt.* Sed regerebat Feſtus, etiam *lex moralis per Moſen lata eſt.* At illa, ait *Episcopius*, *convenienter ſæderi ipſi intelligenda eſt, dicitur enim habuiſſe umbram futurorum bonorum: ſed quoniam in eo cardo quæſtionis non verteretur, petebat ut quæſtio principalis ventilaretur.* Ergo Feſtus aggreſſus eſt *Theſin XX.* *Socinus* dicit, *alia promiſſa in V. Fædere quàm in Novo data eſſe; alia & plura præcepta. Utrumque tu dicis.* Reſpondit *Episcopius*, *quod promiſſa attinet, ſe ſcire non ſolum Socinum, ſed Eraſmum, Patres, aliòſque Doctores, etiam omnes Anabaptiſtas & Pontificios, ante Socinum idem ſtatuiſſe. Quoad præcepta, negabat tale quid in *Theſibus* exſtare. Tu dicis, aiebat Feſtus, *ſpeciali materiâ præceptorum differre.* Reſpondit *Episcopius*, *ſe ſpecielem materiâ præceptorum appellare, quia præceptum fidei quâ credere debebant typis & umbris ſpecielem materiâ habet, diſtinctam ſpecialiter ab objecto Evangelii, quod eſt vita ſine umbris.* Hinc Feſtus perrexit ad promiſſa, quæ in *Theſibus* dicuntur materiâ differre. Reſpondit *Episcopius*, *debere addi, ſpeciali; in eo enim emphâſin eſſe.* At, inquit Feſtus, *ſpecialis m.ueria aliud eſt quàm modus.* At idem intelligo, dixit *Episcopius*, & intelligendum eſſe oſtendo ex *Theſi XIX.* unde argumentum formabat. Sed, regerebat Feſtus, *tu intelligis conveni-**



convenire in materia , quatenus in pacto illo & hoc promissa sunt atque præcepta , ut dicitur *Thefi III.* Hoc refutabat Episcopus initio *Thef. XIX.* ubi dicitur , *præter ea ferè omnia, &c.* ita ut hîc Festus constrictus teneretur , & D. D. Curatores ostenderent ipsum malignè agere : nihilominus aiebat : *dicis materiâ differre. Sed id ita intelligendum est* , respondit Episcopus , *prout dico ; & proposuit argumentum in forma , rogavitque , annon omnes Theologi ita hoc argumento uterentur. Festus iterabat , sed specialis materia.* Hîc interloquebantur D. D. Curatores , *tu alio sensu verba Episcopii intelligere vis , quàm ipse intelligit.* Unus Consulum Leidensium addebat : *Si olim hæreticorum verba ita sunt ventilata & detorta , dubitari posset , an vera sint quæ de iis dicuntur. Imò , aiebat Festus , Domini mei , aliud sub voce materiæ latet.* Sed Episcopus ita mentem declarat , dicebant Curatores , an hoc non sufficit ? Festus nihilominus persistebat , & rursus oppugnavit *Thef. XXI.* hæc verba : *Patres in V. Test. expectasse cœlestia & æterna , & credidisse non tantum bona animalis vitæ hujus ad se pertinere ex promisso.* Respondit Episcopus , *verba ex promisso ad posterius membrum referenda esse , quia , ( ut additur ) intellexerunt bona ista animalis vitæ typos esse æternorum.* Festus ait , *hoc non dicis tu , neque decidere audes. Falsum est , dicebat Episcopus , & minùs notorium. Imò id quidem , ait Festus , apparebat ex respondente tuo , cùm de pœnitentia disputares , & opponeretur locus Hebr. XI. 6. respondit ille , non agi de fide in Christum. Annon id correxi ?* ait Episcopus. *Dixisti , ait Festus , de fide agi quæ respicit ad Christum. Dixi , ait Episcopus , de fide in Jesum Christum ; & licèt dixissem , quæ respicit , an non idem est sensus ? Sed cur illud de respondente allegatum ? annon plu-*

*respondentes sub Collega meo audivisti sapius ea dicentes, quorum te puderet? Hic D. D. Curatores non levem ostendebant indignationem: addebátque Episcopus, cum quadam indignatione, hæc minimè decere, & indicium esse, quo animo accedat. Imo, aiebat Festus, inde apparet quid ipsis privatim instilletur. Hic Consul unus valdè indignabatur: negabátque Episcopus se id fecisse, nec defendere velle quæcumque à respondentibus suis dicantur, cum expressè dixerit, de fide justificante agi. Sed, aiebat Festus, aliud est dicere de fide justificante agi, aliud, de fide in Jesum Christum: quod confirmabat ex colloquio habito inter Arminium, se, & Egbertum Aemylii. Respondit Episcopus, satis notum esse quid ibi actum sit, ex articulis ab Arminio scriptis ad Hippolytum à Collibus; se verò apertè declarasse, de fide in Christum agi. Hic multa dixit Festus, de respondentis fratre, qui esset Socinianus: de Socinianis explanationibus quæ in Collatione existent, in qua dimidiæ paginæ è Socini prælectionibus descriptæ sint. Ad hæc Episcopus dixit: ad primum: Festum multa affirmare de absentibus, quæ præsentibus dicere non auderet: & nullo modo sequi, frater ejus est Socinianus, ergo & ipse: multos enim esse Reformatos, quorum parentes, fratres & sorores sint Pontificii. Ad secundum: Festum id neutiquam probaturum: & licèt verum esset, nihil id obesse, quia nos non negamus Socinum in hisce articulis idem sentire nobiscum: multumque id differre ab ipsis, qui in Collatione constrikti loco 2. Pet. II. 1, 2. planè Socinianam explanationem adhibuerunt, qua Socinus vitatur ad Divinitatem Christi negandam. Hic quædam intermiscibat Festus de Pelagianis & Semipelagianis erroribus; sed tandem relabebatur ad accusationem de Sociniana sententia. Episcopus demonstrabat, octo capita contineri Theſibus contra Socini sententiam*

sententiam directè pugnantiã; addebátque, se nunc Socium contra Palæologum, & Smalcium de Divinitate Jesu Christi attentius legisse, ut Socini sententiam intelligeret: Et cùm Fellus diceret, Socinum dicere, Prophetus etiam intellexisse, sed tenuiter, typos continere vitam æternam: respondit Episcopus: non intelligis sententiam Socini: contrarium est verum: negat intellexisse; imo Sociniani dicunt, quòd de rebus illis locuti sint, veluti Cajaphas de morte Christi. Hic dicebat D. Mylius: Si quis mihi diceret, hoc dicit Socinus, illud Episcopus, dicerem esse pugnantiã. Imo & plura dicunt, aiebat Episcopus: negant in Vet. Test. promissa ista typum continuisse. Sed video Festum Socini sententiam non intelligere. Imo aiebat Festus, non tam bene, quàm tu. At respondebat Episcopus, oportebat te rectius eam intelligere, qui me Socinianismi accusare vis. Et ut videas contrarium esse verum, responde mihi ad hoc argumentum: qui sciverunt Deum sub promissis bonorum temporalium adumbrasse promissa bonorum æternorum, illis promissa vitæ æternæ in typo sunt facta. Atqui omnes fideles Vet. Test. id sciverunt. Ergo. Respondit Festus: ad majorem aliquid responderi posset. Cùm id miraretur Episcopus, addidit, minorem tu non affirmas. Episcopus contrarium demonstrabat, hominèmq; penitus confundebat.

Hisce ita gestis, jussi sunt uterque exire: cùm rediissent, dixere Curatores, audivisse se ipsorum Collationem, optassèque ut privatim inter se contulissent, neque rem hanc inter Flandros divulgassent. Se judicare, oportere Festum acquiescere iis quæ ab Episcopo ad sui purgationem & Thesium defensionem dicta essent: Et petere se, ut mutuam caritatem, amicitiam & concordiam colant, & quantum fieri potest, salutem & incolumitatem Universitatis promoveant & defendant.

Postea

Postea intellexit Episcopus, Festum postriedie à D. D. Curatoribus fuisse citatum, qui interrogaverunt, *quoniam obtulisset se scripto probaturum, Episcopium Socinianos errores, aut plura quàm in Collatione agitata sunt, docere, ne videantur id ipsi velle impedire, atque ita occasionem dare mentem suam finistrè interpretandi, an aliquid haberet unde id constaret, rogabantque ut id ipsis aperiret. Dixit, se impeditum morbo uxoris aliisque occupationibus, sed se paratum ad scriptum ejusmodi concinnandum.* Cùm quæreretur, an non statim aliquid posset proferre, & ut saltem atrociora indicaret: nihil aliud dixit, nisi, *causas esse suspicandi ex responso quod Episcopus cùm quinque Remonstrantibus dederat, super Vorstii declaratione; ex promotione Slatii ad Ministerium Bleisvicense, ex Lectionibus & Thesibus ejusdem.* Tandem D. D. Curatores vetuerunt aliquid hisce immisceri extra personam Episcopi: quia se nolabant immiscere controversiis, de quibus jam Ordines disposuerant: ipsique permiserunt, ut ageret, prout consultum judicaret: mandabantque feriò, ut de hisce aliisque rebus non loqueretur, præsertim apud Flandros, nisi prout oportebat, & quieti Academiae conducebat. Et sic dimissus est. Verùm Festus non multis post D. D. Curatorum abitum diebus, Episcopio absente, iterum inter eosdem Flandros disseminavit, se Episcopium coram D. D. Curatoribus Socinianismi convicisse, & Syndicum Zeystium Episcopio in faciem dixisse, *se jam videre ipsum jure à Festo accusatum, Socinianismum sub Episcopi verbis latere, Festoque hujus rei testimonium à D. D. Curatoribus oblatum.* Sparsa hæc porrò editis libellis sunt in vulgus: quin & Triglandius eadem in libello quodam repetiit; cui cùm apologia brevis, per D. Uytendogardum, opposita

ta fuisset, alium edidit libellum, in quo Collationem hanc prolixè, sed non ex vero narravit. Verùm D. Mylius Academiae Curator, aliique, quibus praesentibus Collatio hæc habita fuit, apertè, quodcumque res postulabat, testabantur quis Collationis hujus exitus fuisset. Episcopus etiam brevem contra Festi argumenta, quibus ipsum coram Curatoribus Socinianismi suspectum reddere conabatur, Apologiam scripsit, quam, si res exigeret, editurus fuisset: eam autem prolixitatis vitandæ causâ, hîc omit- tam.

Hæc prolixius fortassè narrata sunt, quàm rei Collatione hac ventilatæ momentum meretur. Verùm quoniam eam Triglandius, in historia sua Ecclesiastica repetiit admodum vitiatam, truncatam, auctam, mutato sæpè sermonis ordine, falsaque multa veris permiscuit, hanc ex ipso Episcopi autographo plenius & prolixius fideliter expressam referre operæ pretium duxi. Quale Episcopi de Festo, qui eum ex ipsius actionibus propius noverat, fuerit iudicium explicat ipse prolixius, in Responsione ad defensionem Cameronis, Cap. I. *Illi qui cum Festo Homnio pænè continuò luctati sunt, toto intestinæ litis tempore, qui consilia sua cum eo ad pacem, concordiam & tolerantiam mutuam fraternè communicarunt, qui pacis retinendæ & ruptionis vitandæ causâ in gratiam ipsius nihil non tentaverunt, atque ita pectoris ejus arcana quasi oculis suis usurparunt; isti uno ore omnes virum eum fuisse dicunt, quantum ad causam hanc attinet, (de animo animique ipsius pietate Deus solus judicabit) cui robur & æs triplex circum pectus erat, quique dolis instructus & arte Pelasgâ, ubi se vulgi ferocientis ac tantum non insanientis furore tanquam cataphracto equitum globo circumvallatum vidit; ut tutò ac licenter*  
*omnia*

omnia agere posset, id unum sibi deinceps negotii datum credebat, ut pacis, concordiae ac tolerantiae mutuae consilia omnia turbaret; & quamquam semper aliter agere videri volebat, secretis nefandisque molitionibus contra edicta, consilia, ac studia Procerum, contra preces optimi cujusque, schismatis publici signum extolleret in ista urbe, ad quam ceterae pene omnes velut ad Cynosuram Hollandiae respiciebant. Nec destitit, donec consiliis ipsius respondit successus, luctuosissimo sane exemplo & patriae facto. Nec mirum: serviebat consiliis studiisque ejus fax populi, apud quam ut in gratia & admiratione esset operam dabat. Ceteroquin optimi quique, & pacis patriaeque amantissimi eum ut vafrum, versipellem, & Proteum aversebantur, cujus dicta & facta admodum erant inter se dissimilia: qui non magis erubescere deprehensus convictusque, quam si elephanti corio tectus fuisset, pertinax ut *νεγρενη δρυς η̄ σιδνη* & (sicut valida quercus aut ferrum.) Et hoc nomine, aliisque apud omnes pene Proceres in odio erat. Nemo non in eo fidem, candorem & integritatem desiderabat; sed ille vultu & plebis zelo se tegebat; quam si sufflaminare voluisset, actum fuisset. Haec una & communis optimorum omnium de Festo querela erat, atque etiamnum est. Cum Polyandro pacatius, saltem quoad externa humanitatis officia, vixit: tribuit tamen illi Episcopus simulatam, clandestinam, & nullis rationibus subnixam in Remonstrante invidiam & amarulentiam, in Antidoto, Cap. I. Quandoque blandum se & comem exhibebat, quandoque austum, tetricum, animique imperentis.

Quomodo Episcopus cum Professore Polyandro vixit: Antid. p. 11.

Anno MDCXV. Episcopium cum audiret Polyander, ut de rebus ad Academiam spectantibus cum ipso conferret, in sermonem de universis dogmatibus incidere. Polyander

pure,

pere, ait, ut parcè de iis disputaretur, concordia-  
 que, sicut hucusque factum erat, servaretur; qua-  
 propter, inquit, apud Curatores aliòsque te perpe-  
 tuò laudavi. Hoc verò se annisurum dixit Episco-  
 pius, nec se discordiæ inter ipsos fore causam; seque  
 potius quibusdam occasionibus priùs consulturum Col-  
 legam, quàm quidquam facturum, quod ei indigna-  
 tionis praberet materiam. Imo sanè, inquit Po-  
 lyander, sic nos facere par est ut Academiam no-  
 stram augeamus, atque in eodem statu, quo nunc est,  
 retineamus; ne quid ab Academia Groningana, ubi  
 jam est Gomarus, detrimenti patiat. Quare  
 maximè necesse est, ut ab iis articulis, de quibus ho-  
 die disceptatur, nos abstineamus: cujus rei cùm Aca-  
 demicum munus ei deferretur, admonitum se fuisse  
 aiebat à Curatoribus, seque id adhuc necesse ducere.  
 At licèt Polyander coram sese amicam Episcopo  
 simularet, subinde tamen, eo absente, animum  
 suum aperiebat ab eo alienum, adeò ut & semel  
 adversus ipsum Episcopium stomachatus sit.  
 Anno MD CXVI. Polyander, Episcopus, Hein-  
 sius, Jacchæus, & Quæstor Lugdunensis, ali-  
 que vesperâ diei Pentecostes unâ ad convivium  
 vocati convenerant. Ibi Episcopus ex occasio-  
 ne ejus quod in Actis Apostolorum habetur,  
 Apostolos Pentecostes festo concordés congregatos  
 fuisse, cum Heinsio de concordia in Reli-  
 gione in colloquium inciderat. Inter alia, dum  
 sermo esset de Reformatione Lutheri, inquire-  
 returque in causam propagationis doctrinæ Lu-  
 theri, Episcopus magnam Pontificis ejusque se-  
 ctatorum rigiditatem, qui ne minimùm quidem  
 remittere volebant, ac quòd ii, quorum inter-  
 erat Theses Lutheri damnari, turbas ciebant,  
 non levem ejus rei fuisse causam existimare se  
 aiebat. Dicebat interim Polyander, primò sub-  
 missâ, postea verò clarâ voce, idque sæpiùs,

Qui

*Qui mutationem aliquam hinc aggrediuntur, non sunt nisi nebulones, verberones ac homines nihili. Episcopus quasi id non animadvertisset, colloquio cum Heinsio haud destitit. Postea autem iterum, cum magno animi ardore, eadem verba repetentem audivit Polyandrum. Neque hoc quidem motus, confabulari cum Heinsio perrexit. At Jacchæus, interrupto sermone eorum, Heinsio dixit: *Vellem quidem ad unum te mihi respondere. Quid tibi videtur melius esse, Rempublicam tranquillam mendacio, vel turbatam veritate habere? Hæc alia est quaestio, inquit Heinsius. Polyander illico post adjecit: Quanam hæc est percunctatio? quid hæc ad rem? ego aio eos, qui in Reformatione aliquid mutare conantur, esse nebulones ac verberones. Tum verò non amplius tacere Episcopus, sed dicere: Domine Collega, hoc jam sæpius dixisti, hæc autem ratione mihi aliisque injuriam facis: ferre possem si diceres errare eos, vel rectam non esse ingressos viam; at intolerandum est te eos vocare nebulones ac verberones. Dicta mea defendam, inquit Polyander. Tum omnes convivæ interfati dixerunt Polyandrum in culpa esse, atque Episcopium nullam ei ista dicendi præbuisse occasionem. Novimus quidem nos invicem, ait Polyander, dicam tibi opportuno tempore quid privatim, quid publicè feceris. Episcopus, quando veneris, tecum colloquar. Cùm majus inde oriretur certamen, nec Polyander indignationem deponeret, omnes convivæ sæpius sese interponebant, Polyandrum in culpa esse dicentes. Hic verò se nihil minùs pati posse, quàm contemptum, aiebat. Tandem tamen reconciliati sunt, amicèque discesserunt. Hoc pacto comperit Episcopus, quo animo erga se esset Collega. Nihilominùs tamen cum eo amicè vixit, omnèsque litium causas studiosè vitavit; adeò ut quamdiu unà munere Academico functi sunt, nulla inter eos discordia apparuerit.**



ruerit. Circa finem anni MDCCXV. in conventu Ordinum Hollandiæ propositum est, ut decerneretur Hollandiæ & West-Frisiæ Synodus, in qua pio animo ad sensum divini codicis expenderentur atque explorarentur quinque controversa capita, operaque daretur constituendæ Christianæ paci, illasâ veritate salvâque unitate cum his qui ejusdem Reformatæ religionis participes essent: simulque ab Hollandiæ & West-Frisiæ Proceribus per literas edocerentur vicinarum nationum Proceres, quo loco ac tempore, & quorsum Hollandica illa Synodus celebranda esset: & quò in ea Synodo cuncta cum consilio ac consensione Pastorum ex vicinis nationibus transigi possent, rogarentur dicti Proceres pios, eruditos, & pacis cupidos è suis Pastoribus, suorum Ecclesiasticorum conventuum bona cum gratia, ad Synodum mittere, qui ad pacem constituendam opem, consilia, sententiâque contribuerent. Putabant Ordines, absque ullo periculo viam hanc tentari posse, præsertim cum constaret, sæpè antehac usitatum, ut ad unius nationis Synodum vicini auxilio vocarentur. Verùm nec hac ratione Contraremonstrantibus, qui Nationalem, uti vocant, Synodum spectabant, & in ea sibi triumphum pollicebantur, satisfactum est.

Jam res ad manifestum spectabat schisma. Contraremonstrantes enim variis in urbibus, pagisque à Remonstrantibus secedebant, separatimque celebrabant conventus. Anno MDCXI. Hillenius Alcmariæ jam schisma fecerat, totâque Alcmariensis Classis in duas partes divisa erat; ut & operâ Gefelii, Acronii, aliorumque, Classis Rotterodamensis; ac quamvis Remonstrantes Rotterodamenses Ministri omni humanitate eos compeilarent, peterentque ut sese Classi iterum jungerent, averfis tamen auribus rem audiebant. Hagæ-Comitis apertè quoque

Contra-  
remon-  
strantes  
ad schis-  
ma ten-  
dunt.

se ab aliis segregaverat Rosæus, ac primò Riisvici, postea Hagæ-Comitis in privata domo, tandem verò Templo Claustrali cum suis occupato, separatam Ecclesiam & Ecclesiasticum Synedrium constituerat, adeò ut ad integrum schisma nihil deesset. In Schielandia, aliisque locis, eadem fiebant; ex urbibus pagisque conveniebant, mittebantur in loca vicina Ministri, qui in hisce separatis congregationibus concionarentur.

Tandem ut hoc schisma speciem quamdam publicæ auctoritatis præ se ferret, ac ii, qui concordés adhuc cum Remonstrantibus vivebant, ad talia quoque impellerentur, mense Januario anni MDCCXVII. Amstelodami clam cœtus est habitus, ubi Pastores quidam ac Seniores professi sunt, *fratres illos, qui à Remonstrantibus (quos Ecclesiæ perturbatores & vexatores vocant) se separant, reèdè facere juxta verba Apostoli Rom. XVI. 17. & 2. Joann. vers. 10. 11. quandoquidem nulla communio esse potest veritati cum mendacio: præterea se ex officio teneri, ut ejusmodi Remonstrantes, quamdiu se sanæ Doctrinæ & Ecclesiastico Ordini opponunt, ac noxios quinque articulos, & quos prætendunt Ecclesiasticos Canones tueri student, agnoscant pro iis, cum quibus licitum sibi minimè sit conventus ullos celebrare, & pro membris suorum cœtum non habeant.* Cùm verò, in multis conventibus vicinis, viri probi idem cum illis de dogmatibus sentientes tamen istud divortii chirographum (id namque nomen chartæ dederant) signare cunctarentur, missus est à signatoribus primis, qui ad subscribendum ceteros urgerent, & qui pro afflictis Ecclesiis (id est, segregibus) stipem colligerent. Secutus deinde est sociatorum conventus clandestinus Hagæ, atque ibi Scriptum concinnatum, in quo aiunt, *se Remonstrantium sententiæ addictos habere pro falsis Doctrinibus,*

*ribus & tantummodò Synodum Nationalem expectare, cujus nunc magna spes esset, ut in ea facta à Remonstrantibus secessio legitimè & præeunte Ecclesiastico judicio, executioni mandetur: promittentes, etiamsi Synodus Nationalis primo non procedat tempore, se unà cùm aliis fratribus, qui jam secessionem fecere (quam ipsi judicant gravissimis & insufficientibus de causis factam) deliberaturos de idonea ratione & modo universalem & unanimum secessionem formandi. Hisce rebus sex Remonstrantes, qui in Hagienfi Collatione adhibiti fuerant, permoti sunt ad Hagam-Comitis conveniendum, ubi nomine Remonstrantium libellum supplicem conventui Ordinum obtulere. Complectebatur is prolixam narrationem causarum & originum malorum in Ecclesiasticis rebus in Belgio Fœderato ortorum; simulque petitionem ut Ordines omnes ejusmodi secessiones præverterent, ac suum Decretum de mutua tolerantia tuerentur; alioquin, inquebant, Ordines ex summa sua sapientia facillè intelligunt Remonstrantes hoc Decreto obstrictos, aliis interim id non curantibus, intra præteritæ suæ moderationis limites continere sese non posse; sed coactum iri, ut salvam coram Deo haberent conscientiam, veritatèque tuerentur, Christianas Ecclesias, tam privatim, quàm publicè monere, ut à nova & jam gliscente Ecclesiastica tyrannide sibi carerent; ac porrò id facere, quod munus ab ipsis, (semper tamen Illust. Ordinibus parentibus) postulabat.*

Dum interim Episcopus hoc modo Remonstrantium causæ interviret, in majorem dolorem mense Februarii incidit, cùm à fæce vulgi Amstelodamensis ædes fratris Remberti direptas fuisse acciperet. Hoc facinus cùm esset momenti haud exigui & cum magno conjunctum periculo, paullò accuratiùs describam. Remonstrantes

1617.  
Quid impulit  
Remonstrantes  
ad separatim  
Amstelodami  
coventus celebrandos.

Amstelodamenses nullum habebant in Ecclesia Ministrum, ipsorum addictum doctrinæ. Contraremonstrantes verò variis in locis, imò etiam in iis, in quorum Ecclesiis Ministri suæ doctrinæ fautores non deerant, separatos cœtus habebant, atque ad id tendebant unicè, ut secessiones illæ publicâ auctoritate firmarentur. Ob hæc Remonstrantes Amstelodamenses opportunum tempus advenisse credidere, quo ipsi quoque in lucem prodirent; ut si fortè Ordinum Decreto, ubicumque Remonstrantes ac Contraremonstrantes essent, utrisque libera Religionis exercitia concederentur, ipsi quoque jure ejus Decreti fruerentur, néve propterea quòd Amstelodami nulli Remonstrantes Ministri essent, communi illa libertate destituerentur. Initium à Gallo-Belgis factum. Simon Goulartius Gallo-Belgicæ Ecclesiæ illic Concionator anno MDCXV. publicè è cathedrâ refutaverat sententiam reprobationis infantium, è fidelibus parentibus natorum, ac in infantia mortem obeuntium. Ob concionem hanc, primò ab Synedrio Ministerium ei ad tempus, postea verò à Magistratu planè ademptum est. Quidam Gallo-Belgæ Goulartii sententiæ addicti, quibus Conciones aliorum Ministrorum minimè placebant, quoniam omnes acres Contraremonstrantium doctrinæ defensores erant, separatos celebrabant conventus; in quibus conciones aliquot habuit Jacobus Batelerius, muneris Ecclesiastici candidatus, ac Remonstrantium sententiæ addictus. Quoniam congregationes hæc admodum tranquillè habebantur, inter Gallo-Belgas & Remonstrantes Ecclesiæ Belgicæ convenit, ut hi in iisdem ædibus, antemeridiano, illi verò pomeridiano tempore, concionarentur. Remonstrantes nihilominus palam & disertè professi

fessi sunt, se nullo modo in animo habere ab Ecclesia publica secedere, simulac ea ad mutuam tolerantiam colendam parata esset. In horum numero, bini Episcopii fratres erant, Rembertus, ac Joannes. Habita prima est concio, quinto <sup>Primis</sup> Februarii, <sup>Convers-</sup> <sup>tus.</sup> cujus cœtus numerus erat circiter trecentorum hominum. Convenerant quoque ad videndum & audiendum acres quidam Contraremonstrantes, inter quos faber erat ferrarius, qui tumultum ciere nitebatur; cùm enim Concionator in concione citaret verba Domini nostri Joan. V. 40. *ad me venire non vultis ut vitam æternam habeatis: magnâ voce clamavit, mentiris.* At sedatus illico est, cùm dictum esset, si cui concio displiceret, post meridiem ad statutum quemdam locum se conferre oportere, ubi Minister rationem unicuique suæ doctrinæ redditurus esset. Compettum autem tunc est, multò plures adfuturos fuisse auditores, si amplior fuisset locus. Quare postridie Remonstrantes magnam Apothecam, in vico vulgo vocato *Dwarsboomsloot*, conduxerunt, quæ supra mille quingentos homines continere poterat. Hanc illico purgari, cathedram, scamna ac sedes fabricari curarunt. At ante diem Dominicam Scripta à malevolis quibusdam hominibus per totam urbem spargebantur, & porticibus Byrsæ, Templorum valvis ac alibi affigebantur, quibus se invicem ad oppugnandos Remonstrantes incitabant. Hæc Scripta cùm Rembertus Episcopus quibusdam è Magistratu ostenderet, suum ut civis officium esse, dicens, rem Magistratui patefacere; ut ne quid detrimenti cives paterentur, inter alia responsum tulit, *Magistratum orasse eum qui locaverat Apothecam, ut Remonstrantes à conductione solveret.* Ad id Rembertus: *non potest hoc: attamen si Magistratui tantopere res displiceat,*

Secun-  
dus con-  
ventus.

ceat, vetare potest; nullus enim dubito, quin ei obediatur; modò Magistratus caveat ne, si fortè generale decretum fiat, quo, ubicumque Remonstrantes & Contraremonstrantes sint, utrisque liber Religionis cultus concedatur (sic enim famatunc tenebat) nos eo jure excludamur, quasi nulli hìc essent doctrinæ illi addicti. Remberto responsum: Magistratum vetare nolle. Remonstrantes itaque, duodecimo Februarii die, secundâ vice congregati sunt maximo numero, ac prout conjicere licebat octingentorum hominum, inter quos multi honesti locupletésque cives erant. Inter concionandum omnes lapidibus confractæ fuere vitreæ fenestræ, adeò ut ii, qui paullò remotiores à cathedra erant, lapidibus ferirentur. Sub concionis finem, quidam Anglus, qui propè cathedram federat, surgens magnâ voce in hunc modum locutus est. *Audite atque attendite. Num aliter docetur in Veteri, Novâque Ecclesia, ubi Pastores nostri Plancius, Hallius omnésque alii concionantur? Ad hæc cum septem, octòve Contraremonstrantes vociferati essent, Non, non; iterum dixit, quare igitur dissidia, turbasque ciemus, in Ecclesia & Republica, & majore voce clamare institit: O Amstelodamum, O Amstelodamum! coronam gestare consueveras? quodnam malum tibi jam accidit? ad Deum sanè querelæ deferendæ sunt.* Concionator filium mercatoris cujusdam baptizare volens, in cathedra adhuc remanebat, silentium postulans; at tanta hominum turba supervenit, ut se loco movere nemo posset. Quidam usque ad cathedram perruerunt, clamitantes: *interficite schismaticos hosce.* Quare nonnullæ mulieres, dejectis suis fellis, ut vociferatores hi in eas impingerent, ad cathedram ad defendendum Concionatorem illico currere. Quidam ingressorum nebulonum ad fenestram tum se contulerunt, dixeruntque aliis, qui foris adhuc erant: *irrupite, impetum*

Facinus  
in eum  
conven-  
tum.

*facite,*

*facite, nunc tempus advenit.* Hircclamabant: *cadite, occidite.* Pueri ac inter eos viri nonnulli non solum omnes vitreas, verum etiam ligneas fenestras interea confringebant. Qui in superiori ædificii parte erant, arroganter admodum ac ferociter loquebantur; Remonstrantibus contra quam lenissima adhibentibus verba, ac nunc ad hanc, nunc ad illam euntibus turbam, ut homines sedarent. Cùm autem abire vellent, incitabantur pueri ad majorem tumultum, ad eò ut gradus interdum occuparent, ut nemo descendere posset. Imò testati sunt varii se vidisse viros pueris pecuniam dantes, ad emendos clavos, quibus postea ligneam trabem transversim januæ, per quam transire oportebat, affixerunt, atque ita ostium occluserunt; credentes, eos, qui intus erant, hominibus pallia, mulieribus sua ornamenta ac quæcumque alia, interim ademtueros. Probi quidam homines Concionatorem, alii feminam cum infante qui baptizandus erat, in tutum locum deduxerunt. Alii cædem timentes, per fenestras, foràs sese proripiebant. Tandem magnâ vi aperta denuo janua est, at qui exierunt luto conspurcati, contumeliis appetiti, probris laceffiti sunt, quidam in fugam coniecti, alii pulsi ac verberati. Aderant quidem fermè mille homines hanc inspectantes tragediam, qui potius quam laborantibus opem ferrent, eos irridebant; imò etiam inter eos quidam erant, qui alios ad Remonstrantes malè mulctandos incitabant. Si quis vel leviter hæc facinora improbaret, illico Arminianus vocabatur, qui nullum Deum, nullam resurrectionem esse docebat. Interim Minister, unâ cum quinque vel sex honestis ac locupletibus civibus, quoque egressus est. Statim ac notus fuit, in eum impetus factus est, atque sordibus scædatus. &

scopis madefactus; quidam iustibus eum ferire volebant, clamabant alii, *interficate, occidite*. Tandem lapides in eum jecerunt, verum neminem læsere. Hoc modo, usque ad vicum vulgò vocatum *Boomsloot* actus est, ubi eum, sicut postea gloriati sunt, in aquam dejicere in animo habebant; at fugiendo in officinam cerevisiariam, cujus insigne gailus gallinaceus erat, salutis suæ consuluit. Hic conglobata iterum hæcturba nebulonum est, atque vi hanc quoque domum ingredi voluit: jam nonnulli fenestras vitreas lapidibus confringere inceperant, sed auxilio aliquot famulorum repulsi sunt. Nihilominus permulti circa domum remanserunt, quorum nonnulli usque ad vesperam januam obambularunt. Compertum postea est, consilium eorum fuisse, (quod jam die Saturni præcedente decretum erat) Concionatorem primum transeuntem pontem cum duobus, qui latera ejus claudebant, in aquam impellere, ac porrò eum dejectum lapidibus conficere. Episcopi fratres Rembertus ac Joannes, unà cum aliquot aliis, ultimi egressi sunt, ac difficulter admodum per puerorum turbam in plateam pervenerunt, Apothecamque, remanente intus uno viro, occluserunt. Vixdum in platea erant, cum multis probris vexati sunt, atque adeò pulsi ut à se invicem divulsi fuerint. Rembertus fraterque ejus, unà cum Jacobo Laurentii Realio, Collegii quod rei maritimæ præest Secretario, tantopere petebantur lapidibus, ut in pistoris domum fugerent, ubi per semihorium remanserunt. Plebs eos inde extrahere volens fenestras confringere minitabatur. Quapropter quidquid damni acciperet domus, dum in ea essent, solutores sese promiserunt. Cum autem homines ex Ecclesiis publicis egressi magnâ frequentiam per

Forum



Forum Novum incederent, sperarunt se latentes in ea multitudine incolumes domum perventuros: sed ab omnibus in foro tunc circumdati, derisi, ac pulsī, ut cum turba hominum velut undæ maris trecentos fermè passus veherentur, usque ad vicum vulgò dictum *Barndesbeeg*; ubi nunc ab hac, nunc ab illa vici parte in domos pellebantur, adeo ut ægrè sese domum quamdam reciperent; in qua dum quadrantem horæ morabantur, totum nebulonum agmen ad Apothecam, ubi concio habitabat, cursu contendit. Illic perruptâ januâ frequentes ad superiorem partem ædificii cucurrere, ac cathedrâ scamnisque confractis, omnia è fenestris ejecerunt, sumtalsque secum tabulas palam per urbem quasi in triumpho tulerunt, imò quasdam vendiderunt. Quin & plumbum à canalibus, quibus aqua pluvia defertur, abstulerunt. Cùm autem nihil reliqui esset, quod furarentur, post meridiem omnes tegulas à tecto dejecerunt, ac nisi Magistratus intervenisset, totum ædificium funditus evertissent. Imò quidam publicè profiteri non dubitabant, se incensuros fuisse Apothecam, si paullò remotior fuisset, ut sine damno aliarum ædium fieri potuisset. Huic itaque nequitix cùm nullus imponeretur finis, duo præclari locupletésque cives, qui Concioni adfuerant, circa horam quartam ad templum Novum se contulerunt; ubi antequàm inciperetur Concio, Consuli PAVIO facinus in Apothecam commissum exposuerunt, simulque petierunt, ut Consules hujus rei curam haberent, ut damnum vitaretur, ac ne majus malum à tumultu oriretur. Ad hæc asperè eis responsum est: *Ipsi ejus mali causa estis; vestra est culpa; quare id fecistis?* Unus ex iis respondit: *rationem eorum quæ feci, reddam.* Interea cùm quidam in Ecclesia ambulantium cir-

ca eos confluere inciperent, dixit Consul: *vultisne hinc quoque excitare turbas?* Ad quæ unus eorum: *melioſem ſpero*, inquit, *mentem nobis dabit Deus.* Alius è Magiſtratu ait: *cùm hoc negotium inceperitis, ipſi ad finem perducatis.* Quapropter tacentes diſceſſerunt, etiam timentes multitudinem, quæ jam clamitabat, *venistiſne huc, ad interficiendum noſtrum Conſulem?* Tandem congregati ſunt Conſules, ac circa veſperam horâ ſextâ Prætorem miſere, qui ſeditioſos ſubmovit. Biduo poſt, reſecta iterum eſt Apotheſca, & locator conductorque ad Conſules acciti ſe invicem à locatione ſolverunt. Quamvis, qui hujus facinoris participes erant, ſatis noti eſſent, nullus tamen totâ ſequente hebdomade vel punitus, vel in carcerem conjeſtus eſt; & cùm hoc facinus præclarus quidam Civis Conſulibus in Curia ob oculos poneret, rogarétque *quid, ſiquid mali accidiffet?* reſpondit Conſul Pavius: *non alia ejus fuiſſet habita ratio, quàm morſus canis haberi ſolet.*

Direptio  
ædium  
Rember-  
ti Biſ-  
ſchop.

Hoc ſcelere abſque punitione prætermiſſo, in ſequentem diem Dominicam Scripta denuo ſparſa & affixa ſunt. Die Sabbathi decimo octavo Februarii, Jacobus Batelerius unâ cum Remberto Epifcopio in conclavi ſuo, quod plateam ſpectabat, prætereuntes quofdam nebulones dicentes audiebant, *cruis hanc domum aggrediemur.* Eodem die Petrus Ruttenus Notarius, in officina Cornelii Ludovici Plaſſei Bibliopolæ, ſtans & de affixis Scriptis ſermonem habens, ait quofdam pueros iis excitatos congregandos, & dixit Bibliopolæ famulo: *ſi velis illorum puerorum agmini te jungere, ſolidum tibi dabo.* Quapropter Plaſſeus cum caſtigabat. Remonſtrantes exiguum à Magiſtratu earum rerum rationem haberi, neque iis obviam iri, ac ſibi in diem Dominicam

nicam insequentem magnum imminere periculum cernentes, concionem non habendam iudicarunt; antequam libellum supplicem Consulibus obtulissent, quo postularent ut in tutelam suam ipsos reciperent. Consules futuram tempestatem animo quoque prospicientes, Senatum die Saturni, convocarunt, ad consultandum quidnam in hocce rerum statu agendum esset. Quidam, quibus publica tranquillitas cordi erat, apertè profitebantur, magnâ curâ huic negotio provideri debere; ne si fortè alicubi haberetur Concio, eam plebs ferociens seditiosè turbaret. Id itaque Senatus decrevit, ac decretum porrò fuisset, quibus maximè modis hæc facinora comprimerentur, nisi rem in se suscepissent Consules. Præfectum Cohortium Urbanarum iusserunt, ut die Dominicâ ad omnem cohibendam vim, milites suos instructos, paratósque haberet; ac quò promptius orientibus turbis occurreretur, placuit ut unus è quatuor Consulibus die Dominicâ domi remaneret, ut statim præsto esset. Hanc curam in se suscepit Consul Pavius, tunc temporis Præses.

Dies Dominicus, decimus nonus Februarii, non minori tumultu, quàm libelli præcedentis septimanæ minitati erant, advenit. Matutino tempore, paullò post horam sextam, nebulones in aliquot divisi agmina varia in loca conveniebant, ac dolia lignea adepti, quibus vice tympanorum utebantur, ab hora septima totam percurrerent urbem, unoquoque agmine quinquagenis, centenis, ducentis hominibus constante. Unum agmen comitabatur Prætorem, ad inquirenda, turbandâque Pontificiorum sacra; donec speculati quasdam, quas præteriebant, ædes, relicto Prætore, qui domum se conferbat, circa horam nonam domum Remberthi  
Episcopii

Episcopii ad *Cingulum*, vel *Regalem fossam* sitam, prope vicum vulgò vocatum *Bergstraat*, magno impetu adorirentur. Priùs fores proximi ejus vicini pulsabant, sed inde ad ædes Remberti mittebantur. Illic statim maxima vi cùm pulsassent ostium, clamitantes *hïc Arminianos concionari*, lapidibus confregere fenestras vitreas. Erat in suo Conclavi Rembertus, cùm paullò antè deliberasset, utrum iret ad Concionem, quæ habebatur in Ergastulo publico, cujus directioni cum aliis præerat: at domi remanserat ob magnum, qui per urbem erat, tumultum. Dum jacerent lapides, pulsarèntque perpetuò ostium, vociferabantur: *aperite Arminiani, vos hïc concionamini*. Quamvis verum non esset, nec ita comperitum fore multùm affirmaret Rembertus, ac ipsis offerret, in suam domum aliquot eorum admittere, qui eam accuratè inspicerent, nihil promovere potuit. Illi contra furibundi, vociferantèsque ac tumultuantes, lapidibus quibus strata erat platea, quàm maximè poterant, domum impetebant, præcipuè verò duas vitreas fenestras inferiores, quorum lignearum illo die apertarum fuerant; in quas statim irruissent, ni à famulo Remberti, uxoreque repulsi fuissent, qui illico arreptis armis è pariete pendentibus, fenestras tuebantur, donec ancilla vicinorum per mediam turbam sibi viâ factâ, ligneam fenestram tam prope pelleret, ut Rembertus eam postea ipse ad se attractam occluderet, lapidèque in manum ejus incidente, paululùm etiam laceraretur. Quoniam autem semper crebros lapides mittebant, ad summam ædium partem se contulit Rembertus, ubi aëneum lebetem tundens, usquedum frangeretur, quàm maxima potuit voce *incendium* clamavit, sperans, (sed frustra) se auxilium aliquod adepturum. Hoc itaque nihil prodesse cùm videret, ancillam

lam ad Prætorem per posticum misit, petens ut à tanta calamitate se liberaret. Non multùm videbatur moveri Prætor, querelis, lacrimisque ancillæ, sed cùm illico post ad eum quoque venisset Hermannus Tholingus, affinis Hoofdii viri Consularis, in eadem degens vicinia, ac sese ad id ab insigni quodam viro impulsum esse dixisset; Prætor circa horam nonam, per nebulonum agmen, cum Tholingo domum Rember-  
 ti venit, eamque unà cum aliquot aliis ac suis lictoribus ingressus est; qui & unum è præcipuis jaculatoribus comprehensum, in domum captum secum induxerunt. Simul ac intus fuit Prætor, à jaciendis lapidibus cessaverunt. Paullò post Prætor, apertâ januâ, illos cùm rogasset, *quid vellent?* responderunt, *Arminianos illic concionari, seque eos exturbare velle.* Ad hæc Prætor: *nullus hîc est conventus, suprâ, infrâ, atque ubique quæsi.* *It* iterum *vicini proximi eos hîc esse oportere dixerunt.* Rembertus furibundos quoque allocutus percontatus est: *Quare hæc mihi facitis? aliquémne fraudavi? an cuiquam litem movi? an alicui, qui pro me laboravit mercedem non solvi? an trientem subtraxi? annon æquè inculpatus Civis sum, ac alii? quodnam crimen commisi, cur ades meas ita oppugnetis?* Sub hæc illi clamant omnes, *nullam aliam ob causam, quàm quod Arminianus sis.* Statim ac ab janua recedebat Prætor, lapides iterum jaculabantur; dum verò apertæ januæ adstabat, nullos vel paucos jaciebant. Illac fortè transiens alius Sub-prætor, cum suis lictoribus, domum quoque ingressus est; quoniam autem & à postica ædium parte lapides mittebant, verbis eos sedarunt. Interim Overlander Scabinus ac proximus Rember-  
 ti vicinus, qui & ob hunc tumultum ex Ecclesia accitus fuerat, unà cum alio vicino ad Consulem Pavium se contulit, qui haud  
 procul

procul inde eodem in vico degens omnem tumultum à suis ædibus prospicere poterat, & antemeridiano tempore, domi remanserat, ut omnibus esset intentus, ac si quis tumultus alicubi oriretur, eum comprimeret. Overlander eum allocutus, *nescisne*, inquit, *quantus hęc sit tumultus? hęcine illa est cura, quam Consules se adhibituros heri in Senatu polliciti erant? prospere-turósque ne quid mali, juxta minaces libellos, accideret?* Pavo, inconsultis aliis Consulibus, quidquam facere visum non est; sed sese cum aliis Consulibus collocaturum, atque sedando tumultui operam diligenter daturum (ad quod sese jam accingebat) promisit. Prætor ac Sub-prætor, ad fallendum tempus, nunc in ædibus, nunc in horto ambulabat, ut dispicerent inter se quid agendum esset; quos nebulones simul ac à janua digressos sensere, absque intermissione lapides jecerunt, & vociferati sunt, si captivus ipsis redderetur, sese domûs obsidione abituros. Hisce aliqua spe erectus Rembertus, ut dimitteretur captivus, ipse oravit. Prætor se hoc facturum, injussu Consulum, cùm primò negasset, tandem tamen hominem dimisit; quo dimisso, non tantum non contenti fuere seditiosi, verùm majore impetu lapides jaculati sunt; adeò ut Prætorem, qui in superiora Conclavia ierat ut clam despiceret per fenestras, dignoscerétque nonnullos, ob incidentia faxe, redire oportuerit. Tandem ambo Prætores abire decreverunt. Tum verò Rembertus ejusque uxor vehementer, ut remanerent, orare; *quòd si abeatis*, inquebant, *tum nos quasi dediti sumus: idèoque remaneatis vos quasumus.* Prætores ad hæc negare, se per totum diem, illic manere posse, aut id à Consulibus sibi imperatum esse. Quibus Rembertus iterum, sese putare, inquebat, *eos ea mandata semper habere,*

ut omnem injuriam prohiberent, ac eos, quibus vis inferretur, pro virili tuerentur. Si verò hoc fieri nequirit, petere se, an igitur viginti milites, suis impensis, quantæcumque tandem essent, nancisci posset? Prætores denuo, sine Consulium jussu eos acciri posse, negarunt: sed se quidem per posticum exituros, ut pueros ante domum conglobatos fugarent. Hoc licet Remberto non placeret, tamen exiere, ac per vicum vocatum *Bergstraet* ante ædes venerunt. Multitudo sedari aliquantum primò videbatur, at Prætorè Hanio in nebulones quosdam ferrum stringente, lapidibus aliqui eum impetierunt; tunc cum omnibus suis lictoribus abiere. Vix discesserant Prætores, cum scelestæ plebs vociferata *abiisse Prætores, domum & quidquid in ea erat in prædam sibi concedi*, tanto impetu saxa immisit, ut in anteriore domûs parte absque vitæ, incolumitatisve discrimine, nemo remanere posset. Milites procul inde aberant, missique ad alteram urbis partem, ubi nullus planè erat tumultus.

Tum verò Rembertus ac ejus uxor sese libidini furorique plebis expositos videntes, animum desponderunt, ac sua omnia, quæcumque possent, in tutiorem locum deferre decreverunt. Quidquid potuerunt in hortum detulere ac in vicinorum hortos dejecere, ut in ipsorum ædibus servaretur. Libri, pretiosissima quæque & pecunia, quæ tunc sat magnâ copiâ in ædibus erat, ferè omnia servata fuere; nisi quòd summa circiter mille florenorum è pecunia postea desiderata est. Horum plurima, operâ aliquot mercenariorum famulorum, in tutum locum delata sunt, qui per posticum intromissi, non sine magno vitæ discrimine, saxorum grandinem sustinuerunt. Post domûs direptionem, cum iterum purgaretur, circiter sex millia lapidum in

ea inventa fuere. Qui auxilium ferebant libenter eam turbam vi submovissent, si modò hoc permisisset Rembertus, qui eadem timens eos orabat, ut solummodò sua bona fervarent. Cùm jam pretiosissima quæque in loca tutiora delata essent, Scabinus Overlander vicinus ipsum in horto ita allocutus est: *Video, vicine, tibi nullas ut oporteret, pro ratione periculi, suppetias ferri; præterea adversariorum tuorum in tuam januam impetum facientium furorem audio, qui si te apprehenderint, vitam tibi adiment* (qui enim foris erant, clamabant: *si capiamus Arminianum, eum trucidabimus*) *quæso, fugâ saluti consulto.* Itaque ad Overlandrum transcendit, ibique in summam ædium contignationem se contulit, scalamque ad se attraxit, ne ipsum persequerentur. Verum antequam domo egrederetur, ablata à pariete arma abscondidit, ne vulgus, occupatis ædibus, majore violentiâ arreptis armis uteretur. Uxor tamen adhuc remansit, ac quæcumque sine periculo projectorum saxorum, auferri poterant, in tutum locum deferri curavit. Qui per posticum ingressi erant, eam adjuvabant ad transferenda bona supra duo hororum sepimenta, quoniam ab altera parte proximi vicini nihil omnino abscondere volebant; porrò anteriorem ædium januam quam maximè munierunt, factisque in pariete foraminibus trabes transversim ostio objecerunt. Obsessores interim à jaciendis lapidibus quatiendâque domo nihil remittebant. Nulla vitrea fenestra, præter exiguam quamdam summo positam in loco, in tota anteriore ædium parte, integra remansit. Arrepto deinde è nave aslere, quæ fortè illie ad oram fossæ jacebat impetum in januam fecere; quæ quoniam intrinsecus probè munita erat, faxis & impulsione asleris parum commota est.



est. Hisce igitur nequidquam tentatis , exteriora claustra cellæ , in qua merces condita solent , & quæ plateam spectabat , fregerunt , iisque ejus ostium perruperunt , quamvis sex dolia mercibus maximi ponderis impleta ei opposita essent. Occupatâ jam cellâ , nondum tamen domum intrare potuerunt ; itaque priusquam id aggredierentur , omnia quæ potuerunt , illinc abstulerunt : ac inter alia duo vasa præstantissimis libris referta , tam Theologicis , quàm Juridicis , qui Remberto ex Anglia missi fuerant , ut eos usque ad dominorum adventum seruaret. Hosce aut discerperunt , aut dilaniarunt , aut in aquam coniecerunt ; quæ facinora quibusdam castigantibus , illicò objiciebatur : *Estisne quoque ex Arminianorum grege ?* ut nemo hiscere auderet. Porrò vasa mercibus plena aperuerunt , cum autem in iis , nihil quod placeret , inuenissent , ea statim reliquerunt. At in penuariam cellam ubi ventum est , omnia quæ illic erant corruerunt. Quidquid butyri , carnis , laridis , vel similibus auferre nequierunt , pedibus conculcarunt ; sibi invicem lascivientes ora lucanicis contuderunt , apertis cerevisiæ vasis è pileis suis biberunt , reliquâque in cellam effuderunt ; vasculum vini humeris in plateam exportarunt , ibique tandem ebiberunt. Dum in cella essent , faxis eos petebant , qui per hortum transeuntes facultates iis ereptas in tutum locum deferebant. Hoc uxor Remberti videns , admodumque trepidans , ad ambos suos liberos , qui paulò antè per posticum è domoeducti fuerant ; aufugere decrevit ; imperavitque famulis , atque ancillis , aliisque , qui ad eam adjuvandam illuc venerant , ne quisquam suam valetudinem ad servandas facultates in discrimen adduceret , sed solummodò quod sine periculo poterant , servarent ;

rent, & promisit si quid salvum præstaretur, hoc se se remuneraturam, ac postea plusquam centum floreni persoluti in servationis præmium. Verita autem ne, post spoliatam domum, eam quoque incenderent, hydriâ aquæ ignem primùm exstinxit; posteaque per posticum in plateam *Heere-Graft* vocatam, & in qua mariti sui frater habitabat, aufugit. Ante hæc ædes, matutino tempore, magna quoque hominum puerorumque turba congregata steterat, variisque lapidibus jam vitreas fenestras confregerat; attamen tanto impetu eam domum non adorti fuerant, fortè quòd tam acres non aderant incitatores, & Joannes Episcopus cum duobus infantibus ad januam perpetuò staret, quorum misereri videbantur, ac quòd subinde pecuniam quibusdam dando eos sedaret. Opinatos etiam eos esse, à domo fratris maximam peti posse prædam, colligere est ex quorundam vocibus invicem quærentium: *Quid in parva hacce faciemus domo? ad alteram nos conferamus, plus illic est, quod rapiamus.* Remberti itaque uxor per posticum trepidans, in plateam seu fossam Dominorum egressa, necdum planè vestita, & cubiculari induta stolâ ad suos liberos, qui non procul inde aberant, ire perrexit. At cum turba sensisset alterius domûs matremfamilias esse, altâ voce clamitans, *En Arminianam meretricem, interficienda est; eam est intecuta, lapidibusque impetiit, ac tantoperè pepulit, ut in scriniarii cujusdam domum profugerit; in quam ubi magno tumultu fugata erat, lapidibus vitra quoque fenestrarum confregerunt, vociferati illic esse Arminianam meretricem; quæ nisi sibi dederetur, totam se everuros domum.* Scriniarii uxor miserata quidem ejus, sed tamen sibi timens ei exponit quantum malum ipsi domuque minitarentur.

Illa ad tam ferocem turbam exire verita, quæ occidendam clamabat, à scriniarii uxore veterem pallam petiit, sperans se haud notam ita elapsuram. Dum autem id animo agitaret consilium, vidit ponè domum se evadere posse, conspectamque illic scalam ascendens ex pariete in hortum Consulis Gerardi Jacobi Witsen delapsa est, ac præ stupore nescia ubi esset, deliquium animi passa, visa tamen cùm esset à quodam è Consulis familia, in ejus domum delata est, ibique à Consulis uxore magno studio recreata, ac refecta est. Interim nebulones nescii quò fugisset, eam adhuc ex scriniarii domo extrahere volebant, nec sedati sunt antequàm ejus uxor aliquot in ædes intromissos ubique scrutari permisisset. Cùm verò ad se uxor Remberti Episcopi rediisset, Consul illi dixit: *Vicina, quomodo hæc accideret? cui illa admodum adhuc pavens regeffit: hi sunt, Domine, zeli vestrorum Concionatorum fructus, qui plebem ita in nos incitant.* Trepidatione aliquantum remissâ, cùm perpetuò suos liberos postularet, clam ad eam adducti sunt. Post ædium direptionem, in eas etiam Rembertus rediit, cùm in iis jam Consules Scabinique essent, atque ita ipse & uxor post quatuor horarum spatium denudò convenerunt, gratias agentes Deo, quod omnes corpore illæso illas turbas effugissent. Dum pars tumultuantium uxorem Remberti per plateam *Heere-Graft* vulgò vocatam persequeretur, altera jam confringebat domum, quod inventis in occupata cella trabibus perfecerunt; iis enim tamdiu ac tantâ vi januam quasserunt, ut tandem disrupta sit. Hoc modo domum ingressi, cistas, serâsque faxis aliisve sibi obviis instrumentis confregerunt, & quatuordecim quidem seris vi apertis omnia abstulere, nec quidquam reliquere, quàm quod exportare nequierunt, vel ad

quod auferendum tempus defuit, imò ipsam fumo induratum carnem è camino detractam rapuerunt. Omnia lintea tam immunda quàm munda ablata fuere, ut præter indusia, quibus induti erant, nihil reliqui ædium domini habuerint. Arca ferrea, in quam, ut videtur, aliquot inciderant nummi, qui magnum in ea cedeant strepitum, summum fuit prædonibus ad eam aperiendam irritamentum; at quacumque eam inverterent, nihil præter ferrum cùm esset, aperiri ab eis non potuit. Ideoque eam in plateam, ac deinde in pontem vicinum detulerunt, è quo illam in canalem dejicere cogitantes, à transeunte illac Petro Matthæi Scabino prohibiti sunt; adeoque servata, in domum postea delata iterum est. Quodcumque prædatores auferre non potuerant, corruerunt, & aliquot tabulas pictas cultris dissecuerunt; imò è vicinorum hortis quæ illuc ad servandum portata erant, nec, præ angustia temporis, intra domos ferri potuerant, rapuerunt. Jactura quinque millibus florenorum æstimata est; nonnulli tamen obtrectatores dicere non dubitabant, Rembertum nullum passum esse detrimentum, *ac quamvis solo aquata fuisset domus, pecuniam quam à Barneveldio, Regéque Hispaniæ acceperat, satis superque huic damno resarciendo sufficere.* Domus oppugnatio ante horam nonam inchoata est, & usque ad semiduodecimam continuata antequàm caperetur, inspectantibus eam quinque aut sex millibus hominum, quorum aliquot, utpote primùm Ecclesiâ egressi, pendentia è suis brachiis habuere Biblia. Compertum est ordinis non infimi homines pueris, ut tumultum augerent, pecuniam divisisse, & si strenuam operam navarent, duplam promississe. Nonnulli tam acerbo perciti erant zelo, ut quibusdam

dam facinus damnantibus dicerent : *Rectè fiet, situæ ades ac multò plures præterea eo modo diriperentur.* Circa horam decimam, ad Ecclesiam Veterem se contulerat, præ studio in Rembertum, vir quidam honestus, ad conveniendum aliquem Consulem, quem oravit ut huic malo prospiceret; quoniam ita comparata urbs esset, ut magna inde seditio oriri posset. Consul cum ad Prætorem eum rejiceret, iterum ille dixit: *Fuit illic Prætor, at abiit; militibus ibi opus esset.* Cum non exaudiretur, ac durius redderetur responsum, ad Consulem Rudolphum Egberti, qui in alia erat Ecclesia, perrexit. Æditui uxor cum primò intromittere noluit, dicens: *Hoc meretur scelestus ille, hocine tam novum est? sciri heri id nunc futurum.* Attamen ad Consulem ivit, eique cum facinus commemorasset, statim ad Curiam cum eo processit. Finitis interim Concionibus, Scabini aliique è Magistratu, quibus jam in Ecclesiis hæc exposita fuerant, unà cum Consule Pavio, qui cunctatus hucusque erat, versùs direptam domum se contulerunt. Pavius cum reliquis ad vicum vocatum *Bergstraet* constitit, excepto Petro Matthæi Scabino, qui credens alios se sequi, per omnem turbam usque ad domum perrupit, sed se se convertens, neminè que aliorum cernens regressus est. Seditiosi interim, prout libuit, domum diripuerunt; donec Consules Senatorèsque circa horam duodecimam frequentes, nullis obstantibus, inermes per totum latronum agmen domum pervenerint. Tum verò qui intus erant, in fugam se coniecere, verùm jam omni prædâ ablata; exceptis aliquot, quæ nimis altè suspensæ erant, tabulis pictis, iisque quæ erant in Rationum Conclavi è quo excussio uno vitro, aliquot tantùm nummos, quos ma-

nu attingere potuerant, abstulerunt. Furum nullus qui ingredientibus domum Consulibus, Scabinisque obviam fuerant, captus est. Cùm jam igitur Magistratus in ædibus esset, venit quoque illuc Rembertus, cui Consul Pavius lachrymas non tenens, se ejus vicem summopere dolere ait. Tunc statim ut majori malo prospicerent Consules, manipulum militum, qui toto matutino tempore circa S. Antonii portam sub armis steterat, domum immiserunt, qui jam vacuam direptamque custodirent. Porro Magistratus in Curiam reversi, post campanæ sonitum, edictum promulgari curarunt, quo unumquemque domum suam sese recipere sub pœna jubebant arbitraria. Nihilo tamen rarior facta est ante domum turba, remanentibus, ut verisimile est, multis præ curiositate, quam eis rei novitas injecerat. Fures, quorum prædæ aviditas non interruptâ Remberti ædium direptione admodum erat inflammata, postridie iterum convenire cœperunt. Matutino tempore, horâ septimâ, Joannis Episcopii domum adorti, jam aliquot vitra lapidibus excusserant; at à militibus, à Remberto fratri suo in auxilium missis, summo-ti denuo sunt. Nebulones attamen hi toto illo die magnis agminibus per totam urbem cucurrere, prædicantes varias se ædes, quas jam in scheda descriptas habebant, aggressuros. Ubi cumque eximia, præstantiâque cernebant ædificia, ea omnia haud curantes quorum essent, in numerum Arminianarum domuum redigebant. Fortè ædes viri cujusdam primarii, Contraremonstrantibus addictissimi, & à Remonstrantibus quam maximè aversi, prætereuntes, nil nisi rapinas & furta spirabant: dum filia viri hujus cum quodam adstante colloquens, furorem illum laudans, *ecce, inquit, zelum populi.* Vix hæc proloquuta erat,

erat, quàm prætereuntium nebulonum unus, oculos in domum splendidam conjiciens, ad socium suum inquit, *Hæc etiam egregia Arminiana domus foret. Audin' matrona, regessit alter, zelum populi?* Illa pudore suffusa occluso ostio se in ædes proripuit. His atque aliis plurimis moti Consules Senatum convocarunt, ut Reipublicæ prospicerent. Die Martis pulsatâ campanâ Remonstrantium cœtus, omnésque præterea libelli famosi, puerorum conventus, ædium direptiones, aliáque similia interdicta fuere. Inter alia, continebat id Senatusconsultum, *velle Magistratum inquirere in eos, qui vim domo intulerant, monebátque unumquemque qui quospiam nosset raptores, aut ubi erepta quadam reposita essent bona, ut rem ad Magistratum deferret.* Præ se ferebant, quasi in omnes noxios, etiam duodecim annis post, quàm severissimè animadversuri essent. Attamen varii in carcerem coniecti nunquam propterea vel minimam pœnam luerunt. Quidam, è quorum ædibus rapta bona extracta sunt, postquàm per aliquot menses in carcere inclusi fuerant, constituto vadimonio centum quinquaginta ducatonum, ac trecentorum florenorum, cuius vadimonii sponsores ejusdem ordinis homines erant, dimissi iterùm sunt. Fuere inter eos duo, unus capsarius, alter ferrarius, qui facti sunt sese trabem in januam impegisse, quibus tamen nulla est inflicta pœna; quoniam è Magistratibus quidam dicebant, *hoc è Religionis studio ortum esse, ac res ad Religionem spectantes cautè tractandas.* Imò nonnulli dicere non dubitabant à Remberto impensas carceris solvi oportere. Res tunc incidit memoratu digna; cum enim hic faber lignarius à Scabinis interrogaretur, negarétque se quidquam à Remberti domo furatum esse (quamquam alius coram Scabinis testatus fuerat se se vidisse hunc fabrum

Senatusconsultum ad-versus Remonstrantium congregationes promulgatum.

Quidam è direptoribus rapti, sed iterum dimissi.

varia lintea è cista, in anteriore domûs parte posita, auferentem, ac sese decem ex ejus fasciculo cadentia mantilia sublata domino custodiisse) quærereturque ab eo, quare ergo domum esset ingressus? reposuit: *præ bono zelo ad impugnandos, qui fortè congregati illic forent, Arminianos.* Rogatus porrò, quamobrem tantopere Arminianos odio haberet, respondit: *Tolerandine essent ejusmodi homines tam falsam prædicantes doctrinam, Deum, nempe, alios, ut eos damnaret, alios ut eos aternâ salute bearet, creasse?* Hinc cernere est, quânam Religione impulsî fuerint ii, qui suæ Ecclesiæ doctrinam Arminianis crimini dabant. Tulit Rembertus hanc calamitatem æquissimo animo, ejusque postridie fratrem suum Episcopium epistolâ certiore fecit; quæ tantâ animi tranquillitate firmitatêque scripta est, ut alienas potius, quàm suas ærumnas, describere videatur. Quamquam Episcopus ex fratris calamitate gravissimum caperet dolorem, omnes tamen ejus epistolæ hac de re ad fratrem missæ, & quæ adhuc exstant, scatent exhortationibus ad patientiam, constantiamque, nihilque iis inest, quod ullam vindictæ cupiditatem redoleat. Mirum multis visum est, dum omnium aliarum Religionum Ministri in suis Concionibus id facinus castigarent, ac suos auditores dehortarentur à talibus, in Ecclesiis publicis nullam adhibitam fuisse castigationem. Die Jovis post direptionem ædium Remberti, ad eum duo venere Seniores, *mandatum ab Synedrio sibi dicentes, ut ei denunciarent, ut ipse ejusque uxor à sacra Cœna, proximâ die Dominicâ celebrandâ, sese abstinerent.* Cùm Rembertus, *quânam esset causa?* percunctaretur, quæreretque, *an dum vidisset diripi, spoliarique sua bona, haud sine suæ uxorisque vitæ discrimine, tam parum Christianè se gessisset, ut propterea moderato sibi sa-*

Rembertus  
Bis-  
schop  
sacra  
Cœna  
interdi-  
tur.



crâ Cænâ interdiceretur? responderunt, nullomodo: Christianè ac moderatè te gessisti: at quoniam in eo mœrore nunc versaris, posthac tibi rationem reddet Synedrium, nec alia nos mandata habemus.

Sub idem fermè tempus, Adolphus Venator, Alcmariensis Concionator, libellum edidit, præfixo hoc odioso titulo; *Theologia vera & mera infantium & lactantium in Christo: quæ à Christiana Ecclesia per quatuordecim quidem sæcula desiderata, nunc primùm in lucem protracta est.* Hocce de libello graves ad Ordines delatæ sunt querelæ, utpote res continente Divinitati Christi, aliisque fundamentalibus Christianæ Reformatæ Religionis dogmatibus contrarias, adeoque magnum scandalum præbente, ac in ea Religione intolerabili. Ordines, misso eo libello quarto Maii ad Lugdunenses Theologiæ Professores Polyantrum & Episcopium, eorum de illo rogarunt sententiam. Hi iudicium in hunc fermè modum conscriptum decimo ejusdem mensis ad Ordines miserunt: *Verisimile esse (ni Scriptor clariùs, apertiùsque mentem suam explicet) id quod de Christo scripsit contrarium Divinitati Christi esse; quod ad alios Religionis Christianæ articulos Formulis Unionis comprehensos attinet, quosdam eorum planè silentio prætermitti, alios verò per interrogata & responsa ita esse propositos, ut non parum suspicionis præbeat, nisi clariùs opinionem suam proferat, eum aliam fovere sententiam ab ea, quam articuli antedictarum Formularum continent; quosdam tam nudè propositos, ut cum veritate doctrinæque antenominatis Formulis comprehensa nullomodo congruant; tandèmq; generalia jaci fundamenta, quibus absoluta Religionis Christianæ necessitas ad salutem æternam adipiscendam planè subruitur, ac ampla patet janua, per quam omnis generis sectæ, cujuscumque tandem Religionis sint, modò Deum colant, ejusque præcepta*

Judicium Professorum de libello quodam Venatoris.

*sequantur, tam Judai, Turca, Ethnici, quam omnis generis Christiani, in vitam aeternam intro-mittantur. Ordines acceptâ hâc Professorum sententiâ, ubique hunc libellum conquistum auferri curarunt; Venatorémque præterea jusserunt, ut decimo septimo Martii Hagæ-Comitis præsto esset, ut utrique Professori propterea Hagam accito, coram duobus è Confessu Ordinum Deputatis, Hugone Muysio ab Holy, nempe, & Hugone Grotio, rationem sui libelli redderet, ac cum iis de eo colloqueretur. Longum tunc habitum est cum Venatore colloquium, quo nec Deputatis, nec Professoribus ullomodo satisfecit, sed contrâ judicium, quod de ejus libello tulerant, confirmavit. Venator tamen petiit, ut si fortè Deputati hanc collationem Ordinibus renuntiarent, tria disertè exprimerent: nempe, credere se se Jesum Christum esse Deum: secundò, eum aeternum esse Deum: tertio, exstitisse eum antequàm è Maria virgine nasceretur. Cùm postridie in Confessu Ordinum id renunciaretur, ac Advocatus Oldenbarneveldius primò percontaretur, utrum Deputati, an verò Professores rem exposituri essent? statim id in se suscepit Polyander, fusèque quod tractatum erat, commemorare cœpit; at multa immiscuit, quæ aut acta non erant, aut ad rem nihil faciebant, ut cùm diceret, se, quod ad se privatim attineret, multa adhuc adversus eum dicenda habere: iisque præterea alia adjecit, quæ haud parva à Venatore alieni animi indicia erant. Attamen negabat, se præ odio in illum quidquam facere, seque permotum dicebat, veritatis & tranquillitatis Ecclesiæ amore, quæ ejus libello admodum perturbabantur. Sub hæc exorsus Grotius ostendit, quam in re Venator non satisfecisset. Postea verò libellum supplicem à Venatore compositum, traditúmque Grotio,*

Muysius

Muyfius ab Holy Confessui obtulit, acceptumque cum perlegisset Advocatus, in hunc modum orsus est Episcopus : *Si Venator , Illustrissimi Ordines , initio collationis nostræ hesternæ talia circa dogma Divinitatis Christi esset professus , qualia sub finem quidem declaravit , ac jam fusiùs facit suo libello supplice , magis nobis satisfacisset , suspicionesque ex ejus libro ortas haud parum minuisset . Etenim heri nos discedentes hortatus est , ut cum collationem commemorarem , tria vobis exponeremus , quæ vera esse profiteretur , atque à meo Collega dicta quoque sunt , Jesum Christum esse Deum , eum æternum esse Deum , atque existisse antequàm è virgine Maria natus esset . Nunc & in supplice libello , præterea adjecit , increatum eum esse , quod sententiæ Arii planè repugnat , neque heri dixit . Hæc si in tempore ab eo dicta fuissent , magis , inquam , satisfacisset : at , cum tam serò prodeant , extorta videntur , suspicionesque non omnes tollunt . Hæc fuit causa , quæ nos de hac re heri decernere quidquam prohibuit .* Post habitam deliberationem , traditus est supplex libellus Deputatis & Professoribus , ut egressi sententiam suam scripto comprehenderent , posteaque afferrent . Sententia eorum fermè hæc erat ; *Venatorem suo quidem libello supplice satisfacisse , librum tamen ejus ab illis declarari scandalosum , periculosumque , atque ipsos petere ut Ordines eum supprimerent .* Postularunt deinde Ordines , ut ea sententia scriptis mandaretur . Hujus itaque cum argumentum scripisset Polyander , rogassetque Episcopus , *cui rei id inserviret ? Nulli alii ,* inquit Polyander , *nisi ut inde depromamus id quod Ordinibus tradetur .* Episcopus hisce dictis fidem habens , credensque alterum fore conventum , quo unà scriptum conficerent , argumento illi vigesimo primo Martii cum Polyandro subscripsit . Polyander autem , cum id illico Prætori

Dordraceno Muysio ab Holy, hic verò Grotio tradidisset, scriptum brevi pòst, incscio ac invito Episcòpio, in vulgus emanavit. Delatùmne sit ad Ordines certò affirmare nequeo. Venator verò Gravesendam relegatus, cùm post menses tres ampliozem iterùm opinionis suæ expositionem obtulisset, Professorum denuo de ea rogata est sententia. Quid responderit Polyander non rescivi. At Episcopus vigesimo primo ejusdem anni scripto declaravit, *suo quidem judicio Venatorem circa fundamentalia Religionis Christianæ dogmata, quæ præcedenti subjecta fuerant censuræ, ac in collatione cum eo habita ex communi sententia non explicuerat; hâcce suâ confessionis expositione conscriptâ, Ordinibûsque traditâ planè satisfacisse; quippe cui conveniret cum sacra Scriptura, antiquis Doctõribus tam Latinis, quàm Græcis, Confessionibûsque omnium Reformatõrum, ac imprimis Fæderati Belgii Ecclesiarum.* Hisce præterea adjecit, *si expositio hæc ederetur, ejûsque libellus secundùm eam intelligeretur, scandalum inde ortum non solum tolli, verùm etiam quodcumque aliud in posterum vitari posse.*

Hagæ-Comitis dum adhuc essent Professores, in Conclave Ordinum venire jussi sunt, ut de edictò, quod promulgare Ordines in animo habebant, sententiam suam dicerent. Cùm illuc venissent, quosdam invenerunt è Conventu Ordinum Deputatos, qui cum iis colloquerentur. Ex his unus, posteaquàm Ordinum sententiam exposuisset, edictùmque prælegisset, dixit Polyander *Ecclesiarum Ministros audiri oportere: se se solum haud libenter quidquam in dânnum Ecclesiarum facere velle, se enim facillimè displiciturum quibusdam, qui ipsius actiõnes reprehenderent, ac tandem se utrique parti placere cupere.* Ad hæc ait Episcopus, *nullo modo se gravari, verùm officium suum*

Eorum  
sententia  
rogatur  
de com-  
ponendo  
Edictò.

esse, cum non solum esset subditus, sed etiam Ordinibus operam suam collocasset, sententiam dicere, quandoque postularent Ordines: idque nulli, nedum juri Ecclesie, ullum damnum afferre posse; nec, si hæc impedimento semper forent, quemquam sententiam suam facile dicturum. Cum Polyander ad ea iterum respondisset, se haud libenter limitibus sue professionis egredi, Ecclesiamque damno afficere; Grotius quælivit, qui igitur vocandi sunt? Accersere oporteret, inquit, Uytenbogardum, Festumque. Tum percontatus denuo est Grotius, suntne ergo illi Ecclesia? Imò, ait Polyander, repræsentant Ecclesiam. Cujus nomine? inquit Grotius, ac quisnam titulum Ecclesie Repræsentativæ ipsis concessit? Episcopus verò: Oportuisset igitur multò magis gravatos nos fuisse condemnare Venatorem. Nullomodo, inquit Polyander, libenter id feci. Attamen, subjecit Episcopus, majoris id est momenti, quàm hoc: pergensque dixit, quod ad me attingit, haud gravor sententiam dicere: quæsi verim tantum an huic edicto parere quoque Professores oporteat; quibus major libertas quàm Ministris concedenda esset, quoniam in Academia disputantes pro & contra, presiq; argumento, interdum aliquid proferunt, quod alioqui non dicerent: ac jam ex decreto anni MDCXIV. majore fruerentur libertate. Ad ea responsum: minimè id Professores spectare, quos tantopere constrictos non esse oporteret. Polyander autem de sententia non decedens, cum à Grotio urgeretur, Nolo, inquit, ulterius procedere; Festus ac Uytenbogardus accersi possunt. His ergo accitis, Polyander cum Festo, Episcopus cum Uytenbogardo sententias scripto comprehensas Ordinibus tradiderunt.

Mense Augusto ejusdem anni, Episcopus Hagæ-Comitis, postulante Magistratu & Synedrion illius Ecclesie, concionatus est. Postridi-

Collo-  
quium  
Episco-  
pii cum  
Principe  
Mauri-  
tuo.

unâ cum Uytenbogardo ad domum Domini Mylii vocatus est, qui iis dixit, *sibi à Principe Henrico fuisse dictum, audivisse se à fratre Mauritio, rescivisse eum, Episcopium Haga-Comitis concionatum esse, ipsique admodum id placuisse, quoniam intellexerat eum de controversiis non scripsisse, ac valdè esse pacis amantem, magnâque ornatum eruditione; seque cum eo colloqui velle, ut videret, num aliqua esset via ad componenda Ecclesiæ dissidia; sese enim hâc curâ anxium, nec dies, nec noctes quiescere posse. Advocatum Ordinum suum socerum . cum quo hac de re consultaverat, judicasse rectè facturum Episcopium, si Mauritium inviseret. Quærentibus quâ ratione id fieri posset ? respondit Mylius, sub salutationis prætextu; quasi, nempe, nolisset Leidam regredi, antequàm Mauritiî manus esset osculatus, ab eoque mandata accepisset, & Academiæ ei commendasset. Cùm objicerent, vereri se se ne compellatio hæc quæsitâ nimis videretur; judicare se ait Mylius, è re tamen esse, adjecitque insuper: *Principem Henricum suasisse fratri, ut Episcopium accersi curaret; eum verò non judicasse id esse faciendum, ne acerbi homines agrè id ferrent. Decretum tandem est, Episcopium atque Uytenbogardum colloquuturos priùs cum Principe Henrico, ut ex eo cognoscerent, quid faciendum esse putaret. Postridie itaque ad aulam Henrici sese contulere, quo domi non reperto, Principem ejus matrem Uytenbogardus adiit, cui suum consilium indicavit. Illa se quoque multa in laudem Episcopii à Mauritio audivisse dixit, pròmisitque, post meridiem, se certiores eos facturam, quando filius domi esset, atque opportunè conveniri posset. Horâ fermè tertiâ, cùm famulum misisset, ad Principem perrexere. Qui comiter admodum eos excipiens, *Judicare se se, inquit, Episcopium fratrem Mauritiium***

tium invisere debere, quoniam haud dubitabat, quin libenter cum Episcopo colloqueretur. Cùm percontarentur quomodo id fieret, idem quod Mylius respondit, quasi salutationis causâ. Quærentibus quem in finem? Princeps respondit, putare se fratrem ex Episcopo cognoscere velle, utrum aliquam nosset viam ad tollenda hæc mala, vel ut ei scriptum aliquod traderet, ex quo intelligeret quid faciendum censeret. Illi cùm dicerent se omnia quæ ad componendas controversias apta erant, adhibuisse, nec aliud superesse, quàm ut se invicem dissentientes tolerarent: id novi, ait Princeps, attamen invisisse fratrem nihil nocebit. Hæsitans adhuc Episcopus compellarétne Mauritium, nec ne, cum Uytenbogardo ad Oldenbarneveldium, ut ejus audiret sententiam, se contulit. Hic, licèt sententiæ Principis Henrici adsentiretur, monuit tamen Episcopium, ut animo reputaret eâ opinione esse imbutum Mauritium, cui tenaciter adhæreret, Remonstrantes, nempe, supplantare Contra-Remonstrantes, veteremque Religionem subvertere velle. Postridie itaque ad Mauritium Episcopus se contulit, qui præbitâ ipsi humanè admodum comitèrque manu, gratum sibi esse ait illum videre, se seque cùm eo colloqui jam diu cupiisse. Dicenti Episcopo, se ausum non fuisse urbe egredi, antequàm Mauritiï manus esset osculatus, gratias egit, ipsùmque relecto capite loqui volentem, pileo caput tegere jussit, non aliter inquiring se cum hominibus loqui esse solitum: quibus statim pòst subjecit: *Libenter se se de dissidiis circa Religionem ortis loqui velle, ut quid ipsi de iis videretur, intelligeret, ac numquid ad tollenda illa mala aptum remedium nosset? se se enim suspectum esse, ac si quidpiam moliretur, ac alteri partium ita faveret, ut alteram deprimeret, à*

quo tamen planè abhorrebat, utpote qui ambas defendere tuerique vellet; sed in illorum se esse sententia; quos solos antiquam Religionem conseruasse crederet. Hucusque in privatis Episcopii adnotationibus id colloquium inuenio; cum sequentia non compererim, illa hîc memorare non potui.

Expositionem  
suam  
Matthæi  
incipit.

Sub exitum mensis Aprilis ejusdem anni, egregiam suam explicationem primæ epistolæ Apostoli Joannis Episcopus ad finem perduxit, ac haud multò post explicationem Evangelii Matthæi inchoavit; at quoniam sub finem insequentis anni ad Synodum vocatus est Dordracenam, ut postea dicemus, absolvere eam non potuit. Jam in Hollandia magis magisque omnia ad schisma spectabant, quia Contra-Remonstrantes omnes pacis, tolerantiaque rationes aspernabantur, ac palàm se se à Remonstrantibus segregabant. Mense Januario hujus anni, Schiedami conventus habitus est, cujus acta ita sonant. *Visum quoque fuit ad tollendam, &c. ut testentur fratres, usque adeò sibi displicere quinque Remonstrantium articulos, ut eos omnes ac singulos tales esse judicent, qui gloriæ divinæ derogent, & veram conscientiarum tranquillitatem perturbent & tollant; ideòque etiam promittant, se pro captu Auditorum quinque istos articulos Remonstrantium seriò in Concionibus suis refutaturos; & porrò se obligent ad instituendos ex communi consilio (si quando non procedat Synodus Nationalis) contra Remonstrantes processus, idque gradatim, juxta ordinem in Ecclesiis Reformatis semper observatum. Hagæ, ut dictum jam est, duas in partes divulsa erat Ecclesia, Rosæusque cum suis nactus Ecclesiam peculiare Synedrium jam constituerat. Uytendogardus, cum eum harum tæderet contentionum, missionem, quam jam diu flagitarat, à Magistratu Synedriòque adeptus est. Cum non multò*



multò post, in carcerem conjectis Advocato Joanne ab Oldenbarnevelt, Syndicis Hogerbeetsio & Grotio, quæreretur etiam, ut in carcerem conjiceretur; infortunium, clam in Brabantiam fugiendo, vitavit. Episcopus verò, unà cum aliquot aliis, à Synedrio Hagienfi vocatus, ut vices Uytenbogardi supplerentur, decimo sexto Septembris in verba Domini Matthæi v. 6.

*Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*, in Templo majore concionatus est. Hacce de Concione quidam Zelotæ, quibus, ut videtur, non placuerat, graves ad Ordines detulerunt querelas. Quapropter Ordines, hac de re, in hunc modum conscriptam epistolam ad Synedrium Hagienfe misere. *Eruditi, probi, cari, plurimum dilecti. Quoniam ad aures nostras pervenit Professore, Ecclesiæque Ministrum Episcopium, proximè præcedente die Dominicâ, hîc in majore Hagienfi Templo, Concionem aptam magis ad seditionem movendam, quàm ad Ecclesiam ædificandam habuisse, quæ & multorum pacis amantium animos offendit; hanc ad vos scribere visum nobis est, ac præterea vobis imperare, ut crastinâ die verum hujus rei statum, ac quæcumque ipsi fortè audieritis, plenè & clarè nobis exponatis, idque absque ulla dilatione vel mora, siquidem hoc futurum exspectamus, vòsque tutelæ Dei commendamus. Scriptum Hagæ-Comitis xviii. Septembris anno mdcxviii. Jussu Ordinum. Subscriptum erat A. Duyck. Quid Synedrium responderit Ordinibus, non comperi: at ejus testimonium Episcopo de hac Concione traditum hoc est. Quoniam D. Episcopus in Universitate Lugdunensi Professor xvi. Septembris à Synedrio rogatus hic Hagæ-Comitis est concionatus, atque aliqui, ut videtur, quibusdam ordinis amplissimis viris ejus Concionem ita exposuerunt, quasi in ea Concione pravae quas-*

Hagæ-Comitis concionatus, ideòque scribunt Ordines ad Synedrium.

Testimonium Synedrii Episcopo traditum

*dam adhibuisset propositiones, magis ad ciendam seditionem, quàm ad edificandam Ecclesiam aptas, adeò ut Ordines Hollandiæ Westfrisiæque permoti sint ut scriberent ad Synedrium, ut verum ipsis rei statum patefaceremus; ac antedictus Professor, cùm id rescriuisset, nostram sententiam testimoniũque à nobis petiit, nos subscripti Ecclesiæ Ministri, atque Seniores testati sumus, testamurque hoc scripto ejus Concionem nobis omnibus, ut & Diaconis variisque Membris, hac de re interrogatis, admodum placuisse, nec in Concione, nec in Precibus ante, vel post Concionem habitis, ullum nos periodum vel verbum ullum quod vel minimum offendere, vel scandalum creare posset, audiisse: sed contrà tam antedictam Concionem, quàm preces, doctrinas, monitiones, castigationesque in ea factas, summopere pias nos reperisse, aptasque ad inculcandam omnibus veram solidamque pietatem Actum in Synedrio Hagæ-Comitis xx. Septembris, anno M. DC. xviii. subscriptum erat Bernardus la Faille, Hagæ-Comitis Minister. Joannes Taurinus, Minister ibidem. Seniores Quirinus à Stryen, J. à Duynen, Franciscus Crip, Joannes Joannis Cocq, N. à Sorgen.*

Jam omnia præparabantur ad Synodum Nationalem. Ordines Hollandiæ maluerant viam concordiæ tentari per Synodum Hollandicam, ad quam & vicinarum Nationum Deputati invitarentur. Cùm verò alii isti decreto reluctarentur, mense Februarii anni MD. cxcviii. testati sunt, sibi non displicere, ut benignis suasionibus & peccatorum hominum consilio propius negotium expendere, concipereturque formula aliqua pravis antè decretorum interpretationibus vitandis, & regendo eorum usui, secundum quam orationes ad populum à Pastoribus dissentientibus animo non reluctante haberi possent, ad pacem simul emendationemque populi. Idem testati sunt in decreto quod  
ejus-

ejusdem anni mense Augusto evulgarunt, in quo, postquam actum esset de Synodo Hollandica convocanda ad inveniendas pacis rationes, additum est: *Si post eam Synodum deprehenderentur capita quædam decisionis egere, id negotium per Synodum communem à Fœderatis Nationibus ad universalem deferretur, quæ non tantùm de veritate, sed & de necessitate eorum capitum ex verbo Dei cognosceret: atque Hollandiæ Proceres paratos esse eò conferre quidquid suæ esset opis.* Interim & contentiones quædam politicæ exortæ sunt, inter Principem Mauritium, & Ordines: ac ipse Princeps quorumdam impulsu decreta Ordinum pro ferenda sententiarum diversitate improbare incepit, desertisque Templis publicis aggregare se iis qui secesserant. Etiam Proceribus Hollandiæ ignaris, præcepta dedit ordinariis militibus ne se moverent in negotiis quæ ex controversiis illis orirentur. Proceres autem sentiebant, suis decretis obsequium à milite deberi, & tutelam oppidorum Rectoribus, locisque publicis adversus vim quamcumque ac seditionem. Quare nonnulli oppidorum Magistratus, ubi aut nulla, aut suspecta Rectoribus præfidia erant, ex decreto Ordinum Hollandiæ, oppidi sui custodias auxere atque ordinavere. Fecerunt idem, in sua terra, Ordines Trajectini; & tam hi quàm illi professi sunt, habituros se hunc militem suis impendiis extra communia rei bellicæ onera. Quamquam eo jure & antehac sæpius usi fuerant, nihil contradicentibus Proceribus Fœderatis; aut Præfecto, qui idem ordinariorum militum est Magister; id tamen suæ præjudicare auctoritati contendebat Princeps Mauritius. Itaque Nationes nonnullæ, Principis auctoritate suffultæ, Synodum Nationalem Fœderatorum nomine indicunt. Opponunt

se huic molitioni cum Hollandi, tum Trajectini Procerestestati, negántque licere Fœderatis ex majoris partis sententia, se se intercedentibus, iis in rebus quidquam constituere. Pergunt illi Synodum indicere, vocatis etiam aliarum gentium Theologis; nec aliis tamen quàm quos constaret illius esse sententiæ, cui victoria destinabatur. Interim Princeps Mauritius cum nonnullis ex conventu Fœderatorum ( quos vulgò Ordines Generales vocant ) Legatis Trajectum proficiscitur, invitisque Nationis illius primoribus custodiam exarmat. Mox octo viri ex Ordinum Fœderatorum Confessu, assumpto Ordinum Fœderatorum nomine, à quibus tamen mandatum ad eam rem nullum habebant, capi jubent Oldenbarneveldium, Hogerbeetsium, & Grotium; & non multò post Trajecti, nec non per omnes Hollandiæ Civitates pulsas Magistratibus, alii in eorum locum à Principe Mauritio subrogati sunt: adeò ut nova Reipublicæ facies subito apparuerit. Jam consenserant Hollandiæ Proceres in convocationem Synodi Nationalis.

Provinciales  
Synodi celebrantur.

Provinciales itaque Synodos, per omnes Provincias, convocari prius placuit, ut omnia ad Nationalem Synodum celebrandam disponderentur. Litteræ ad convocandas utrasque circumquaque interim mittebantur. Remonstrantes verò, qui ad Collationem Hagiensem convenierant, libellum, quo legitimæ Synodi leges proponebant, Ordinibus Hollandiæ obtulerunt, qui vigesimo Septembris Epistolam ad Remonstrantes Ministros in Collatione adhibitos in hunc conscriptam modum miserunt.

## Ordines Hollandiæ Westfrisiæque.

**D**OCTI, cari, plurimum dilecti. Postquam Epistola Ordinum ad Remonstrantes. libellus vester huic nostræ Congregationi oblatus, perlectus est, argumentumque ejus & postulata in eo comprehensa ponderata fuere, placuit vestrum illum libellum à Deputatis nostris ad Borealis, Australisque Hollandiæ Synodos euntibus secum ferri, ut posteaquam in iis diligenter, ut par est, examinatus erit, tum fiat quod è comodo Belgii, Ecclesiæque, utque vobis satisfiat æquum visum erit; cujus rei vos monitos hisce litteris volumus. Monemus præterea, cupimisque, & imperamus vobis, ut prout Synodales Classes judicarunt, in Borealis Australisque Hollandiæ Synodos, Delphis ac Enchusæ VIII. & X. Octobris proximi celebrandas, vestros mittatis, quoniam id oportere visum est; certoque sciatis eos, qui vestro venerint nomine in modò dictas Synodos, liberos tutosque futuros: ne itaque hoc prætermittatis; quod à vobis expectabimus, ac vos tutelæ omnipotentis Dei commendamus. Scriptum Hagæ-Comitis vigesimo Septembris, anno MDXVII. Subscriptum erat. Ordinum Jussu. A. Duyck.

Litteræ ad celebrandam Synodum Nationalem ab Illust. ac Præp. Ordinibus Generalibus ad omnes Principes, Magistratusque Reformatos, etiam missæ sunt, ut aliquot ad Synodum Dordraci primo Novembris celebrandam, Theologos mitterent. Professores item Academicarum ab Ordinibus ad Synodum litteris accersebantur. Epistola ad Episcopium missa hæc est.

Edicitur  
Synodus  
Natio-  
nalis.

## *Ordines Hollandiæ & Westfrisiæ.*

Adquam  
Episco-  
pius epi-  
stolâ ab  
Ordini-  
bus vo-  
catur.

**V** Ir doctissime, & plurimum dilecte. Quoniam præpot. Dom. Ordinibus Generalibus Fœderati Belgii placuit, ad extinctionem tristium harum de Religione controversiarum, ex omnibus Fœderati Belgii Provinciis indicere Synodum Nationalem Dordraci celebrandam, in diem primum instantis mensis Novembris, præsentibus aliquot piis, pacis amantibus, doctis ac moderatis Vnris è vicinis Regionis, Ditionibus & Rebuspublicis, hunc in finem à præpot. Ordinibus evocatis, sicut non dubitamus, quin R. T. id jam antehac intellexerit; per hæc præsentibus iterum R. T. etiamnum significamus, simulque monemus, & mandamus, ut te ad hanc rem debitè præpares, teque primo dicti Novembris die, in Civitatem Dordracum sistas, ut in prædicta Synodo Nationali etiam compareas, illi adfistas, & consilio sententiæque tuæ adsis, absque ulla tergiversatione, aut mora; quoniam id à te expectamus, & R. T. Dei Omnipotentis tutelæ committimus. Scriptæ Hagæ 20. Septembris 1618. Suberat Ad mandatum Ordinum. Subscriptæque, A. Duyck.

Actiones  
Synodo-  
rum Pro-  
vincia-  
lum.

Jam Provinciales Synodi statuto tempore conveniebant: verùm omnia ita componebantur & dirigebantur contra Remonstrantes, ut jam ex eo tempore, qui exitus Nationalis Synodi futurus esset, prospicerent. Ut pluribus suffragiis in Synodis Provincialibus prævalerent Contra-Remonstrantes, omnes Classes, in quibus numero inferiores erant, in duas dirimebantur, atque unaquæque Deputatos ad Synodum mittebat. At eas Classes, in quibus numero erant superiores, dividi haud patiebantur. Hoc modo necesse erat Remonstrantes in Synodis

dis suffragiis vinci. In litteris, quibus indicebatur Synodus, Remonstrantes fratres non vocabantur. Lites quoque movebantur de litteris fidei, quibus instructi erant Remonstrantes; aliquot eorum ob quæsitæ causas à Synodis excludebantur, atque hac ratione Contra-Remonstrantes, quales volebant, Deputatos ad Synodum Nationalem mittebant; omnes, nempe, Contra-Remonstrantes, omnes verò Remonstrantes ab ea arcebant. Tandem quoque constituerunt quosdam, qui aliquot Remonstrantium Ministros, haud expectato Synodi Nationalis iudicio, variis prætextibus exauclorârunt, ac inter eos Joannem Uytenbogardum Hagiensem, & Nicolaum Grevinchovium Rotterodamensem Concionatorem, qui erant inter notissimos Remonstrantium. Cùm in Provincia Ultrajectina quinque solummodò Contra-Remonstrantium Ministri, reliqui autem omnes Remonstrantes essent, singularis Synodus iis quinque concessa est, eaque à Remonstrantium Synodo secreta, ut ad Synodum Nationalem duo Contra-Remonstrantes ex ea Provincia mitti quoque possent; è quibus unus tamen Hollandus fuit, illuc ad tempus missus, ut iis Ecclesiis inserviret. Remonstrantium Synodus duos etiam ad Nationalem misit Deputatos; at ii cùm Remonstrantium res tractanda fuit, ut postea videbimus, Synodo quoque exclusi fuere. Sub idem tempus Festus Hommius edidit, in usum Synodi Nationalis, *suum specimen controversiarum Belgicarum*. Querebantur Remonstrantes suam sententiam malâ fide ab eo esse expositam, eoque scripto conari eum peregrinorum Theologorum animos præjudiciis in Remonstrantes occupare. Episcopus contrâ brevi scripto, cui titulus, *Optima Fides Festi Hommii*, varia loca

Specimen  
contro-  
versiarum à  
Festo  
editum.

è privatis suis Theſibus malâ fide Feſtum citâſſe oſtendit. Feſtus iterùm ut ſe bonâ fide egiſſe demonſtraret, Collegium privatarum Epiſcopii diſputationum præfixâ præfatione, quâ ſuam fidem tueri nitebatur, edidit. At hæc Editio tot ſcatet mendis, & aliquot etiam tam craſſis ac maniſeſtis, ut Epiſcopius ſecundo oſtenderit ſcripto, *Feſtum, ſi malâ fide non egerit, ſaltem turpem admodum adhibuiſſe incuriam, quæ cum viri probi officio nequaquam congruat.* Eſt mihi earum diſputationum exemplar, quod Epiſcopius à quibusdam è ſuis diſcipulis ad exemplar ſuum manuſcriptum conferri curavit, ac cujus margini ab initio uſque ad finem menda ſunt adnotata, eâque tam multa ac tam craſſa. ut ſine admiratione legi non poſſit. Quiſquis illum in ſe ſuſcipiet laborem, ut eam Feſti editionem cum diſputationibus, prout in ſecundo Operum Epiſcopii volumine editæ ſunt, comparet, illico ea menda deprehendet.

Initium  
Natio-  
nalis Sy-  
nodi  
Dordra-  
ci.

Jam Dordracum Synodus conveniebat, parabanturque omnia in præcipuum finem, in quem convocata erat. Quotidie exteri adveniebant Theologi, qui oſtenſis, quibus inſtructi erant, fidei litteris, in Synodum admittebantur. Interim, antequàm ad Synodum exteri veniſſent, à Provincialibus Præſes Synodi electus eſt Joannes Bogermannus Leowardiæ Miniſter, adſeſſores Jacobus Roelandi, & Hermannus Faukelius, Amſtelodami ac Medioburgi Concionatores: Scribæ Feſtus Hommius, ac Sebastianus Dammannus Lugduni ac Zutphanæ Miniſtri. Ex hacce electione nihil boni ominabantur Remonſtrantes, cùm hi omnes inſenſiſſimi eorum adverſarii eſſent.

Epiſco-  
pius  
Acade-  
miæ va-  
ledicit  
brevi  
oratio-  
ne

Epiſcopius auctoritate litterarum Ordinum Hollandiæ ad Synodum iturus, decimo tertio

No-



## SIMONIS EPISCOPI

Novembris brevi oratione Academiæ valedixit, ac ultimâ vice discipulos suos est allocutus; quam orationem, cum breviter complectatur ea, quæ in suo munere obeunda spectaverat, contineatque, quâ ratione eo functus sit, fortemque significationem ejus propositi, quo secum statuerat pro confessione veritatis, quæ secundum pietatem est, omnia quæ sibi evenire possent perpeti, hîc apponendam judicavi.

# ORATIO

## HABITA

*A Simone Episcopo, cum ad Synodum Dordracenam evocatus discederet.*

**H**esternâ lectione absolvimus examen signorum illorum, quæ illustrem adventum Domini nostri Jesu Christi præcessura dicit Servator noster. Restabat, ut ad gloriosi & desiderati illius adventûs ultimi descriptionem accederemus. Et certè constitueram, si fieri potuisset, totum illud, quod de illo agit, pertractare, & ad umbilicum perducere; neque enim quidquam est, cujus consideratio & memoria gratior aut acceptior esse possit, aut debeat, quàm hujus unius gloriosissimi adventûs & diei cogitatio. Sed quia aliis curis ac negotiis hoc tempore occupari cogor, ne telam, quam absolvere non possem, exordiar (durat enim ejus textura ab hoc versu usque ad Cap. 26.) malui hîc me sistere, at alii fortassis tempori hujusce rei tractationem reservare. Verumtamen, Audi-

ditores Humanissimi, quia subsisto nunc in consideratione magni & tremendi illius diei, quo Filius Hominis in nubibus appariturus, cum gloria Patris sui, & de omnium mortalium operibus & actionibus irrevocabilem sententiam pronunciaturus est; non possum, quin occasione hac, discessurus aliquamdiu à vobis, & causæ Jesu Christi vacaturus, aliquantulum vos, ex hoc loco, alloquar. Sinite me paulisper, & fortasse ultimùm vos affari, vos, inquam, quibus meæ viæ in Domino perspectæ sunt. Quamdiu in hac Academia Professionem publicam sustinui in id unicum fateor, me totâ animi contentione collineasse; non ut hominibus placerem, si enim id studuissem, servus Jesu Christi non fuisset; sed ut & ego in extremo isto die insons & innoxius coram Filio Hominis reperiri, & Domino meo Jesu Professionis benè gestæ, & fidelis ministerii testimonium reportare possem; tum ut vos doctrinâ & exemplo meo concitatos ad idem stadium ingrediendum & decurrendum impellerem, atque ita mecum ejusdem præmii ac gloriæ, quantum in me, confortes facerem, saltem ut vestri sanguinis & vestrarum animarum reus non deposcerer. Hic fuit scopus & hæc meta meæ Professionis, consiliorum, studiorum, & laborum omnium meorum. Hanc ut attingere & consequi possem, quæso vos, quid egerim, paucis accipite. Videbam in affecto & cacochymico Ecclesiarum Christi Corpore medicina non levi opus esse: eam experiri periculosum fore, & sine maxima humorum omnium perturbatione, quin & manifesto lethalis alicujus paroxysmi periculo remedium tentari non posse; alterutrum itaque faciendum, aut sibi relinquendum tam ægrum corpus, & ferendum, ut morbus magis magisque

que ingravesceret : aut medicam manum adhibendam, & silentio præferendum remedii experimentum. In utramque partem erant argumenta & rationes. Ego perpensis omnibus, in hanc partem inclinandum putavi; nimirum, jaciendam esse aleam, & vel invito Orbi propinandum remedium. Id autem ut fieri à me posset, tria utilia admodum & salutaria esse judicavi. Primum est, ut veritatem rerum Scripturis comprehensarum, quantum à me fieri posset, nudam, apertam, & planam vobis facerem; nullo ceromate, nullâ purpurissâ adulteratam, nullis cincinnis incrustatam, nullis fucis aut adscititiis coloribus pictam. Enimverò interesse putabam, ut qui veritatem cum ipse scire, tum alios docere vellet, eam ita sciret, tamquam si Solem ipsum manibus suis gestaret, & quidem ideò magis, quòd videbam veritatem multarum & maximarum rerum in ipsa Scriptura sacra, elaboratis humanâ industriâ phrasibus, ingeniosis vocularum fictionibus, locorum communium artificiosis texturis, exquisitis terminorum ac formularum inventionibus adeò involutam, perplexam & intricatam redditam esse, ut Oedipo sæpè opus esset ad Sphingem illam Theologicam enodandam. Ita est, dilecti Auditores, & hinc primæ lacrymæ. Artem & facultatem quamlibet obscuram sæpè faciunt quæsitæ termini, non res ipsa; unde fit ut ii, qui in terminos ejusmodi incidunt, licèt alioquin animum suum planè composuerint ad eam addiscendam, pedem statim ab ipso limine revocent, quos rerum ipsarum nudâ gratiâ in sui amorem protinus posset pellicere. Malum hoc in Theologia maximum putabam: hinc miserebat me non rarò, cùm videbam avidam illam & docilem juventutem, ingenia ista ma-

guis

gnis rebus gerendis nata, in frivolis istis minutisque, & pænè nihili terminorum obscuriorum enodationibus, veluti in mæandris & gyris quibusdam ac vorticibus detineri, & tantum non absorberi, in primis cum eam post longos labores, pro scientia opiniones, & pro Junone sæpè evanidam aliquam nubem amplexari videbam. Reducendam itaque terminorum Apostolicorum, & cuius obviorem simplicitatem semper esse putavi, & sequestrandis, quas Academia & Scholæ sibi tamquam proprias vindicant, Logicas Philosophicâsque speculationes ac dictiones. Nulla siquidem Oratio magis efficere solet, quàm nuda, contra verò plerumque, ut ait ille, solet esse Cynæda. Hæc causa etiam fuit, cur numquam quemquam vestrum inconsultus vel consultus ad alios, quàm ad ipsos veritatis fontes ablegaverim, nullique locorum communium lectionem suaserim, priusquam ex ipsis Scripturis veritatem, & de veritate conceptus saniores hausisset; ne, videlicet, cum præjudicio ad Scripturas legendas accederet, in easque, uti fieri solet, talem inferret sensum, qualem antea ex Scholis hausisset, atque imbibisset. Ceterum, quia veritatem multarum rerum alicubi Metaphoris, figuris ac tropis implicitam in ipsis Scripturis videre est, alicubi etiam ex profundo allegoriarum aut prædictionum, veluti ex puteo quodam Democriti hauriendam & eruendam esse, omnemque veritatem non æquè necessariam judicandam esse, in necessariæ tantum veritatis inculcatione steti; additâ interim, quantum fieri potuit, luce omnibus illis locis, quæ momenti aliquid adferre poterant ad necessariæ veritatis intelligentiam. Eam autem quia practicam esse judicabam, consultò semper abstinui ab omnibus speculatio-

tionibus (nisi cum animi gratiâ speculari liberet) quæ aut cum praxi ipsa commune nihil haberent, aut ad eam nihil saltem omnino aut parum conducerent: quapropter quæstiones supervacaneas, leves, futiles & varias, quæ sæpè magnis animis urgentur, tamquam litium omnium seminaria, discordiarum cotes ac flabella, cruces ingeniorum, profanitatis latibula, ac schismatum & secessionum faces ac fomites procul habui; ratus, id quod res est, in stadio pietatis, in quo ad vitam immortalem curritur, nihil nisi serium, necessarium atque utile tractari ac suscipi debere. Qua de causa, numquam vos abducere conatus sum ad adyta illa, ad ambages, ad labyrinthos, & impeditos flexus controversiarum; quæ nec scienti prodesse, nec ignoranti nocere aut obesse posse certò credebam. Enimverò prudentis esse putabam consultò ab iis superfedere, in quibus prora & puppis Religionis sita non est; probi verò & Deum timentis esse, ea fastidire, respicere & ad ea tantùm non nauseare. Neque verò etiam in indaganda hac veritate ulli interpreti impensius hæsi. Etsi enim meæ mihi infirmitatis probè conscius sim, numquam tamen ab animo meo impetrare potui, ut ulli Auctori, quocumque tandem titulo veniret, fidem & conscientiam meam obstringerem. Non esse religiosæ & Deo devotæ animæ putabam, ab homine ullo pendere, sed in eam partem inclinandum esse iudicium, pro qua ratio ipsa mihi stare & militare videretur. Equidem ita semper credidi eos omnes, qui commentariis quibusdam, aut commentatoribus certis, tamquam hirudines & sanguisugæ mordicè adherent, neque vel hilum ab illis recedendum putant, eos mancipiorum instar & bubalorum

naſo facilè duci in omnem partem, alieniſque tantùm judiciis, veluti truſatiles quaſdam molas, circumgyrari. Hos verò, qui omnium ac ſingulorum judicia expendunt, quos ab hoſte etiam ſuo diſcere non pudet, imò qui à quolibet, Tros Rutiluſve fua, veritatis ſolidam ſcientiam venari non erubescunt, eorum ſimiles eſſe qui gemmas non repudiant, eo quòd in capite buſonum repertæ fuerint, aut odoramenta, eo quòd ſint beſtiarum retrimenta, in pretio habere non deſinunt. Hæc prima fuit cura mea, à circulatoria, ſcholæſtica, & ſophiſtica illa Theologia ad Apoſtolicam ſimplicitatem vos, veluti ad carceres primos, revocare & retrahere, in qua tantùm momenti poſitum eſſe ſemper exiſtimavi, ut omne mihi punctum tuſiſſe viſus fuerit is, qui tantùm illam unam didiciſſe potuerit. Credite enim mihi, quiſquis ab hac ſimplicitate ſemel divertere animum cœpit ad inania illa Scholæſticorum ſophiſmatum, fieri aliter nequit, quin ſemetipſe in labyrinthos inexplicabiles, in retia & caſſes ac compedes induat, & quò magis ac magis ſeſe ex illis eripere conatur, eò magis magiſque gallinæ inſtar iis intricetur, atque impediatur. Neque verò credendum eſt, diſtinctionum quarumdam ſubtilium ope facilè ſe quemvis expedire poſſe. Ea enim diſtinctionum natura eſt, ut ubi poſt factum à veritate ſive re ipſâ divortium adhibentur, aranearum telæ ac retibus non abſimiles ſint, quibus muſcæ, & minuta animalcula hære ſolent, at quæ robuſtiora facilè perrumpunt, atque effringunt: & ferax earum & fertilis indoles eſt; cùm enim frivolæ ſapè ſint, rancidæ ac arundineæ, novâ rursùm diſtinctione tamquam tibicine ad ſui ipſius fulcimentum indigent, & câ corruente alio rursùm fulcro, donec tandem ſuâ

suâ vanitate atque inanitate veluti rupti utres concidant ac flaccescant. Quisquis rectè ac solidè philosphari, & θεολογεῖν voluerit, ab illis tamquam Harpyis quibusdam abstineat; simplex enim est veritatis Oratio.

Alterum quod mihi propositum semper habui, hoc fuit, ut sanctimoniam jam ferè Orbe reformato proscripam, & nescio quâ fortè propriâ nostrâ culpâ in exilium actam; vobis commendatam redderem, & ad vos veluti postliminio revocarem; quippe sine qua nec veritatis Theologicæ notitiam quidquam prodesse, nec pacem aut concordiam, Christiano Orbi necessariam, sperari posse animadverterem; & cùm viderem fieri id vix posse, nisi errores quidam, qui impietatis illecebræ quasi quædam & fomenta sunt, detegerentur, in eo totus fui, ut velum istud errorum unâ cum aliis levarem, & lemas istas oculis, si fieri posset, vestris aliorumque Christianorum eximerem. Ac tres quidem præcipuos esse semper credidi hujusmodi errores Reformationis nostræ maculas ac vibices. Primus est, quo creditur certas quasdam personas nominatim æternæ salutis destinatas esse irrevocabili decreto, adeò quidem, ut nullis peccatis suis iram Dei æternam in se concitare possint, sed omnia ipsorum licèt gravissima delicta venialia ipsis sint, eo quòd Deus ea iis non imputare, vel in iis illos nolit relinquere & deserere. 2. Quo statuitur fidem solam, quâ creduntur remissa nobis esse peccata omnia, tam futura quàm præterita, tam quæ ante fidem commisimus, quàm quæ post fidem commissuri sumus in infinitum usque, ad justificationem hominis coram Deo satis esse. 3. Quo fidenter asseritur, sanctimoniam veram in solo animi affectu, & sterili atque infœcun-

do bonorum operum studio, sive potius velleitate nudâ sine ullo effectu positam esse, eumque, in quo ille affectus est, etiamsi in mediis sceleribus & flagitiis hæreat, regnitum tamen esse ac dici meritò posse. Hæc tria semper esse judicavi profanitatis ac dissolutæ, quæ inter nos viget, vitæ fulcra atque fulcimenta, & fieri non posse quin ipsa impietatis arx inconcussa & illæsa subsisteret, quamdiu hisce vectibus, ferramentis ac cardinibus, quibus libratur & sustentatur, aries non admovetur, & in hæc ipsa impetus atque impressio non fit. In hos itaque errores ivimus non semel, & quo zelo, quâque animi contentione, Deus novit, vosque ipsi meminisse potestis. Nec mirum, nusquam non nova suppeditabantur in Scripturis arma, quibus impelli muri eorum possent. Enimverò Scripturæ passim pro pietate, tamquam pro Palladio aliquo, pugnant, & utut id fortè animus non omnino probus, aut opinione perversâ quâdam de probitate imbutus non videat aut observet, pius tamen & religiosus ubique reperit. Tener enim est, oculi instar, probus animus, & vel à scrupulo, qui obstare potest probitatis studio, afficitur, non aliter quàm à spina impacta pes, aut à pulvisculo oculus.

Hanc curam secundam excepit tertia: quod Pacem semper vobis & concordiam, quæque utriusque coagulum est, mansuetudinem suaserim; enimverò ita cum animo meo reputavi semper, fieri facilè posse ut in maxima ingeniorum varietate, rerum diversissimarum obscuritate, quæstionum perplexitate, divortia quædam sententiarum ac judiciorum nascantur, quæ salvis semper caritatis auspiciis in medio relinqui, & infirmitati humanæ condonari queant. Proinde



de à *tribus* hisce quantum potui, abducere vos conatus sum; à *præfractio* contendendi studio de rebus leviculis & nihili, aut parvi admodum momenti, quo sæpè fit, ut unà cum veritate caritas amittatur; neque enim contentionibus cedere vult præfractus animus, nec afficitur docilis. Pius animus placidè docentem haud gravatè admittit, altercantem verò & litigantem respuit, atque averfatur; adeò quidem, ut ipsa etiam veritas seditiosa displiceat. Suada adhibenda est, ad errorem eximendum; suada tamen non lenta, nec frigida, sed zelo veluti spiritu quodam animata, quæque ipsum docentem tangat atque afficiat. Deinde à *facili ac lubrica aliorum errantium condemnatione*, ne videlicet, veluti Minoes aut Radamanthi quidam, de plano sententiam in quoslibet errantes feratis, & Dictatoriâ auctoritate, quid vobis de veritate & necessitate cujûsque dogmatis videatur, confidenter statuatis. Etenim in tam difficili & gravi negotio, cùm de capitibus multorum millium agitur, cùm sententiâ æternæ vitæ ac damnationis ferenda est, si umquam, tum verò in primis ἐπιχρῆ aut modestia necessaria est; in primis juvenibus & tironibus, qui exercitatos sensus ad dijudicationem veri à falso nondum habent, & impotentiâ animi laborare ferè solent, quâ fit, ut momenta cujûsque dogmatis, & opiniones ponderare & exigere non valeant. Denique à *secessionibus ac schismatibus*, quibus veluti unguibus quibusdam ac dentibus in partes ex facili discerpitur ac distrahitur, non aliter quàm diobolaris quædam tunica, Jesu Christi Domini nostri Ecclesia. Neque enim tam facilè consolidari posse vulnus videbam, quàm infligi, & plerumque divortia ejusmodi post se trahere immortalia partium odia & æterna diffidia, ut non sine causa gravi hu-

julmodi schismata inter damnata operâ carnis recensuerit Apostolus. Enimverò ita ferè credidi, quamdiu salvis *pietatis & caritatis* auspiciis, sola tantùm *sententiarum* bella sunt & divortia, tamdiu fraternitatis jura ac vincula salva esse debere. Inscitiam verò & ignorantiam, sive errorem ex illa profectum, quamdiu aliud nihil quàm error est, aut commiseratione exaucto-  
randum, aut instructione corrigendum, aut patientiâ & tolerantiâ supportandum esse; ab iis verò qui secùs faciendum esse existimant, & à dissidentibus, licèt alioquin piis & Dei timen-  
tibus, quinimò pacis & concordix studiosissimis secessionem faciendam esse judicant quavis ferè ex causa, tamquam libertatis & pacis Christianæ hostibus, longissimè recedendum esse.

Hæc fuit Professionis, & votorum omnium meorum summa, scopus & meta; ad quam dum contendi & adspiravi hætenus, non potui effugere odium illorum, qui nihil, nisi quod ipsi putant, rectum censent, extrâque præscriptas suorum doctorum & commentatorum formulas aut non sapiunt, aut sapere saltem nolunt; quique adeò, ne *ἰδιόγνωμονες* videantur, veluti ligna alienis nervis duci solent, & proinde contra dissentientes suspicionibus mirum in modum indulgent; adeò ut sub quovis novitio verbo, veluti saxo, anguem latere, & sub qualibet insolita phrasi, venenum propinari existiment. Hinc sparsum in vulgus, veteres omnes hæreses hac ratione novo paxillo suspendi, miscellam religionem adornari, & damnata jam pridem dogmata, veluti postliminio in lucem revocari; aliâque ejuscemodi multa, dehonestandæ tantùm existimationi meæ inventa. Quibus omnibus, quid præter innocentiam meam, vestramque conscientiam opponere possim, non  
repe-

reperio ; ratus id quod res est , nec satisfieri posse tam pertinaci calumniæ , nec opus esse , ut calumniæ satisfiat , ubi satisfactum est conscientia , ut ait Augustinus. Ita velim de me statuatis , me id operam dedisse , ut intra modestiæ & sobrietatis terminos meipsum vósque discipulos meos continerem , cum de arcanis & mysteriis religionis quæstio incideret ; tutum non satis esse curiosè alia scrutari , audacter definire , & mordicè tueri , quàm quæ Magister noster optimus nos docuit. Et sanè nisi ita animati simus , si libidini , si curiositati nostræ frenum laxemus , futurum tandem est , ut nusquam consistamus , & carceribus semel effusi ad metam nullam perveniamus ; exemplo eorum , qui semper discunt , ad cognitionem autem veritatis numquam perveniunt. Rem testem daremus , nisi experientiâ id plusquàm abundè confirmasset hætenus. Posteaquàm enim quidam temporis atque otii sui prodigi mortales , Theologiam totam in speculationem vanam & curiosam convertere cœperunt , adytâque mysteriorum divinorum illotis , quod aiunt , manibus adire ausi sunt ; quis nescit quàm multa quæstionum agmina in Christianum orbem proruperint , quàm profunda & vasta curiosarum speculationum maria , veluti ruptis verecundiæ & modestiæ cataractis , Rempublicam Christianam inundarint. Pudet profectò me sæpè ac tædet , cum in Scholasticos illos gurgites veluti per naufragium aliquod temporis mei delabor , inque scopulos illos & mæandros incido , apud quos febriculosos illos mortales hæreere & consenescere video ; tam frigida pleraque sunt & pituitosa , ut nihil nisi tussim adferant , tabemque & fenium creent lectoribus , quòdque navatæ in illis diligentia præmium aliquando esse solet , de-

mentiam & insaniam. Et ne nos eadem illa lues infestaret, existimavi optimum fore obicem illum, si effusam contemplandi libidinem & impetiginem, ad principia & carceres modestiæ, quantum possem, revocarem; id est, sapere vos dedocerem supra & ultra id, quod scriptum est. Nec pœnitet me instituti mei. Scio enim quàm facilè, & quàm graviter erretur aliquando in capitibus illis, quæ ἀκροβίτια Theologiæ esse creduntur, nisi freno coerceatur contendendi licentia. Et hanc eandem docendi rationem secutus sum quâ publicè, quâ privatim. Nec enim is fui, qui in occulto, & secreti quasi licentiam nactus, quidpiam docui, quod in publico & teste cœlo docere erubuerim; utut enim non pauca sint, quæ examen justum requirere, & fortè ferre non posse existimem, tamen ea veluti axiomata, & theoremata quædam certa adferere, veluti extra dubium omne posita, imprudentis & præcipitis ingenii semper esse putavi; quin imò satis semper ad fidem, vitamque formandam superesse credidi, etiamsi confessa & certa illa Theologorum axiomata non convellerentur aut lacefferentur; silentio potius premedandam esse non necessariorum ventilationem ad alendam concordiam, quàm cum discordiæ periculo ac metu eam urgendam; cùm malum majus adferre queat læsa concordia, quàm professa veritas emolumentum aut commodum. Si qui sint, qui aliter de nobis sentiunt, judicant, & scribunt, næ illi magnam nomini nostro injuriam faciunt, sèque magis affectu & odio, quàm judicio certo ferri ostendunt.

In quod ne quid gravius dicam, ad vos redeo, Auditores Humanissimi. Audivistis scopum & finem, quem propositum mihi fuisse ab initio dixi; equidem si assecutus eum sum, apud quosdam  
saltem

saltem vestrûm, est quod gaudeam; sin minus, est quod doleam, & contrister, quamquam sufficiat mihi testimonium conscientiaë meæ, quòd per me non steterit, quominus assecuti sitis quod volui. Curare ut possietis quod desideravi, officii mei fuit, vestrum ut assequamini. Sola hæc conscientia mihi clypei instar est, & muri aheni, quo me tueor contra omnes malevolorum susurros & iniquas suspiciones. Scio enim, cui sistendus aliquando sim, & quid à me exacturus sit magnus ille βαρβευτής & ἀγωνοθέτης Dominus ille vivorum & mortuorum Jesus, & quòd non modò hanc vitam, hoc corpus, hanc animam, hunc spiritum, quem nunc traho, sed vestrûm etiam omnium animas & sanguinem reposciturus sit è manibus meis; quin omnium eorum, qui per vos, meâ culpâ, in avia & præcipitia abduci possent. Parùm equidem mihi videtur ab humano die judicari; odia & invidiam summorum & imorum sustinere gloriosum duco, calumniis, mendaciis mactari & obrui in lucro pono, dummodo & conscientiam illasam, & à vestro sanguine impollutam sistere possim ei, qui solus justè judicat, & occulta cordium revelabit, cum admirandus fiet in sanctis & gloriosus in fidelibus suis. Neque tamen tam suffenus sum, quin credam fieri potuisse, ut alicubi cespitaverim, & humanitùs aliquid passus sim, sed id mihi condonaturum benignum illud Numen spero & confido. Vos interim, devotæ Deo animæ, si quid mei vobis carum fuit, id unicum mecum agite, ut conscientiam vestram illasancustodiatis in adventum Filii hominis; eâ enim repulsâ, nonnulli fidei naufragium passi sunt; & quæ jactura esse potest, quæ hanc æquare aut superare possit? Habete itaque reverenter veritatem, quam accepistis, & in nullius gratiam

de re ulla, aut nobis aliter judicate, quam ratio & conscientia vestra vobis permittit. Politicorum est sententiam suam, tamquam aliquod navigium, ex tempestate Reipublicæ moderari: Theologorum est, constantiam servare in omni statu, & tergiversationem hæsitationemque ex omni occasione procul habere. Sanctimoniam etiam & pietatem æmulamini, luceat lux vestra coram hominibus, ut videntes opera vestra bona glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est: mansuetudinem, lenitatem sectamini; pacem colite cum omnibus, quantum fieri potest; moderatio vestra innotescat orbi universo; denique ostendite vos regi spiritu Domini illius, qui jus vitæ ac necis in vos & nos omnes habet. Si id impetravero, si id obtinuero, nihil mihi tam grave, tam difficile accidere poterit aut evenire, quod non lubens feram ac perferam; hæc enim erit gloriatio aliquando mea, quod non contentiosas, non profanas, non schismaticas, sed placidas, sed probas, sed pacificas animas obtulerim in odorem bonæ fragrantix Domino meo, id est, homines verè Christianos; in hac spe, in hac fiducia vel mori sustinuerim. Vos interim, dum pro veritate & causa Jesu Christi militabimus, dum à vobis absimus, hoc unum in gratiam nostram facite, hoc unum mihi date tamquam aliquod propempticum, ut precibus vestris supremum illud Numen dies noctesque fatigetis, ut mihi & causæ, quam tuemur, propitius esse velit; si annuat gratiam, si renuat patientiam mecum spondete. Tu verò, Domine Jesu, qui corda & conscientias nostras perspicis & penetras, judica causam tuam, & Academiæ, Ecclesiæ, ac Patriæ nostræ fave. Amen.

Duobus diebus antè , undecimo , nempe, Episcopus unà cum tribus Ministris Dordracum petiit. Novembris, variis è locis Ecclesiisque Remonstrantes frequentes Lugdunum convenerant, ut consultarent , decernerentque quod ad tuendam bonam ipsorum causam aptum videretur. Uno suffragio decreverunt omnes *tam bonam divinamque causam haudquaquam deserendam esse, sed potius pari, imò majori animo, diligentiaque defendendam, quàm adversarii opprimere eam conabantur : & justitiam bonamque conscientiam Deo, Ecclesiae ejus , omnibusque piis in defendenda hacce causa testatam facere oportere, ac pro viribus omnes niti, ut rectè officio suo fungerentur, porro autem exitum Deo commendare debere.* Judicarunt itaque tres hosce, Joannem Arnoldi Corvinum ; Philippum Pynackerum, Assuerumque Matthi- sium, Lugduni, Alcmariæ , Campisque Ministros, Dordracum esse mittendos , cum Professore Episcopo illuc eunte, ut loco suo in Synodo pro Ordinum litteris federet, à ut Synodo, aut à Deputatis Illust. ac Præp. Ordinum Generalium, nomine Remonstrantium omnium postularent , *ut sibi liceret ad tuendam Christianam suam causam, justo numero tutò & cum salvo conductu, in Synodo Nationali comparere ; adeoque illos è suis intra statutum tempus mittere ad Synodum, quos ad tuendam suam causam aptos judicarent.* Decimo sexto Novembris, Dordracum hi venerunt, quam urbem simulac ingressi sunt, Episcopus Remonstrantibus negatur potestas mittendi è suis ad Synodum quos ipsi vellent. Deputatis Illust. Ordinum Hollandiæ nuntiavit, se pro Ordinum litteris, ut loco suo in Synodo federet , venisse; excusavit serum suum adventum, exposuitque , quinam & in quem finem cum ipso venissent. Deputati ad se hisce Ministris accitis, postulatisque eorum cognitis, responderunt in Synodo pridie fuisse decretum, ut quidam Remonstrantium coram Synodo ci-

tarentur, eos autem jam designatos nominibus esse, litterasque citatorias tam nomine Deputatorum Ord. Gen. quam Synodi Nationalis paratas jam esse. Simul ostendentes ipsis apographum citatoriæ Epistolæ, plurimos eorum qui è Remonstrantibus citarentur, nominarunt. Ii, auditis hisce, enixè, ut id Synodale decretum mutaretur, postularunt; *iniquum esse*, dicentes, *eos qui spontè ad veniendum parati essent, citari; præcipuè verò Episcopium inter citatos numerari non debere, cum litteris Ordinum Hollandiæ ad Synodum accitus esset, jamque ut unà cum aliis Professoribus in Synodo loco suo sederet, venisset: ideòque si à citatione nihilominus Synodus desistere nollit, tum non solum ipsis, verùm etiam omnibus bonis, Synodi actiones admodum fore suspectas. Cum indicassent Deputati operam eos ludere, neque id à Synodo impetraturos; secundò petierunt, si itaque Synodus Remonstrantes non aliter se se purgantes audire vellet, quàm ut Citatos, ut tum saltem non unus, aut alter nominatim, sed cuncti Remonstrantes simul citarentur, Remonstrantibusque post eam citationem cunctis significatam, eos mittere liceret, quibus doctrinæ suæ defensionem, totàmque causam optimè ac tutò committere possent, nec eos, quos adversarii eligerent, sed quos ipsimet ei negotio aptos judicarent. At haud obscurè iterùm innuerunt Deputati nihil impetraturos. Remonstrantibus tamen enixè petentibus consilium dedere, ut postulata sua toti Deputatorum Ordinum Generalium Collegio scripto comprehensa exhiberent; quod Remonstrantes postmodum fecere, finique libelli sui adjunxere, se petere, ut omnibus & unicuique, nullo excepto, salvis conductus ad tutò ad Synodum eundem, posteaque ad suos revertendum daretur. Post habitam deliberationem, responsum iis: *Illust. Ord. Deputatos non**



*mutare decretum nuper in Synodo factum, nec passuros Remonstrantes ullum conficere corpus, vel aliquot deputare, qui cunctorum nomine causam agerent; quoniam Ordines Generales nullum aliud corpus Ecclesiarum fœderati Belgii agnoscebant, præter id, quod in Synodo erat congregatum. Neque esse permissuros aiebant, omnes Remonstrantes in Hagienſi Collatione adhibitos liberè in Synodo comparere, cum Joannes Uytenbogardus, & Nicolaus Grevinchovius à Synodo Delphenſi exauctorati essent. Quod ad salvum conductum, attineret, eum illis non defuturum, & certò credere posse, inquiebant, se liberos illic futuros, nec quemquam ob Ecclesiasticas res retentum, vel alià quâlibet ignominia, pœnâve affectum iri: imò Citatis ipsis nullam pœnam propterea iri inflictum, quidquid inter agendam suam causam, prout res postularet, vel dicerent, vel facerent: quamvis ipse Uytenbogardus, vel Grevinchovius, vel quicumque alius esset; sed potiùs promissum iis iri tutos eos fore. At si quis fortè politicum aliquod commississet crimen, adeò ut Prætores in jus eum rapere possent, tum Deputatos rolle ejusmodi homines tueri; ideòque unumquemque apud se reputare debere reusne esset, nec ne.*

Citatis  
promittitur sal-  
vus con-  
ductus.

Remonstrantium Deputati mutari non posse decretum videntes, se se statuto tempore Synodo adfuturos, pro citatione, promiserunt. Imò Episcopus ipse, licèt instar membri ad Synodum Illust. Ord. Hollandiæ litteris vocatus esset, ad rem se accinxit. Igitur decimo octavo Novembris, Dordracò iterum discessere. Consensâ jam nave, allatæ sunt iis litteræ citatoriæ: quarum una Deputatorum quatuor simul, aliæ verò nomine Synodi scriptæ, singulos citabant. Traditæ quoque illis sunt litteræ ad alios Remonstrantium Ministros, qui unâ cum iis quoque

que citabantur: ut transeuntes per ea, in quibus degebant, loca, illis traderent, vel traditurarent. Politicorum Epistola hæc erat.

Litteræ  
citoria  
Politi-  
corum  
Deputa-  
torum  
ad Remon-  
strantes  
misse.

*Reverendi atque eruditissimi viri. Quandoquidem, quod nemini latere potest, Illust. ac Præpot. harum Fœderatarum Provinciarum Belgii Generales Ordines in primum diem hujus mensis Nationalem indixerunt Synodum, ad quam celeberrimos quosque è Magna Britannia, Gallia, Palatinatu, Brandenburgica ditione, Hassia, Helvetia, Geneva, Brema, Embda, & aliis, quæ Reformatam Religionem profitentur, Ecclesiis jam pridem advocarunt Theologos; quò tristissima hæc ac cum publicè, tum privatim noxiæ, in negotio Religionis, examinentur controversiæ, atque hac ratione sua Reipublicæ salus, Ecclesiæ reddatur tranquillitas, exulcerati utrimque atque exacerbati leniantur animi, omniâque in posterum ad unius immortalis Dei gloriam, & communis Patriæ dirigantur incolumitatem: cùmque in eo conventu ad decimum tertium hujus mensis diem ritè atque ordine præsentibus Illust. & Præp. DD. Ordinum Generalium Delegatis, celebrato primùm ac bonis auspiciis inchoato, reliqui etiam externi nullâ aut molestiarum aut itinerum difficultatis ratione habitâ, se se stiterint Theologi, soli autem Ultrajectinorum huic actioni interfuerint, ut nunc loquuntur, Remonstrantes; nos Illust. ac Præp. DD. Ordinum Generalium Delegati, ut omnia ordine, decenter, ac quemadmodum in domo Domini oportet, transigantur, eosdem citari jussimus (quemadmodum hac ipsâ R. V. citamus ac vocamus) ac significari non tantùm omnibus, verùm etiam singulis ex præcipuis atque eruditissimis, quos stare ex ea parte novimus, & ad quinque quos vocant articulos, de quibus proximè agendum erit, aliquid monere possunt, ut intra diem decimum quartum ab hac insinuatione, in conventu hoc legitime*

mè ac cum plena ab *Illust. ac Præp. D.D. Ordinibus* potestate indicto, sese sistant, ut in timore Domini sententiam suam de dictis articulis liberè proponant, explicant, ac quantum esse necessarium existimabunt, defendant, & si quæ ulterius habeant super doctrina, quæ in Catechesi & Confessione Ecclesiarum harum comprehenditur, de quibus dubitent, ea, eorùmque rationes scripto comprehendant, ut maturiùs atque accuratiùs examinari queant; ne quid sit, quod actionem hanc sanctissimam moretur, animos in posterum distrabat, aut Reipublicæ tranquillitatem turbet. Quod ut reliquis, ita peculiariter *R. V.* significare placuit, ne quis ignorantiam in posterum prætexat, aut à nobis quidquam, quod ad pacem & ædificationem spectat, prætermissum queratur. Qui autem huic citationi nostræ intra dies quatuordecim, postquam has acceperit, morem non gesserit, desertionis atque contumaciæ reus habeatur. In posterum autem disputandi, dubitandi, aut aliquid apud alios, cum vulnere ac ruina Ecclesiæ, in dubium vocandi, controversias movendi, aut postremò quidquam, quod *S. S. Dei Verbo* nititur per lubricitatem impugnandi, postquam aliquid legitime constitutum fuerit, ipse sibi ansam præcidet. Valete, Reverendi atque eruditissimi Viri, Datum Dordraci anno *MDCXVIIII. Novembris 16.* stylo novo. *Illust. ac Præp. D. D. Ordinum Generalium Deputati*, & eorum nomine *Daniel Heinsius*. Epistola Synodi Nationalis hæc erat.

Reverende ac doctissime Vir. Synodus Nationalis Reformatarum Ecclesiarum Belgicarum in nomine Domini, auctoritate & mandato *Illust. ac Præp. D.D. Ordinum Generalium Fœderati Belgii*, in Civitate Dordracena legitime congregata, ad controversias in dictis Ecclesiis exortas examinandas, & tollendas, intelligens hanc esse dictorum *Illust. Dominorum* voluntatem, ut primo loco examinentur, ac dijudicentur

Litteræ  
citorum  
Synodi  
ad Re-  
mon-  
strances  
misc.

tur quinque articuli Remonstrantium, quandoquidem ex illis hæc controversiæ potissimum sunt exortæ, æquum & necessarium judicavit ex Remonstrantium numero, præter eos qui huic Synodo interfunt, ex Geldria Henricum Leonem, Bernerum Wefekium, & Henricum Holdingerum, ex ditione Gravienfi; ex Hollandia Australi Magistrum Simonem Episcopium, Bernardum Duinglonem, Joannem Arnoldi, Eduardum Poppium, & Theophilum Ryckewaert; ex Hollandia Boreali, Philippum Pynackkerum, & Dominicum Sapma; ex Provincia Transfulana Thomam Goswinium, Affuerum Matthilium, & ex Ecclesiis Gallo-Belgicis Carolum Niellium, ut maximè in hac causa exercitatos ad hanc Synodum vocare & citare, ut in eadem dictos articulos liberè proponant, explicent, & defendant, quantum possunt & necessarium judicabunt; ac simul etiam huic Synodo scripto exhibeant omnes, si quas habent, considerationes suas, super doctrina in Confessione & Catechesi harum Ecclesiarum comprehensa, earundemque considerationum rationes, ut dicta Synodus omnibus auditis, & expensis, maturiùs de singulis in timore Domini judicare queat. Quapropter dicta Synodus, accedente Illust. & Nobilissimorum D. D. Delegatorum auctoritate, & consensu, te N. N. per præsentem vocat & citat, ut ad finem prædictum in Synodo te præsentem, unà cum reliquis ad eundem finem citatis & vocatis sistas, intra quatuordecim dies post acceptionem harum præsentium litterarum, sine ulla tergiversatione aut exceptione, ne negligentia aut contumacia culpa in te inveniatur, aut causa vestra defuisse videaris. Data in Synodo Nationali Dordracena XVI. Novembris anno MDCXVII. stylo novo. Nomine dicta Synodi, subscriptum erat Joannes Bogermannus Synodi Præses. Jacobus Roelandus Adfessor, Hermannus Faukelius Adfessor,

Fe-

*Festus Hommius Synodi Scriba, Sebastianus Damman Scriba.* Ejusmodi litteræ argumento, omnibusque partibus consentientes, nisi quòd in quibusdam nomina, numerusque Citatorum aliter erant posita, unicuique Citatorum missæ sunt. Hi autem tredecim Citati solummodo sunt, nec ad ullos alios litteræ missæ.

Jam instante statutorum quatuordecim dierum exitu, Citati unà cum variis aliis Ministris sub initium Decembris Rotterodamum conveniunt, decreveruntque illic leges legitimas Synodi, comprehensas libello Remonstrantium in Collatione Hagienfi adhibitorum, de quo antè diximus, ut & memorabilia quædam Reformatorem Doctorum scriptis loca, firmisque corroborata argumentis, opportuno tempore Synodo offerre, atque enixè ab ea postulare ut Synodus illas leges ad ponenda utilis tractationis fundamenta, observaret. Lecta itidem in eo conventu est Episcopi Oratio, quam, introductionis instar, in Synodo habiturus erat. In chartam quoque conjectus est status quæstionis inter Remonstrantes ac Contra-Remonstrantes, super doctrina quinque notis articulis comprehensa, ne suâ culpâ Synodum morarentur.

Hoc facto decreto, Citati Remonstrantes quinto Decemb. Dordracum, sub seram appulerunt vespèram. Eodem die pronunciaverat Præses palàm in frequente Synodo quatuordecim dies, intra quos adesse oportuisset Remonstrantes, elapsos esse: eosque omnes, singulis prænomine, cognomineque appellatis, vocavit, citavitque, ut comparerent. Remonstrantes postridie quatuor è suis primò ad Præsidentem Delegatorum, deinde ad Bogermannum Synodi Præsidentem miserunt, qui eos certiores facerent, antecedente vespèrà se advenisse; nondum quosdam sibi comparasse hospitia, alios adhuc arcas, chartasque suas ex-

Citati cum aliis Ministris Rotterodami.

5. Decemb. Dordracum adveniunt.

6. Decemb.

spectare; ideóque æquum esse, diem unum aut alterum sibi concedi, ut res suas explicarent. Ad ea Bogermannus, se quidem id æquum censere, ait, verùm sibi soli illis concedere non licere, oportereque id ipsos à Synodo petere. Si nullam dilationem se petere responderunt, at solummodò adventum suum indicare; sed veléntne sibi, ut ab itinere quiescerent, aliquod tempus concedere, quoniam id æquum esset, arbitrio D. D. Delegatorum se permittere. Præses cùm rem Synodo renuntiasset, visum est à Remonstrantibus ipsis eam in Synodo peti debere. Ingressis dixit Præses, tempus intra quod comparere eos oportuisset, antecedente jam die fuisse elapsum; se verò illorum postulatum dilationis, in unum alterúmve diem, Synodo proposuisse, eique visum, ut ipsi suam petitionem in cœtu proponerent. Episcopus cunctorum nomine, Congregationi gratiam, pacem, communicationemque Spiritus Sancti comprecatus, dixit se Magistratum jussu statuto tempore illic comparuisse, quippe cùm post novissimarum litterarum acceptionem quatuordecim dies nondum elapsi essent. Exposuit porrò quidnam petiissent, æquum censentes sibi exiguam concedi dilationem; se se tamen hac in re nullas Synodo leges præscribere, sed totam arbitrio D. D. Deputatorum permittere; verùm si aliter juberent, tum ipsos statim ad inchoandam collationem, paratos fore. Sub hac egredi jussis, ac paullo pòst revocatis, dixit Præses Bogermannus, Synodo, post auditam illorum petitionem, eamque perpensam, placuisse dilationem in sequentem diem iis concedi. Subjunxit porrò, *visum fuisse Venerandæ Synodo moneri illos super voce Collationis ab ipsis adhibitâ, ad quam se se venisse dixerant: Quæ vox amplissimum obtinere significatum sibi videbatur,*

In Synodo comparant.

Qualis collatio ipsis concedatur,

ad id

adeò ut & completeretur Collationem , quæ inter adversarios habetur , quales in Hollandia aliquot fuerant habitæ. Illust. autem & Præp. Ord. Generalibus in animo non esse , ut ejusmodi haberetur Collatio , nec illos existimare debere , Synodum de doctrina talem secum inire velle Collationem , disceptationemve , quales in scholis haberi mos est ; sed expectare Collationem , quâ potestas Synodi judicandi de controversiis nullo modo imminueretur , adeoque litteras citatorias attendere , nec quidquam præterea sperare ; ex iis enim intelligere illos posse vocatos , accitosque se se esse , ut sententiam suam proponerent , explicarent , tuerenturque quantum possent , ac necessarium judicarent , dein Synodi judicium expectarent : deque ea re admonere eos Venerandæ Synodo visum esse , ut eam memoriæ infigerent , nec Collationem , ut antehac in Hollandia habitæ fuerant , fore crederent. Respondit Episcopus: Quod ad vocem Collationis attinet , non opus esse de ea litem moveri , non alio se venisse animo , quam ut agerent de doctrina , ad quam tractationem vocati quoque essent ; sed quod ad modum tractandi attineret , postea sermonem de eo fore , cum ad rem ipsam ventum esset. Pergens porrò eandem , quam antea Deputatis , proposuit petitionem , ut Grevinchovium , nempe , Goulartiùmque ad defendendam suam causam accersere liceret : testatusque simul est , nolle se hoc modo differre rerum tractationem , verùm ad illico eam inchoandam , dum eorum interea adventus expectaretur , paratos esse. Responsum Synodi in posterum dilatum est diem , jusque horâ nonâ , antemeridiano sequentis diei tempore , Remonstrantes redire. Eodem die , post meridiem , Remonstrantes externos Theologos , quos domi invenerunt , salutarunt , bonamque suam causam iis commendarunt , & petierunt , ut defensionem suam

Salutant  
exteros  
Theolo-  
gos in  
eorum  
ædibus.

suam haud præoccupatis animis audirent , & acerbitatem Contra-Remonstrantium , ut ad moderationem dirigerentur omnia, mitigarent: utque Delegatos, Synodumque eò adducerent, ut Provincialium Synodorum Deputati, & qui totum pervagabantur Belgium, ab una Ecclesia contendentes ad aliam, ad fratres suos variis quæsitis prætextibus exauctorandos, siflerentur, omnique ejusmodi actiones è controversia de doctrina ortæ differrentur, quamdiu in tractanda re ipsa occupata foret Synodus. Ab omnibus fermè Exteris comiter excepti fuerunt, qui & admodum improbabant, quòd eorum fratres, cùm res ipsa tractanda adhuc coram Synodo esset, ubique jam exauctorarentur, eicerenturque Ecclesiis. Quosdam etiam admodum sibi jam infensos invenere: exprobravit illis inter alia Deodatus Genevensis, quòd Calvinum contempsissent, ac, si Magistratus pro eis stetisset, eodem modo habituri fuissent adversarios, quo jam ipsi ab iis habebantur. Alii arcanis consiliis adfuisse, ideòque interiora rerum scire se negabant. Cùm autem Exterorum plurimos admodum ignaros omnium eorum, quæ hisce in Regionibus ab aliquot retrò annis, circa dissidia accidissent Ecclesiastica, deprehenderent, tradiderunt illis Scriptum quoddam nuper editum, & simul manuscriptam narrationem, quâ exponebant, quomodo se se semper gessissent, quomodo ab adversariis habiti essent, ac quæ pœnæ jam ubique per Belgium suis infligerentur. Indignè tulit Synodus Exteris hæc Remonstrantes exposuisse, quasi ante collationem Exterorum animos præjudiciis occupare, eosque à Provincialibus abalienare voluissent. Censebant contra Remonstrantes, si contra se Synodo palàm & clam omnia dicere liceret, sibi quoque se



se defendere, prout possent, jus & fas esse. Postridie septimo Decembris, intrò vocatis Remonstrantibus prælectum Delegatorum decretum fuit, quo illorum de Grevinchovio & Goulartio petitio negabatur; sed tamen concedebatur, ut iis liberè Synodum ingredi, citatorumque Remonstrantium causam privatim tueri liceret. Prælecto hoc decreto, Episcopus, ad dicendum, proponendumque aliquid petitâ veniâ, orationem habuit summâ animi libertate, quæ magno cum silentio, & attentione est audita.

Episcopus in Synodo orationem pronuntiat.

# O R A T I O

## H A B I T A

*In Synodo Dordracena.*

**N**on possumus quin in ipso, quod aiunt, limine atque aditu ante omnia, Apostolorum exemplo, & prout Christianos decet, vobis omnibus ac singulis precemur à Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo gratiam & pacem, Sanctique in primis Spiritûs communionem, ut ille ejusmodi vobis consilia suggerat atque inspi-ret, quæ Ecclesiæ Jesu Christi mœstæ atque afflic-tæ, Reip. ac Patriæ nostræ, nimiùm, proh dolor! turbatæ, utilia & salutaria esse queant. Amen.

Hoc voto, hâc prece ex animo usi, ne prorsus *avdè accepimus* simus, pauculis, si ita placet, vos affabimur; obnixè rogantes, ut exigui & pauxilluli temporis usuram concedere nobis ne gravemini. Inter omnes curas, quæ multæ ac variæ mortales ab omni retrò ævo hodièque

exercent, nulla prior potiôrve esse debet homini Christiano, quàm ea, quæ de Religione recta ac salutari promovenda suscipitur. Ceterarum enim omnium curarum ea est ratio, ut aut infra dignitatem hominis, in primis Christiani, longè positæ sint, aut eidem cum illis etiam animantibus communes, quibus anima, quod dicitur, pro sale data est: sola Religionis pietatisque cura hominem terris brutisque eximit, adeoque ei propria est, ut non tam ratione à feris brutisque, quippe cujus lineamenta ac vestigia quædam iis ipsis impressa sunt, quàm Religione secerni videatur; & quod caput rei est, hujus unius operâ atque auxilio, aditum sibi faciat ad beatam immortalitatem & æternitatem. Quare rectè atque ordine facere judicandi sunt, non ii tantùm, quos alia nulla, quàm sui ipsius cura ferè exercere solet, sed Principes in primis Rectorésque Populorum & Ecclesiarum Ephori & Antistites, quibus id negotii ab Altissimo datum est, ut non suis tantùm, sed aliorum etiam multorum commodis & utilitatibus inserviant, atque invigilent, qui in hanc præ ceteris omnibus curam toti ac proni incumbunt, ut se ipsos populósque sibi subjectos ac concreditos Deo & Filio ipsius Jesu Christo sistere possint, quàm religiosissimos: aliis enim rebus omnibus exigua & perfunctoria cura sufficit, hujus unius cura totum integrúmque hominem sibi jure quodam suo ac merito vendicat.

Hæc causa fuit, Reverendissimi, Clarissimi, Doctissimi Domini, ut nos etiam quibus non nostri tantùm, sed Ecclesiarum etiam nostrarum cura à Domino nostro Jesu Christo demandata atque imposita est; officii nostri esse semper crediderimus, ut hanc, quam nacti eramus Spartam ornaremus, diligentérque adeò atque ac-  
cura-

curatè provideremus, ne sancta atque immaculata Servatoris nostri Religio per nostram culpam detrimenti aliquid caperet, id est, ejusmodi quædam Auditorum nostrorum animis non infererentur atque instillarentur Dogmata, quæ indole atque genio suo sanctissimæ Religionis amori paulatim eximendo & labefactando apta nata videbantur.

Religionem cum dicimus, rectum de Deo, Christoque Mediatore sensum, & qui sensui inædificatur, legitimum ac genuinum utriusque cultum atque obsequium intelligimus: ut enim alter sine altero esse nequit, ita utriusque simul cura Ministris Jesu Christi imposita est, etsi non pari necessitate: etenim cultus vix ignorantiam aut vitium ullum admittit, quia necessum est, ut occasione alterutrius obsequii ipsius sinceritas violetur, id est, in mandatum ipsum impingatur, cui vitæ æternæ promissio adjuncta est. Sensus errorem aut ignorantiam aliquam ferre potest, quæ cultui atque obsequio prorsus nihil officiant. Enimverò sensus quidam ejus sunt naturæ atque indolis, ut ad cultum ipsum nec necessarii sint, nec per se utiles: & in his quidem ignorantiam simplicem aut errorem purum putum si quis calumniari voluerit, & odiosè traducere, næ ille convitium mortalitati faciat necesse est; hallucinamur enim & hæsitamus omnes ex facili in rebus illis divinis atque cœlestibus, alii gravia, alii leviora; neque quisquam umquam tam subductâ ratione fuit ad omne verum, ut non aliquando eum quidpiam aut effugerit, aut fefellerit. Ex alia verò parte alii quidem sensus sunt, quibus veluti fulcris quibusdam ac fundamentis cultus universus innititur ac sustentatur, aut saltem qui ad cultum ipsum persuadendum, confirmandum, &

stabiliendum per se non parum ponderis ac momenti habent : quos convelli atque labefactari æquo animo non potest, nec debet ferre is, cui sacrosancta Servatoris nostri Religio curæ ac cordi est. Tenerrimè enim afficitur Christianus animus oculi instar, cui minimus etiam pulvisculus officere solet, quippe eundem protinus cum dolore impactum sibi sentit & excutere fatagit.

Ut intelligatis, quorsum hæc dicantur, Viri Clarissimi, nos ii sumus, qui videri nobis videbamus ejusmodi quædam placita à nonnullis magni alioqui nominis & famæ viris, quos eruditio atque auctoritas sua in excelsis jure meritoque collocavit, magno molimine adferri atque adseverari; quæ cum gloria bonitatis, sapientia, ac justitiæ Divinæ Salvatoris nostri *φιλανθρωπία*, satisfactione ac meritis, verbi miniterique sacrosancti naturâ, Sacramentorum usu, denique cum officio Christiani hominis consistere non posse videntur; quæ cum ingenti bonorum offendiculo, indelebili Reformationis nostræ maculâ, incredibilem pietatis jacturâ conjuncta esse videbantur; denique quæ adversariis nostris ad unum quaquaversum omnibus luculentam materiam præbere videbamus, suggillandi atque obtrectandi laudabilem illam, & felicibus adeò auspiciis institutam Reformationem.

Neque hoc tantùm, sed quod omnium maximum est, ea omnia Doctorum placita tamquam confessa & indubitata Ecclesiarum nostrarum axiomata ab Adversariis illis nostris traduci atque impeti, in illis veluti in propriis & genuinis Ecclesiarum nostrarum ulceribus ungues, dentes, linguas, calamos omnium passim hostium imprimi atque infigi.

Quæ res cum malè nos haberet, enixissimè pro se quisque conati sumus injuriam istam corpori toti temerè impactam ab Ecclesiis amoliri, neque permittere, ut labes & macula ista pulcherrimæ & nitidissimæ Ecclesiarum faciei inureretur, quæque peculiaria tantùm quorumdam in Ecclesia Doctorum placita erant, ea toti atque universæ Ecclesiæ impingerentur. Sed, proh dolor! malè admodum & infeliciter cessit nobis hoc pium propositum atque institutum nostrum: dum enim benè de Ecclesia mereri volumus, sensimus eâ parte nos applicuisse medicinam ac remedium, quâ, veluti in affecto corpore fieri solet, humores omnes funditùs nimium quàm vehementer exacerbati & perturbati sunt, adeò ut inde corpori toti tantùm non lethalis paroxysmus obortus sit, & incubuerit.

Invitis profectò ac nolentibus, imò non opinantibus nobis, hæc res accidit, nullo merito ac culpâ nostrâ. Quid enim criminis ac non potius laudis in eo esse poterat, quòd Ecclesiis nostris suam existimationem salvam, & à criminibus temerè ac sine causâ impactis sartam tectam cuperemus? Vitiòne quisquam vertet, aut crimini dabit fidei Jesu Christi servo, quòd pro virili quâ adnitatur ne Ecclesia tota, ob paucorum quorumdam peculiaria placita, malè audiat? Equidem si quis hanc rem ex æquo & bono putabit, iniquitatem & injuriam temporum, non nos, in culpam vocaturus est.

Nos verò tantùm abest, ut cæpti institutique nostri pœniteret, ut pulcrum gloriosumque judicemus tam præclara de causâ invidiam sæculi nostri sustinere, officiique nostri esse duxerimus, nisi transfugæ ac desertores bonæ causæ haberi vellemus, à Domino nostro, in laudabili proposito persistere ac perseverare: etenim est

etiam aliquid magnis & per se pulcris ausibus excidere, & utut non succedat, quod consulis, velle tamen consulere, quod in rem Ecclesiæ est, remediâque necessaria ac utilia etiam sine successu tentare saltem atque experiri.

Neque verò causa aut ratio ulla erat, cur aliter agendum putaremus: majora enim & graviora erant, quæ amoliri cupiebamus, quàm ut ad ea tacitè conniveremus. Neque enim existimare debetis, verum esse id quod hætenus in vulgus, magno cum causæ nostræ præjudicio, sparsum est de nihilo, & unguium retrimentis aut segmentis à nobis litem esse motam magnis illis & celebratis nominibus; ne firmiter umquam Deus, Deus ille, cui nos in spiritu servimus, ut in negotiis Religionis de rebus frivolis, minutis, ac panè nihili controversiam alicui temerè moveamus, ut volupe ducamus, de lana, quod aiunt, caprina rixari, & ferram contentionis reciprocare! Enimverò seria, augusta, solida, & quæ pondus ac momentum habent, curat verè Christianus animus: leviculis etiam non afficitur. Prudentis viri est de umbra, quod aiunt, asini nonnisi cum molestia posse digladiari: boni viri etiam digladiari nolle. De aliis, quàm necessariis aut apprimè ad salutem utilibus contendere operæ pretium non est.

Quare cum hæc sententia imis animis nostris sæderet, incidimus in duram admodum, & quam minimè commeriti eramus, fortem, id est, in publicum ferè omnium odium atque invdiam. Adeò difficile est opinionibus inveteratis & inolitatis, in primis quas excellentis atque egregii alicujus viri auctoritas stabilivit, manum admovere, & malum benè, aut potius diu firmiterque positum loco movere!

Quid enim? exinde non aliter in nos tamquam

quam in professos Religionis ac Reformationis hostes, veritatis inimicos, tranquillitatis publicæ perturbatores, Patriæ perduelles, novatores, hæresium omnium fautores ac patronos (ut arduo vocabulo) sævitum est: urnæ omnes convitiarum & atrocissimarum criminationum motæ sunt ac concussæ; in famam & existimationem nostram quæsitæ, & ad odium compositis vocibus ac scriptis incursum est, tantis animis, tanto molimine, tantis conatibus, ut, verbis Apostoli dicemus, *οὐκ ἐπίσημα καὶ κάθαρμα ἔκνομυς* facti simus. Non opus est, ut commonstrem verum esse id, quod per decennium integrum, teste cælo & universo Orbe Belgico, gestum est, neminemque latere potest; ipsi Templorum parietes, ambones, pulpita, porticus, fora, compita, convivia non loquuntur, sed clamant: lippis, quod aiunt, & tonsoribus ipsis notissimum est.

Etenim principio clanculariis suspicionibus, veluti cuniculis & suffossionibus animi plerorumque alioqui minimè malorum præoccupati & circumventi sunt, ut ab iis, quos antea præ corde suo dilexerant, alieniores fierent. Venenum enim amicitiae primùm suspicio est. Inde manifestariis & apertis criminationibus, licet vanis & falsis, veluti pestifero quodam halitu adflatæ mentes, in odia irasque exarserunt: accedentibus verò tandem tribunitiis Concionibus, veluti flabellis & follibus quibusdam, adeò inflammatae sunt & accensæ, ut in convitia, scommata, opprobria, dicteria, maledicta, aliisque odii excrementa efferberint; donec tandem ruptis omnibus honestatis, æquitatis & modestiæ repagulis, quisque id omne, quod animo suo collibitum esset, in nos veluti publici odii victimas impunè effutiret &

evomeret. Bone Jesu , quid non intentari nobis immerentibus & innoxiiis de throno tuo videristi & audivisti? Quoties adscenderunt gemitus & suspiria nostra ad te, in cœlum usque? Quàm crebrò , quàm ardentè effudimus animas nostras coram te , cui uni innocentiam nostram perspectam esse sciebamus? Testamur te, Domine Jesu , qui judicaturus es vivos & mortuos, si umquam cuiquam justam causam tantarum querelarum, offensionum, injuriarum & criminationum dedimus.

Neque tamen, Viri Clarissimi , hæc ita à nobis dici existimetis, tamquam si à nobis nihil prorsus in calore hoc contentionis designatum, dictum , scriptum , gestumve esset perperam, quòdque aliquam reprehensionem mereretur; absit! Etsi enim de causæ ipsius bonitate, æquitate & veritate prorsus apud animum nostrum persuasissimi sumus: novimus tamen quàm sit difficile tantis animorum motibus ac tempestatibus clavum semper rectà tenere, & mentem prorsus æquam atque ab omni vitio integram sustinere: homines sumus, humani nihil à nobis alienum esse putamus. Sed id tantùm volumus, nihil nobis propositum fuisse, nihil nos cupivisse, nihil optasse, nihil tentasse, quod odium hujusmodi publicum mereretur.

Quare etiam cùm hunc consiliorum, studiorumque omnium nostrorum scopum ob oculos haberemus, in alteram priori succedaneam curam omnibus etiam viribus incubuimus; obnitentibus licèt, & obluçantibus non paucis, ne florentissimæ Ecclesiæ nostræ compages, sanctumque illud Domini nostri Jesu Christi Corpus, quod post tot sudores, post tot labores, inter tot difficilia bella, in medijs Reipublicæ motibus, inter innocentissimorum hominum

cædes



cædes & lanienas, ex sanguine & cruore martyrum, quasi coaluerat, novo schismate dehonestaretur & dissolveretur, funestoque & lacrymabili divortio inter ipsa ferè incunabula in partes distraheretur. Fatemur libentes: in hoc steterunt, & quasi trabali clavo fixæ fuerunt diu admodum curæ, cogitationes, consilia, preces, & suspiria nostra apud Deum Optimum, Maximum. Quidquid potuimus unâ cum Heroibus Patriæ nostræ, eò industriam ferè omnem & operam nostram contulimus, ne vulnus novum Ecclesiæ infligeretur, cui deinde medendo nullus sufficeret Hippocrates: docuerant quippe nos multa præteritorum temporum, omnisque adeò prisca & nostri ævi exempla, levi brachio, nulloque negotio vulnera infligi posse, inflicta verò difficillimè curari, quoque diutiùs hiant labia, eò ægrius, nec nisi cum fœda cicatrice conglutinari & coalescere: imò non rarò supra omnia remedia ire ac consistere.

Huic itaque malo, ut, quantum in nobis erat, occurreremus, aliquoties repræsentavimus Patriæ nostræ Proceribus, ut unum horum trium concedere nobis dignarentur, vel ut Synodus eâ, quâ ab ipsis statutum erat, lege indiceretur, ac convocaretur; vel si illud ex re Reip. esse non videretur, propter nimios recentisque adhuc animorum motus, qui iudicii sinceritatem turbare & vitare solent, mutua ad tempus sanciretur Tolerantia, id est, sua cuique sententia in hisce capitibus controversis, certis tamen reverentiæ, modestiæ, & pietatis limitibus circumscripta, salva relinqueretur usque dum aliter constitutum foret; vel si nec id consultum videretur, Reipublicæque sua tranquillitas & incolumitas, nisi nobis ejec<sup>o</sup>.is, constare non posset, cedere juberemur functionibus locisque  
pu-

publicis, réſque noſtras nobis habere: malle nos damno noſtro redimere patriæ noſtræ pacem, quam committere ut propter nos, publicumque Templorum uſum, vel minimum aliquod incômodum ad Rempublicam Patriamque rediret.

Obteſtamur vos, Reverendi, Clariffimi, Doctiffimi Viri Fratres, potuitne quidpiam aut rectius, aut utilius, aut optatius illo rerum ſtatu à nobis fieri? Ut cederemus ſententiis noſtris, liberâque illarum profeſſione, non ſinebat noſtra conſcientia: ut miniſteriis noſtris publicis abiremus injuſſi, deſertionis mercenariæ crimen habuiſſet: ut Synodus indiceretur, non permittebant ii, qui clauſulam reſiſſionis ſive reſumptionis Confeſſionis & Catecheſeos, reſcripto Ordinum inſertam, approbare gravarentur.

Quid reſtabat ampliùs, quàm Tolerantiæ mutæ conſilium? Enimverò, qui per nos ſtetiſſe affirmant, quo minùs multos ante annos Synodus convocaretur, nã illi magnam noſtro nomini injuriam faciunt. Nos enim ii fuimus, qui reſcriptum DD. Ordinum cùm Hollandiæ, & Weſtfrifiæ, tum Generalium, deinde omnium laudavimus, probavimus, commendavimus, nihilque prius aut antiquius duximus, quàm ut illâ lege Synodus convocari poſſet; & eo quidem tempore, quo animi à contentionibus ac rixis nondum incaluerant, quo judicia nondum erant perturbata, quo ſola tantùm ſententiarum bella ac divortia erant: ad triftes verò has ac deplorandas animorum dividias, quæque ex illis naſci ſolent, factiones, ſchiſmata & ſecefſiones nondum ventum erat. Sed cùm iſto tempore Synodum remorarentur ii, quos id minime, noſtro quidem iudicio, decebat, quippe cauſam nullam gravem ac juſtam habere nobis

vide-

videbantur, in Tolerantiæ mutuæ proposito stetit; nihil dubitantes, quin ubi animi à contentionum fervore ac vehementia nonnihil defuerbissent, commotæque ac turbatæ iudiciorum fæces tractu temporis resedissent, concordia & conjunctioni iterum litari facillè posset. Suadebant nobis hoc ipsum non maximorum tantum virorum, sed integrarum etiam Ecclesiarum exempla, quæ jura fraternitatis & communionis, mutuæ in maxima harum aliarumque multò plurium sententiarum diversitate, salva atque illasa non sine magno Ecclesiarum emolumento & incremento conservarunt: Quinimò non à Theodoro Beza tantum, ac Jacobo Andrea, sed & à nobis ipsis concordia, fraternitatisque dextera & tessera Lutheranis oblata: Denique Serenissimi Regis Magnæ Britannia consilium, aliisque clarissimorum hujus nostri ævi Doctorum & Pastorum iudicia.

Sed nec hac viâ successit res: quinimò quanto benignius placidiusque à nobis, pro Tolerantia mutua, actum laboratumque est, tanto acrius animosiusque contra itum est. Sparsum quippe in vulgus est, & panegyricis Concionibus, libellis famosis assidue populo inculcatum Tolerantiam *πρόφασιν* tantum & larvam esse, quâ incautorum oculis veluti *γλαύκωμα* aliquod obduceretur, ne viderent quid post siparium agerent, & in sinu foverent Remonstrantes. Eos quorundam Politicorum instar, sententias suas veluti navigia quædam ex tempestate Reip. moderari; & prout ventus ex alto flaret, ita vela vertere, conscientia illos suæ imperare, quidquid vellent: quo crimine atrocius nihil graviusque dici aut scribi potuit. Nec tamen ullam justam tantæ criminationi causam umquam dederamus; sed hac ratione fax contentionum  
mul-

multò magis ventilata est , & oleum , quod dicitur , camino additum. Usque adeò enim animi plerorumque , qui hætenus extra partium studia se se continuerant , abalienati sunt , ut tandem, post omnia frustrà tentatâ nobis remedia, res in nervum eruperit; id est , publicum & apertum schisma, quali dato signo & manu factâ, in Ecclesiam introductum sit, secessionésque in pagis, oppidis & civitatibus passim, invitis & nequidquam reclamantibus & resistentibus Patriæ pacisque amantissimis Proceribus, factæ sint: & ne privatâ quorundam auctoritate atque arbitrio ea geri viderentur, advocati ab omnibus ferè Provinciis præcipui, qui schisma illud recens natum veluti abortivum aliquem fœtum gremio suo exciperent, foverent, educarent, auctoritate insuper & operâ suâ tamquam publico quodam suffragio stabilirent & confirmarent. Verùm enimverò ne quis vestrùm hæc existimet populo tantùm auctore facta esse, fœdera, consociationes initæ, & congressus clandestini habiti sunt, in quibus fide & tesserâ datâ se se non pauci Pastores obstrinxerunt, eò quòd omnes & singulos Remonstrantium Articulos divinæ gloriæ, & veræ conscientiarum tranquillitati noxios esse judicarent, ad secessionem hanc faciendam; & quidem càm mente atque animo, ut secessio ipsorum in hac ipsa Synodo Nationali, communi totius Synodi consensu, auctoraretur. Et certè, si rem rectâ ratione æstimare velimus, non capit tam ingentes motus pròmiscua plebs & vulgus hominum, nisi sint qui auctoritate & exemplo suo incitent, atque impellant; maris instar, quod nisi venti commoveant, atque conturbent, tranquillum ac placidum stare solet. Nec leve hujusce rei indicium illud fuit, quod numquam

ferè

ferè quisquam eorum, quibus hæc agendi ratio displicere videbatur, schisma auctoresque schismatis aut publicè reprehenderit, aut censurâ ullâ notare sustinuerit. Sed qui prudentiores paulùm videri volebant, alium huic tam fœdo operi colorem quærendum esse putaverunt; & sanè quærentibus non defuit: scilicet, persuadendum erat populo alia adhuc latere, quàm quæ in controversiam publicè vocata essent; horrenda, videlicet, & damnata olim Dogmata; veteres omnes hæreses novo paxillo suspendi, & quidquid uspiam ferè errorum pestiferorum fuit, id omne veluti postliminio in lucem revocari. Hinc protinus in formulas loquendi, & phrasas cujusque inquisitum est; de syllabis & apicibus tantùm non comitia habita & in consilium itum est; ad minutas quasque controversias & dissensiones veluti ad ingentes scopulos hæsitatum est; post singulas, præruptos errores & hæreses infandas abscondi; sub phrasibus singulis, veluti sub saxis, serpentes latere, aliæque id genus plurima dicta indicta, colloquia privata conquisita, corrasa & convectata sunt, ut quæ mole suâ & pondere levia erant, ea numero gravia redderentur. Sicubi fortè vel filerent Remonstrantes, vel moderatiùs sentirent ac loquerentur; in suspicionem id protinus & calumniam vocatum est, odiosaque Hyperbole exaggeratum.

Nolite mihi credere, utroque tantùm oculo legite specimen illud controversiarum nuperum, quâ parte Remonstrantes tangit; aut nos vehementer fallimur, aut palpare poteritis verum esse, quod dico, & dies ipsa aliquando clariùs docebit.

Interim id persuadeatis vobis, certum esse, fucum & fascinum tantùm esse, quidquid illud est, quod obtenditur atque præfertur. Enim-

verò

verò lustrate, lustrate, inquam, scripta omnium nostra privata, publica, nuspiam nec volam, nec vestigium reperietis, cui tam dira & acerba criminatio superstrui possit. Ecquis enim nostrum est, qui Theologiæ ipsius *ἀνορθία* vel levi digito attigit, nedum labefactare & convellere sustinuit? Immota, inconcussa steterunt nobis hætenus ea omnia, quæ Catholico consensu approbata sunt. Credite nobis, commenta tantum hæc quorundam ingeniorum sunt, eo fine adinventæ; ne schismati color deesset.

Neque tamen diffitemur, ut fortè quæ hujus criminationis species sit intelligatis, ita nos ferè semper judicasse de magnis arduisque Theologiæ capitibus longè supra nos positis, sive de Religionis nostræ verè mysteriis tutissimè agere eum, qui non nisi sobriè ac parcè, quantumque fieri potest cum Scriptura loquitur: rati, id quod res est, in tam abstrusis abditisque mysteriis proclivem errorem esse, & leviculam sæpè hallucinationem in tantis rebus magno errori ansam præbuisse. Disputationes de iisdem ex professo vitavimus, quippe experiundo didiceramus, nonnulla tutiùs certiùsque credi non ventilata, quàm excussa: mysteria summa non nisi reverenter & lotis, quod aiunt, manibus, tractanda esse: evanescere & deleri eorum augustam Majestatem, si levibus rationum subtilitatibus tamquam purpurisso & ceromate aliquo incrustentur, ut augustam mysteriorum quasi speciem habere videantur: simplicitate suâ se magis illa commendare, quàm coloribus adscititiis: & plerumque fieri, ut ratio, ubi semel in consilium adhibita est, luxuriare gaudeat, nec uspiam ferè subsistere, adeò ut nihil ferè credendum deinde reputetur, cujus ratio aliqua dari non possit: & hinc insanæ illæ quæstionum variarum circa hæc mysteria moles

moles ac farragines natæ sunt, quibus adèò indultum est, ut si quis in eas incidat, in totidem labyrinthos, flexus, gyros, ac mæandros se se tamquam per naufragium aliquod delatum credere debeat.

Præter hæc si quæ alia aliquando mota sunt, ea talia fuerunt, de quibus variè semper & sine periculo aut damno salutis jam pridem arbitrati sunt eruditiores; aut suo saltem jure in Academiis, Scholisque in primis publicis, ubi quæstiones in acie novaculæ, quod dicitur, collocandæ semper sunt, arbitrari potuerunt. Enimverò iniquum esse putamus, in omnibus minutiis & apicibus, ipsisque adèò phrasibus, omnimodum consensum postulare: arctisejusmodi vinculis ac compedibus judiciorum libertatem ac varietatem adstringi non posse: quin jejunum plerumque ac frigidum esse quidquid ad arbitrium & placitum alterius creditur ac defenditur: sufficere debere, si capita ipsa Religionis integra atque illæsa servantur.

Neque verò etiam ullum umquam tam felix, tam beatum fuit sæculum, in quo judiciorum sententiarumque discrepantia locum non habuerit: si à primis Christiani Orbis incunabulis, à beatissimis illis Patrum sæculis usque ad hæc nostra decurrere liberet, varia profectò, salvis Christianæ Societatis legibus, variè credita, defensa & adserta fuisse, ostendi posset. Vix unus est, qui ab altero non dissenserit in multis variisque. Sed ne longè abeamus, testamur vos Anglia, Gallia, Germania, imò hoc ipsum Belgium nostrum, & quidquid uspiam ferè locorum est, ubi, inquam, angulus ullus est, in quo omnes per omnia consentiant? Certè in tanta rerum varietate, judiciorum diversitate, quæstionum perplexitate, omnia ingenia ac judicia in  
unam

unam eandemque sententiam compingere velle, tantumdem profectò est, atque cum Nerone Isthmum perfodere velle. Quinimò dicendum quod res est, cum Clarissimo Patre, *Majorem tam veterum hæresium, quàm præsentium dissidiorum partem in Ecclesia hinc præcipuè natam fuisse & esse, quòd Concilia, Episcopi, Doctores Ecclesiæ, nullo discrimine, quævis Scholarum Dogmata, & Cathedrarum placita pro articulis Fidei Catholica venditarunt, parique ad salutem necessitate credenda conscientiiis imposuerunt, ex quavis verò Scripturarum interpretationis discrepantia nimis facile hæreses vel schismata fecerunt.* Unde fieri necessum est, ut, quod Hilarius ad Constantinum Imperatorem agit, dum in verbis pugna est, dum de nominibus quæstio est, dum de ambiguis contentio est, dum de auctoritatibus querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse incipit, nemo Christi sit.

Omnia hæc eò spectant, Reverendi & Clarissimi Viri, ut intelligatis, immeritò nos gravatos fuisse hætenus atrocibus illis suspicionibus; quasi sursum deorsum omnia movere, miscellam Religionem adornare, Pyrrhoniæ & Scepticam Theologiam revocare, & temerariam quælibet pro arbitrio & ex privato sensu innovandi & effutiendi sub specie libertatis prophetandi, licentiam introducere in animo habuissimus; Absit! Nihil spectavimus, nihil optavimus, nihil quæsimus aliud, quàm auream illam, & quæ inter servitutem & licentiam media inter est, Libertatem. Sicut enim ii non sumus, quibus hæsitatio, tergiversatióque ex omni occasione placet: ita non minùs aversamur eos, qui serviliter aliis se se mancipant, eorúmque júdiis, veluti hirudines, per omnia pertinaciter



ter adhærent, tamquam si piaculum secessione lustrandum foret, vel latum unguem ab illorum placitis recedere: qui profectò non tam ex suo, quàm aliorum ingenio ac judicio sapiunt; imò bubalorum atque urforum instar naso circumducuntur in omnem partem ad aliorum arbitrium.

Hac animi fiduciâ reâque conscientiâ freti, sustinimus hæctenus quidquid nobis ingestum est calumniarum & injuriarum; rati cum Augustino, non opus esse ut satisfiat calumniæ, ubi satisfactum est conscientiæ.

Hac eâdem suffulti atque innixi huc accessimus ante aliquot dies non citati, non vocati, sed sponte nostrâ atque ultrò; ego verò jussu eorum, quorum imperium detrectare religio mihi erat. Impræsentiarum etiam rursus comparemus: citatine an secùs jam non moramur, dummodò bonâ fide agatur, & non tam victoria, quàm veritas ipsa quærat. Et sanè fiduciam nobis non exiguam addidit hoc unum, quòd sciremus adesse jam, & ex omni ferè Orbe Christiano confluisse, quos æquiores & benigniores causæ totius cognitores futuros sperare licebat; quàm eos, qui hæctenus, nullo præcedente judicio Ecclesiæ, suoque Marte ac consilio, nomina nostra ex albo Ecclesiæ suæ expunxerunt, & secessionem à nobis manifestariam fecerunt. Ita enim ferè fit: æquiora & benigniora ferè solent esse examina eorum, qui extra partes partiùmque studia positi integros se judicio conservarunt, quàm qui liti & partibus se se fervidè immiscuerunt, imò qui de lite tota in alteram partem pridem aliquid statuerunt ac pronuntiarunt. Quisquis enim alterutri partium impensius favet, certæque ac destinatæ aliorum sententiæ ita addictus est & consecratus, ut cum

contraria nihil se commune habere velle profiteatur, hic iudex non est duarum, sed vel auctor suæ, vel sectator alterius præeuntis.

Quod cum ita sit, non possumus etiam, quin vos, Reverendi, Doctissimi Viri ac Fratres, quotquot ex remotis dissitisque locis ad hunc Confessum celebrandum, & consiliis, studiis ac suffragiis vestris piis ac prudentibus juvandum accedere non estis gravati, obtestemur atque obsecremus per viscera Salvatoris nostri Jesu Christi, per sanctum illud & venerandum nomen, quod super vobis omnibus invocatum est, per si quid unquam animæ vestræ carum fuit, per omnia fraternitatis & societatis Christianæ jura ac fœdera, ut de nobis aliud nihil, quàm id, quod impræsentiarum professi sumus, sentiatis ac statuatis. Si quid ab hoc aut illo, hac illave occasione dictum, scriptum, factumve sit, ejus culpam præstare nostrum non est. Quisquis de re ipsa rectè judicare vult, is in circumstantiarum superficie hære non solet, sed in rem ipsam totam rei que totius scopum & finem descendat ac penetret necesse est; si quid à principali linea aberraverit, id extra causam & rem esse credendum est. Eorum autem, quæ professi sumus, summa in compendio ad hæc tria capita redit. Primum est, quod apertè atque expresso nos opponere conati sumus illis, qui horrida, ut ipsi loquuntur, & ut nuper Geldri, abominanda Doctorum quorundam placita circa Prædestinationem & annexa, aut ipsi tantum se tenere profitebantur, aut quod magis est, ea pro genuina Ecclesiarum nostrarum sententia habenda & retinenda esse adferebant.

Alterum est, quòd toto animo abhorruerimus, & palàm proinde iis nos opposuerimus semper, qui propter quinque nostros, quos vocant, Articulos

culos, ante ullam Synodi latam sententiam ac decretum, propriâ auctoritate schisma & secessionem vel absolutè, vel per provisionem fieri posse aut faciendum esse judicarent, vel silentio factòve ipso id se adprobare demonstrarent.

Tertium est, quòd eorum semper rigorem improbaverimus, qui salvis manentibus vetitatis, in primis necessariæ, fundamentis, dissensiones sæpè leviculas & non necessarias in suspicionem statim atrocissimæ hæreseos vocant, perinde ac si societate, si non Christianâ, saltem Reformatâ protinus indignus foret is, qui vel hilum ab his illisque Doctorum placitis discreparet. Accessit ad hæc, occasione ferè harum controversiarum, enata quæstio, de jure & auctoritate Magistratûs circa Sacra, nobis supremam ac summam Magistratui in publico de Religionis controversiis judicio assignantibus; aliis verò non paucis id juris Magistratui derogantibus, & cœcane scio quam adprobationem Decretorum Ecclesiasticorum eidem tribuentibus.

Hæc ea fuerunt, quæ proposita nobis habuimus, quæ nos tanti momenti esse putavimus, & etiamnum putamus, ut muneri nostro nos ne utiquam satisfacturos crederemus, nisi iis, quantum in nobis erat, obviam iremus. Fidelium enim Servorum Jesu Christi esse credimus procurare inter cetera, hæc in primis duo: Ne sanctissima Religio Christi eâ parte lædatur & vulneretur, quâ sanctimoniam & pietati detrimentum aliquod inferri posset. Deinde ne quamlibet ob causam, sive ob leviculam, aut leviculas dissensiones secessio statim & schisma fiat in Ecclesia.

Pro hisce duobus capitibus velis remissique contendimus, pro hisce stetimus tamquam pro salutaribus & cœlo delapsis Ecclesiæ Christi ancilibus, certi ac persuasi salvis auspiciis Deoque fa-

vente omnia ea geri , quæ pro sanctimonix veræ & necessariæ pacis incolumitate geruntur.

Si aliis suspicionibus aut criminationibus gravati sumus apud Reverendas Dominationes vestras, etiam atque etiam rogamus, ut fidem iis deferre tantisper supersedeatis, donec alteram partem audiveritis, & totam causam perdidiceritis. Date nobis aliud nihil, quàm quòd vobis ipsis plenâ manu dari cuperetur, si loco nostro essetis, id est, animum à præjudiciis vacuum. Si accusasse sufficiat, quis erit innocens? Non prensavimus vos, non ambivimus gratiam favorémque vestrum, nec ambimus etiamnum: nec enim causa nostra favorem cujuscumque desiderat, nec favor hominum conscientias nostris ullatenus sufficere potest: Dei nostri unius, cui tamquam summo Judici stamus, ac cadimus, favorem quærimus, & hoc agimus ut innocentiam nostram, si non adversariis, æquis saltem hominibus adprobemus, & bonorum conscientias manifesti fiamus: scimus cui Judici sistendi aliquando simus, qui occulta cordium novit, & ea aliquando in lucem producturus est.

Nolite, quæsumus vos, respicere ad exiguum hunc quem videtis numerum: bonæ causæ vel unus patronus sufficit, malæ ne quidem infiniti: sed nec deesset nobis justus ad Synodum numerus, si numero contendere Christianum vel gloriosum foret, aut si æquo & pari Marte congregari licuisset. Sed quibus artibus, quibus machinis, quibus studiis procuratum sit, ut ne id fieret, Deus novit.

Nobis id certum est, ut numero multo inferiores redderemur, schismata & secessiones passim factas esse ad arbitrium sæpè paucorum; numeribus atque Ecclesiis suis fidissimos, & Eccle-

fiis suis acceptissimos Pastores ejectos paullo ante Synodos particulares, ut veluti rei sine suffragii jure accederent. Reliquos deputationibus ferè exclusos, ut vel nulli adesse possent, vel qui accederent, numerum fermè non facerent. Sicubi numerum maximum facerent Remonstrantes, uti in Ultrajectina Dicecesi nuper accidit, & pax atque concordia cum iis à Contra-Remonstrantibus semper culta & observata fuisset; in ipso Synodi limine, secessio & apertum schisma factum est, ut ne pauciores numero Contra-Remonstrantes ad Synodum hanc ex Provincia illa accederent, quàm Remonstrantes. Nota hæc res est, quæ pro se ipsa loquitur. Sed & hoc insuper habuimus. Unicum tantùm & quidem præcipuum est, de quo non possumus non conqueri apud vos, & coram toto mundo conqueri non desinemus; Antesignanos, Præcipuos & Ordinis nostri ductores, apud quos Aquilæ nostræ hæctenus steterunt, non qui munere isto inter nos functi sunt, sed quorum ætas, prudentia, eruditio illud nomen merentur, exauctoratos esse, & nobis quasi ademptos. Si quæritur, quando? Paulo antè, imò pridie ejus diei, quo decretum hoc factum est, ut ad Synodum vocaremur, cum jam in procinctu essemus, cum de summa rei agendum esset, & manus conferendæ. Quam ob causam? Nescimus. Imò si qua est, alia nulla est, quàm ea quæ jam in disceptationem hac ipsa in Synodo ventura est. Addimus ampliùs: Dum ipsa causa disceptabitur, passim adhuc à Deputatis Synodi particularis & fortasse hæc ipsâ horâ exauctorantur, censuris Ecclesiasticis gravantur ii, qui à partibus nostris stant, sub variis quidem prætextibus, sed nostro judicio prætextibus tantùm. Ceteri omnes, tamquam scilicet nullius prorsus culpæ rei, immunes sunt ab omni cen-

sura. Sed nec hæc tamen tam importuna (ne quid gravius dicamus) agendi ratio permovere nos potuit, ut hanc abjiceremus. Ita enim decrevimus, prout Christianos decet, non numero, sed rebus contendere. Sola Scriptura, & quæ ei juncta est, veluti pedisequa, recta Ratio pro nobis agmen ductura est: quibus quamdiu aliud quid, quàm Scriptura aut Ratio solidior, opponetur, pedem non movebimus: nec centumvitalia judicia, nec cistas nongentorum, quod aiunt, reformidaturi. Sapiens non movetur numero judicantium, sed judiciorum pondere: & quod præcipuum est, conscientia suffragiis non acquiescit, sed, quibus suffragia ininiti debent, rerum ponderibus ac momentis. Non rarò enim (ut rectè ait Seneca) argumentum pessimi turba est. Certare debet ratio cum ratione, causa cum causa, res cum re, ubi veritatis cognitio quæritur.

Hoc si fiat, quod fieri æquissimum esse Vestræ Reverentiæ norunt, erit profectò, quod nobis atque Ecclesiis nostris gratulemur, occasionem nobis datam esse luculentam, quâ cum Eruditissimis, Doctissimisque Viris examinare atque inquirere dabitur, pro qua parte Veritas & Ratio potissimum militet. Alterum enim duorum consequuturos nos speremus, ut aut probemus causæ nostræ, quam hactenus defendimus, innocentiam aut: illâ cadente, reportemus veritatis victoriam. Tam enim accessimus parati vinci, quàm vincere; utrumvis enim acciderit, sine fructu non erit. Non enim vinci pudet eum, qui pro damno erroneæ sententiæ veritatis lucrum quærit, nihilque aliud sibi propositum habet, quàm ex veritatis consequutione conscientia suæ solidam pacem & tranquillitatem. Quisquis non eo animo accedit,

ut quibus minimè favet , possit absolvere , & quos unicè amat , condemnare , næ ille indignus est , qui in hoc Confessu suffragium ferat. Amicus esse debet Plato, amicus Socrates, amica Synodus, sed magis amica Veritas.

Finitâ, quæ magnâ attentione audita erat, Oratione, erectisque in expectationem omnium animis, quidnam ad id responderetur, surgens Præses Bogermannus dixit: *Citatos Remonstrantes intelligere ex hisce posse, quantâ æquanimitate & patientiâ cum iis ageret Synodus, quòd ante impetratam potestatem eos tamdiu loqui svisset, quòd nemini illic liceret. Episcopus, jam se antè potestatem loquendi sibi fieri postulasse, ait, cùm ipsum Orationis exordium ejus petitionem haberet. Regessit Præses, Synodi responsum antequàm perrexisset, expectari ab eo oportuisse, quoniam nemini ita loqui fas esset, nisi impetrasset à Synodo potestatem, Præsidi que de argumento Orationis constaret; imò ipsis Synodi Membri id non licere, nedum iis, qui coram Synodo vocati citati que erant; ordini ac moribus receptis repugnare Citatos priùs loqui; illos de quo interrogentur, audire, & tum respondere par esse. Ideòque, inquebat, monendos ea de re Citatos esse, ut comitatem, patientiâque Synodi erga se agnoscerent, quòd tamdiu sine ulla interpellatione dicentes auditi essent; ac eò magis quòd unicè ad id ejus spectabat Oratio, ut, animi eorum, qui illic sedebant, criminationibus in Synodi Membra præoccuparentur, ac adversùs ea exacerbarentur; æquum proinde se se censere Orationem eam, cùm varia magni momenti contineret, Synodo tradi, ut constaret, quo spiritu & genio promuntiata esset. Cùm respondisset Episcopus, traditum iri, primo quoque tempore, apographum, quoniam priùs describenda esset; non adquevit Præses, verùm acriter insistit, illud illicò tradi debere, sibi que potiùs*

Præses increpat Episcopium, eò quòd sine venia esset locutus.

Præses eam Orationem scripto comprehensam poscit, idque illicò nullâ concessâ dilatione vel admiffâ excusatione.

statim id exemplar dari, quod ante se Episcopus repositum habebat. At Episcopus dicere, *nullum sibi satis benè descriptum exemplar esse.* Secretarius interim Heinſius Delegatorum jussu dixit, *quandoquidem in ea Oratione multa essent, quæ tam Politicos, quàm Ecclesiasticos spectarent, par esse à Citatis ei subscribi, subscriptamque tradi.* Petiere Citati, ut sibi tempus ad eam meliùs describendam conferendamque cum autographo concederetur, quo factò subscriptam tradituros se aiebant. Hoc negato, Apographo non satis benè exscripto, nec cum Autographo collato ac multis lituris conspurcato, quod ad manum illic erat, subscribere, idque tradere coacti fuere. Cùm verò id locum Autographi exemplaris vix ac ne vix quidem obtinere posset, ut sibi idipsum, seu aliud Apographum ejus redderetur, stipulati sunt, ut quidnam tradidissent, scire possent. Prælecta fuit postea à Præside Boggermanno jurisjurandi formula, in quam, jussu Illust. ac Præp. Ordinum Generalium omnibus Synodi Membris jurandum erat. Primus ipse juravit, ac post eum omnia Synodi Membra jurijurando annuerunt, in quorum numero senior erat Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Amstelodamensis, Linguae Latinæ imperitus. Cùm verò ex ordine jurantium ad Ultrajectinorum Remonstrantium ad Synodum Deputatos ventum esset, præteriit eos Præses, aliquam inquiens esse causam, quominùs jurare possent, eosque spatium deliberandi in sequentem diem sibi sumsisse. Post meridiem, Episcopus ad Delegatos Ordinum Generalium venire jussus est, interrogatusque, an Oratio illa ante meridiem habita extemporanea esset; quia se se audivisse rebantur quidam, dixisse Episcopium in Synodo, se se in chartam Analyſin ejus solummodò conjecisse,

respon-

Ul raje-  
stinis  
Remon-  
stranti-  
bus jura-  
re non  
est per-  
missum.



respondit, *Nullomodo: verum se omnia prius mediatum esse, conscripsisse, ac Remonstrantibus ostendisse.* Interrogatus porro, *utrum Orationis apographum tradidisset, prout eam pronuntiaverat?* Imò, inquit, *omnibus partibus congruens; attamen certò se affirmare nequire, hâc illic vocem unam aut alteram, plùs vel minùs dictam non esse, quàm in eo exemplari habeatur; quoniam id cum alio non comparasset; verum argumentum ei totum inesse.* Illi rursus, *se se facìle intelligere Professores vocibus non esse usque adeò adstrictos, sed percunctari, idèmine argumentum esset?* Cùm iterum affirmasset, rogarunt, *num aliud, quàm quod tradiderat, haberet exemplar?* Ad id ille ait, *primum sibi maculatum esse exemplar, sed hoc ab aliis legi non posse.* Videbatur iis satisfacisse; hortatìque hominem ad pacem, comiter dimisere. Haud tamen multò pòst, in ejus hospitium venit Heinsius, petiitque nomine Artsbergenii Politicorum Præsidis, ut sibi primum maculatum Orationis exemplar cernere liceret, quod Episcopus (non ratus insidias sibi strui quasi mendacium dixisset) concessit eâ lege, ut sibi redderetur; quod post multas petitiones, factum tandem est. Omnes de ea loquebantur, rumoresque per urbem spargebantur, quasi mira hæc contineret Oratio, & proferebantur haud pauci articuli summi momenti, ob quos censurâ essent notandi Citati; ac præsertim Episcopus mendacii quoque crimine infimulabatur, quòd nullum aliud exemplar sibi esse dixisset, cùm tamen contrarium jam appareret. Vulgabatur etiam tradidisse eum exemplar; cui neque cum Autographo, neque cum iis, quæ ore dixerat, conveniret. Octavo Decembris Remonstrantes Ultrajectinorum Deputati, toto antemeridiano fermè tempore, Synodum occupatam tenuerunt. Haud permit-

Episcopus ad Politicos arcessitur, atque illic de Apographo suæ Orationis interrogatur.

Rumores miri de ejus Oratione sparsi.

3. Decemb.

tebatur ut ii, unà cum aliis Synodi Membris jurarent; lis de eorum deputatione iis movebatur; eadem eorum quæ Episcopii causa esse dicebatur, ideóque eos se se Citatis adjungere debere. Urgebatur in primis eos adversarios esse, ideóque Judicum officio fungi non posse. Iis verò dicentibus Contra-Remonstrantes quoque adversarios esse, responsum, non esse; cum non de Contra-Remonstrantium, verùm de Remonstrantium doctrina judicaretur, ideóque Remonstrantes in propria sua causa Judicum locum obtinere nequire, verùm eo officio Contra-Remonstrantes solos fungi debere. Præterea conditiones præscribebantur illis, quas iniquas judicabant. Cùm autem nihil promoverent, viderentque in Synodum se non admissum iri, tandem Citatis se se adjunxerunt.

Decimo Decembris ante meridiem, cùm Citati in Synodo iterùm comparuissent, dixit Præses, quoniam Citatis se se adjunxissent Ultrajectini Fratres, rogare Synodum, placerétne eos quoque Orationi Episcopii septimo hujus mensis habitæ subscribere. De ea re, cùm priùs se se deliberaturos, Orationémque examinatos dixissent, perrexit in hunc fermè modum Præses. *Professorem Episcopium apographum Orationis ab ipso habitæ tradere jussim, nullum sibi aliud exemplar esse dixisse, præter id ex quo eam pronuntiaverat; compertum tamen fuisse postea, eum aliud habuisse exemplar, imò tradidisse aliud ab eo ex quo eam recitaverat: se se itaque nomine Synodi eum hortari, ut posthac majore sinceritate ac veracitate ageret, cùm nulla vel causa esset, vel ratio, ob quam ejusmodi dolo uti voluerit.*

Ad id Episcopus gaudere se, inquit, Præsidem id monuisse, adeóque occasionem sibi præbuisse, diluendæ, quæ totam urbem jam pervaserat, calumniæ, quasi fallaciter

Episcopus ob mendacium increpatur.

Se se ad- versus id defendit.

laciter ac malâ fide egisset. Hac verò in parte insignem sibi fieri injuriam, cum numquam animus ipsi fuisset tam præclarum fallendi Confessum; nunquam se se negasse sibi adhuc unum exemplar esse, quin sese suâ sponte ac haud coactum eodem die post meridiem fassum esse Delegatis, se primum adhuc habere exemplar, at tantoperè commaculatum, ut nemo, præter ipsum, id fortè legere posset, ac id ipsum exemplar se se Secretario Heinsio tradidisse: verum se dixisse solummodo, aliud sibi non esse exemplar satis nitidè descriptum; ideòque se spatium ad exscribendum Apographum postulasse, ut collatum cum Autographo Synodo traderet, alterumque sibi retineret. Quapropter, hac in re, magnam à Præside sibi fieri injuriam. Idem quoque declaravit Eduardus Poppius, se se aliòsque Citatos ad testandum id cum veritate consentire paratos esse, qui cum proximi Episcopio adsedissent, ejus verba optimè omnium audire potuerant. Præsides se tamen Episcopio ullam facere injuriam negavit, verum rem, prout venerat, ac quam se certò scire aiebat, simpliciter commemorare; idque testaturos omnes ejus adhuc memores. Cùmque Episcopus audiri testes desideraret, ac Præsides se se ad eos qui præsentibus illic erant, interrogandos accingeret, Delegatorum Præsides satis ea de re dictum inquiring, litem diremit. Sub hæc Præsides rem ipsam principalem inchoare volente, petiit Episcopus, ut priùs scriptum ad sternendam sequenti Actioni viam, prælegere liceret. Recusatum id primò, postea verò agrè concessum est. Scriptum id duo continebat, declarabant primùm Remonstrantes, se se Synodum pro legitimo causæ suæ Judice agnoscere non posse, cum maxima Synodi pars (Exteros excipiebant) adversarii essent. Quod eò probabant, quia Provinciales schismatis rei erant, ac jam à Remonstrantibus secessionem fecerant, ac ulla cum iis communia

Remonstrantes  
scriptum  
legunt de  
constitutione  
Synodi.

nia sacra habere recusaverant : se se haud agnoscere pro æquis doctrinæ suæ Judicibus eos , à quibus jam antè condemnati , & tamquam profani , atheique habiti , à quibus Ecclesiis ejeçti , ac factis conventiculis ii declarati erant , cum quibus reconciliationem inire non liceret ; ideòque se se pro Membris Ecclesiæ Reformata à Contra-Remonstrantibus non agnosci. Addebant , hæc omnia vel scripto , vel vivâ voce in Synodo probare paratos se se esse. Alterâ parte, duodecim leges in legitima postulas Synodo proponebant , quæ si observarentur , Synodum cum fructu haberi posse aiebant. Adjecerunt Reformatos has leges à Pontificiis , Calvinistas à Lutheranis observari postulasse : easque non rationibus tantùm , verùm etiam variis testimoniis è Davide Pareo , aliisque celebribus Reformatis Doctoribus petitis confirmarunt.

Remonstrantes nolunt Contra-Remonstrantes , utpote partem adversam , pro Judicibus agnoscere. Lecto hoc scripto, jussi sunt Remonstrantes id subscriptum tradere. Præses postea magnâ verborum copiâ ostendere cœpit, *Remonstrantes debere se judicio Synodi subjicere : Contra-Remonstrantes non amisisse jus suffragii, quamvis secessissent à Remonstrantibus. Ita in veteri Ecclesia fuisset actum, ita in causa Coolhartii, Herberti, Wiggeri.* Ad hæc Remonstrantium nomine respondit Niellius , eamdem esse rationem Remonstrantium ac Contra Remonstrantium , quæ in Germania erat Flaccianorum & Peuceri , aliorumque à Flaccianis discrepantium; qui tantùm abest , ut se Synodo Flaccianorum subjicere voluissent , ut in ea comparere detrectaverint , quoniam pars erant adversa. Præses ait , fuisse aliam rem , sub diversis enim illos fuisse Magistratibus , Contra-Remonstrantes & Remonstrantes iisdem parere. At probavit contrarium Niellius , nempe, Duci Saxonix omnes subjectos fuisse. Præsidi objecit Episcopus :

*Si Remonstrantes ut Judices illic sederent, an ipse & Contra Remonstrantes pro Judicibus eos agnoscerent? Respondit Præses, si alea ita cecidisset, passuros se fuisse, nunc verò cum aliter Magistratui visum sit, Citatos id patienter ferre oportere. Episcopus regeffit: Aliud est agnoscere Judicem, aliud est patienter ferre. Nos etiam feremus Judicem hunc: sed ab animo nostro impetrare non possumus, ut vos Judices legitimos agnoscamus sententiæ nostræ, cum sitis pars adversa, & diversas planè & separatas à nobis habeatis Ecclesias. Quod ad Magistratûs auctoritatem attinet, nos illum libenter agnoscimus, at ut nobis Judices ponantur, qui sunt adversarii, id pugnare cum naturali æquitate contendimus.*

Quæsit post meridiem Præses judicium Synodi, de scripto illo Remonstrantium, decretumque fuit illos ferò esse castigandos, quòd ausi fuissent maximam Synodi partem schismaticam vocare. Ingressos itaque Remonstrantes Præses acri Oratione increpitavit: dixitque inter alia, *nescire se se facerentne id præ juvenili quadam protervia, an verò imprudentiâ? Cum absolvisset, Decretum DD. Delegatorum, prælegit Secretarius Heinsius, cujus erat finis, Delegatos mandare atque imperare Remonstrantibus Citatis, ut citra tergiversationem, moram, aut dilationem ullam ad ulteriora, & præcipuè hac Synodo agenda procederent, & quæcumque à Synodo hunc in finem decernerentur, iis obedirent atque morem gererent.* Hoc lecto Decreto, ad censuram Præsidis Episcopus respondit, & quoniam Præses ipsis reprobraverat, eos schismatis crimine DD. Ordines Generales, Principemque Arausionensem insimulasse, insignem sibi fieri injuriam questus est; cum id, quod crimini dabatur, ipsis in mentem numquam venisset; se Ecclesiasticos solos schismatis accusasse, nihil verò quod Magistratus

Ob suum  
scriptum  
à Syno-  
do casti-  
gantur.

Ac se se  
contra id  
tuentur.

giltratus spectaret in eo scripto posuisse. Hic plura dicere volentem interpellavit Præses, ac probare nitebatur eos schismatis accusasse Magistratus; nec Citatos respondere passus ad priorem suum sermonem iterum rediit, ut Synodum hujus causæ Judicem esse posse ostenderet, rogavitque Remonstrantes, *quos igitur vellent Judices? An Pontificios, Anabaptistas, Neutralistas, Coornbertistas, vel Davidis Georgii sectatores pro Judicibus agnoscerent?* Regesserunt Remonstrantes, non opus esse ipsos Judices eligere: sufficere se ostendisse hanc Synodum non posse esse legitimum controversiarum Judicem. Cùm verò Præses hanc eorum audaciam ac temeritatem (prout ipse vocabat) castigaret, juvenilémque lasciviam proterviámque appellaret, dixit Niellius, *Tædere jam se quòd tam sapè contumeliosam exprobrationem temeritatis juvenilis ac protervia audret, se se sponte illuc non venisse, verùm citatos fuisse: neque ipsos tam juvenes esse, quin jam multis annis munere Ecclesiastico, imò quidam plusquàm viginti annis functi essent, quidam etiam Præsides ætate superarent;* fuséque porrò omnia Præsidis dicta refutavit, ostenditque Synodum legitimum hujus causæ Judicem esse nequire. Cùm contentio inde esset orta, nec Remonstrantes à proposito recederent, finita est ea Synodi Sessio.

11. Decemb.  
Remonstrantes iterum scriptum legunt.

Undecimo Decembris, Remonstrantes in Synodum iterum vocatos rogavit Præses, paratine essent ad sententiam suam de quinque articulis scripto exhibendam, & simul considerationes ad Confessionem & Catechesin? Cùm Episcopus petiisset, ut sibi breve quoddam scriptum, videlicet, responsionem ad ea quæ ipsis proposita erant, prælegere liceret, quæsit Præses, an tertia esset Oratio? Episcopus non Oratio-

tionem, sed breve scriptum esse, ait, quo responderent iis, quæ proposita ipsis fuerant. Prælectum itaque fuit. Demonstrabant hoc scripto Præsidentem non bonâ fide & conscientiâ cum ipsis agere, illum primò studuisse Episcopium adducere in suspensionem malæ fidei, accusando hunc mendacii; deinde eum falsò ipsos infimulare, quòd Magistratus & Illust. ac Præpot. Ordines vocassent schismaticos, cùm Ecclesiasticos dixissent, non Ordines. Hoc non esse ex caritate agere, sed in eo totum esse Præsidentem, ut in ipsos concitaret iram Ordinum & Magistratum. Scriptum id hac Protestatione finierunt:

*Quamobrem ne diutiùs hac de re disceptemus, nos omnes & singuli hac solenni & disertâ Protestatione, toti huic Synodo & universo Orbi Christiano testatum facimus nos præsentem Synodum, aut maximam ejus partem propter causas suprascriptas, & scripto à nobis exhibito comprehensas & rationibus munitas, non habere pro legitimo controversiarum nostrarum Judicem; ideòque judicium ejus nullum apud nos, & Ecclesias nostras habiturum pondus. Quâ Protestatione præmissâ, ad rem præsentem & propter quam citatos nos credimus, nos accingimus, hoc petentes, ut hoc quoque scriptum nostrum & Protestatio Actis Synodalibus inseratur.*

Quo  
adversus  
Syno-  
dum pro-  
estantur

Hoc scripto jussu Præsidentis ab omnibus subscripto ac tradito, rogavit eos Præsides, an parere vellent Decreto DD. Delegatorum pridie ipsis prælecto? Ii verò nondum illius Apographum sibi esse traditum, reposuerunt. Quapropter exire jussis in Conclave Secretarii Heinssii, ipsis Decreti Apographum allatum est, imperatùmque ut quartâ post meridiem horâ redirent. Remonstrantes ad id Decretum scripto responderunt, quo declarant, se maximam Synodi partem pro adversariis habere, se se tamen patienter expectaturos,

Decreto  
Delega-  
torum  
respon-  
dent.

quod

quod Synodo visum erit de ipsorum sententia statuere, & totius rei negotium Deo innocentia suæ futuro vindici commendaturos: se se cacam Synodalibus Decretis promittere non posse obedientiam. Si tamen super sua sententia cum Synodo conferre, eam defendere, contrariamque refellere, quoad necessarium putabunt, liceat, nihilque quod conscientias suas gravet proponatur; Decreto huic morem gerere, salvâ tamen semper suâ Protestatione, paratos fore. Responso huic ab omnibus subscriptum, idque quidam eorum domum Præsidis Delegatorum, antequam ad Synodum iret, tulerunt, dixeruntque ei, se ulterius progredi non posse: se se in omnibus parere velle Magistratibus suis, dummodò suas conscientias non læderent; jam enim de veritate Dei agi, quàm deserere non possent: petebant propterea ne magis urgerentur, neve suis conscientis intolerabile onus imponeretur.

Decretum  
Synodi  
contra  
Episcopium &  
Remonstrantes.

Interim dum Remonstrantes post lectam suam Protestationem è Synodo exivissent, dixit Præses, istâ Protestatione quædam, quæ ad se pertineant, contineri, rogavitque suffragia Synodi, annon etiam audivisset Episcopium negasse, se aliud exemplar Orationis habere? Paucis exceptis, qui dicebant: se non ita observasse verba omnia, respondebant omnes, se non aliter intellexisse, quàm Episcopium negasse se aliud habere exemplar. Judicatum quoque fuit à Remonstrantibus obliquè notatos Magistratus. Post meridiem rursus hacce de Protestatione actum est. Remonstrantes, ut jussi fuerant, ad Synodum venientes, intromissi non sunt, verùm inclusi in Conclavi, ut nemo alloqui eos posset.

12. Dec.  
Id ipsis  
in Synodo prælegitur.

Postridie, duodecimo, nempe, Decembris ante meridiem, Remonstrantibus, simul ac mensæ suæ adsedissent, prælecta est, à Festo Hommio Scriba, acris censura; quâ primùm exponebatur,



batur, *Synodi Membra non aliter intellexisse, quàm Episcopium Apographum Orationis suæ tradere jussum, dicere voluisse nullum sibi esse aliud præter id, quod traderet exemplar; ideòque à Præsìde jure merito fuisse castigatum, iterùmque moneri debere, ut posthac majore cum sinceritate ac veritate in Synodo ageret.* Acrìter porrò reprehendebantur, quòd non reverenter satis nec de Magistratu, nec de Synodo loquuti essent. Prælegit postea Sebastianus Dammanus Scriba judicia exterorum Theologorum, adversùs Protestationem Remonstrantium, quæ pleraque eò spectabant; nempe, *Contra-Remonstrantes, quamvis adversùs Remonstrantium doctrinam concionati essent ac scripsissent, posse quidem ad id legitimè convocatos Judicium locum obtinere de eorum sententiis; Remonstrantes nullo modo eorum judicium rejicere posse, ideòque irritam esse eorum Protestationem.* Hoc finito, prælectum illis à Secretario Heinio fuit Delegatorum Decretum, ejusdem ferè cum censura Synodi argumenti. Eo lecto, petierunt Episcopus ac Remonstrantes, ut ad se se purgandos respondere aliquid liceret; verùm effluxisse tempus dictum est; adeòque ei Synodi Sessioni finis impositus.

Ut &  
Decre-  
tum De-  
legato-  
rum.

Post meridiem, horâ quartâ, Synodum iterùm ingressos hortatus est Bogermannus, *ut, quoniam intellexissent jam exterorum Theologorum judicium, suam Protestationem missam facerent, ac ad rem ipsam se se accingerent, primò sententiam suam de quinque articulis, ac postea considerationes super Confessione Catechesique traderent.* Episcopus petiit, ut sibi prælegere priùs liceret breve quoddam Scriptum, ad tuendam suam existimationem, questùsque est antemeridianâ censurâ insignem sibi factam fuisse injuriam. Hoc illi concedere primò noluerunt, at post iteratas sæpiùs postulationes, id accepit Præsès Bogermannus,

Scriptum  
ab Epi-  
scopio in  
suam de-  
fensio-  
nem  
compo-  
situm  
legitur.

obtulitque statim Delegatis, qui priùs legerunt, ac illicò pòst palam prælegi iusserunt. Hoc Scripto d monstravit Episcopus, *se se cùm Orationem suam traderet, nullo modo negasse sibi aliud esse exemplar, ostenditque nullam fuisse rationem, cur id dixisset, cùm Orationem meditatus esset, communiq̃ue e. i. Citatorum consensu approbata esset; quin & omnia eo fine scripta, ut in Synodo, & tantùm non coram toto Christiano Orbe dicerentur.* Variis porò rationibus ostendit à se id non fuisse negatum, *verùm dixisse se se exemplar satis nitidè exscriptum sibi non esse; idque verum esse, quoniam exemplar, quod obtulerat, cùm Autographo collatum non erat.* Séque ita esse locutum suorum fratrum testimoniis testabatur, qui eidem mensæ affidentes, latera ejus clauserant, ideóque omnium optimè audire potuerant. Verùm ea testimonia Præses admittere noluit, haud par esse, inquiring, testimonia Remonstrantium testimoniis Synodi opponi. Testimonia hæc sunt.

Testi-  
monia  
Citato-  
rum in  
gratiam  
D. M. Si-  
monis

*Nos infra scripti Pastores, & Verbi divini Ad-  
ministrum ad Synodum Nationalem ab Illust. D. D. Ord.  
Delegatis vocati & citati, seriò & ex fide veróque  
testamur D. M. Simonem Episcopium S. S. Theologiæ  
Professorem; dilectum nostrum in Christo fratrem, post-  
quàm Orationem auspicatoriam de sententia, consensu  
& approbatione nostra, in Synodo recitasset, & à Re-  
verendissimo D. Præsidente rogatus esset, ut orationem,  
quam recitaverat, ipsi exhiberet, disertè hæc ipsi-  
sima verba respondisse, non habeo aliud exemplar  
satis nitidè descriptum, nec aliud judicare posse,  
quàm reliquis sermonibus, cum D. Præsidente ultrò citrò-  
que habitis, non hoc voluisse ac si aliud exemplar  
nullum haberet, sed quòd nullum nitidè sa-  
tis, & collatione factâ accuratè descriptum haberet;  
parati, ubi res exiget, & necessitas postulabit, so-  
lemniter huic rei pleniorcm fidem facere. Actum*

Dor-

*Dordraci anno MDCXVIII. 12. Decembris.* Subscriptum erat Eduardus Poppus, Joannes Arnoldus Corvinus, Bernardus Duingio, Carolus Niellius, Henricus Leo, Philippus Pynacker, Alfuerus Matthifius, Thomas Golwinius, Dominicus Sapma, Theophilus Ryckewaert, Bernerus Vezekius, Henricus Hollingerus. Huic testimonio adjunctum adhuc erat alterum. *Nos infrascripti Pastores ac Verbi Divini Administrati, quorum alter proximè ferè latus Clarissimi Viri D. M. Episcopii, quo tempore Orationem in Synodo recitavit, clausi, alter verò eidem cum illo mensæ adfedi, bonâ fide & conscientiâ testamur D. M. Episcopium, cum ab eo peteretur exemplar Orationis in Synodo recitatae, inter varios discursus ultrò, citròque cum R. D. Præsides habitos, hisce verbis formalibus usum esse, habeo quidem aliud exemplar, sed non satis nitidè descriptum. In fidem hujus manu nostrâ sub-signavimus, parati ulterius & solemniter pleniorè hujus nostri testimonii fidem facere. Actum Dordraci anno MDCXVIII. 12. Decembris.* Subscriptum erat Dominicus Sapma, Henricus Hollingerus. Prætermittere hac occasione nequeo, quin notem Joannem Halefium Carletonis Angliæ Legati Ministrum, qui & ipse Episcopium hanc recitantem Orationem audiverat, Epistolâ eodem die ad Legatum scriptâ, eam rem quàm simplicissimè hoc modo commemorasse, postquam priùs argumentum Orationis Episcopii exposuisset. *Hæc & quod excedit unius horæ spatii differuit, magnâ oris gratiâ & gestibus oratoriis. Significavit ei Præsides, quoniam in ejus Oratione varia erant, quæ considerationem singularem postulabant, ut Apographum ejus traderet. Respondit Episcopus, non habere se satis nitidum exemplar, si aliquantùm Synodus expectare vellet, se curaturum, ut ipsi nitidum Apographum exhiberetur. At*

Ut &  
Joannis  
Halefii.

Contra-  
verſia  
inter  
Syno-  
dum &  
Remon-  
ſtrantes  
ob agen-  
di mo-  
dum.

*hæc ne utiquam admiſſa eſt excuſatio. Neceſſe erat ut traderet, ſeu nitidum, ſeu maculatum, & morem geſſit. Teſtimoniis, quæ obtulerat Episcopius, rejectis, Præſes iterum Remonſtrantes urgebat, ut Proteſtationi ſuæ renunciarent, ac rem ipſam inciperent, hortatùſque eos eſt, ut felicem Synodi eventum exſpectarent, quippe cum omnia Membra jurejurando eſſent obſtricta, ut ex Dei verbo, atque ex ſuis conſcientiis judicarent. Episcopius breve Scriptum prælegendi poteſtatem petiit; quam tandem impetravit. Poſtulabant eo Remonſtrantes, ut ſibi Apographa traderentur, 1. Cenſurarum, quæ in ipſos latæ erant in Synodo. 2. Judiciorum, quæ ab exteris Theologis de ipſorum Proteſtatione exhibita fuerant. 3. Ipſius Decreti Delegatorum, quatenus & cenſuras & ipſorum Proteſtationes ſpectabat, ut in timore Dei ea ſeriò examinare poſſent. Poſtulato eorum haud examinato, nec rogatis Synodi ſuffragiis, illicò negatum eſt, juſſùſque aliquoties ſtatim parère Decreto; adeò ut eos interrogaret Delegatorum Præſes, velléntne Decreto parère necne? Petierunt Remonſtrantes, ut exire ac conſultare ſibi liceret. Quod aliquoties negatum fuit, verùm poſt habitos ultrò, citròque ſermones, iteratùſque poſtulationes, conceſſum eſt. Poſtquam eſſent reverſi, Episcopius cunctorum nomine hiſce verbis reſpondit: *Intelleximus mentem & ſententiam Delegatorum Illuſt. D. D. Ordinum Generalium, & Reverendi Domini Præſidis. Reſpondemus itaque nos ſalvâ conſcientiâ, & judicio noſtro de hac ipſa Synodo, ſententiam noſtram de quinque articulis liberè propoſituros, explicaturos, & quantum neceſſarium eſſe exiſtimabimus deſenſuros, & ſi quæ ulterius habemus ſuper doctrina quæ Catecheſi & Confeſſione Eccleſiarum harum comprehenditur, de quibus dubitemus, ea eorùm-*  
*que**

*que rationes scripto consignaturos.* Præses, hoc audito responso, Remonstrantes exire jussit. Iterum ingressis respondit, privatim ipsis de Synodojudicium permitti, nec eorum conscientias constringi; verum non concedi, ut publicum de Synodo judicium ferant consentaneum cum Protestatione, quâ Synodum adversam partem & schismatis ream declararant. Jussit porro eos postridie, circa horam decimam, Scripto sententiam suam de primo articulo exhibere, idque eo modo, ut suam solummodò sententiam proponerent, non verò contrariam quoque rejicerent. Ad primum ait Episcopus, *ipso ut loquebantur sentire, ac ut sentiebant loqui.* Ad secundum verò, *non aliam ipsis fuisse mentem, quàm ut legitimâ collatione inter partes in veritatem inquireretur; se se etiam non aliter intellexisse Citatorias Litteras, quibus permittebatur, ut suam sententiam proponerent, explicarent, ac defenderent, quantum possent, necessariûmque judicarent; nullo modo verò esse monitos, Scripto eam exhibendam esse.* De hac re variis inter Episcopium & Martinium Gregorii, virum Ordinis Senatorii, ultrò citroque habitis sermonibus, Remonstrantes tandem sententiam suam de primo articulo postridie tradituros polliciti sunt, adeoque finita ea Synodi Sessio.

Postridie decimo tertio Decembris, simul ac ingressi essent Remonstrantes, rogavit eos Præses, suamne sententiam de primo articulo scripto consignatam haberent? Respondit Episcopus, *parati sumus, juxta ea quæ hesternò die dicta fuere, sententiam nostram de primo articulo prælegere.* Quæ prælecta & à cunctis subscripta Præsidi tradita est. Cui tamen hoc satis non fuit, verum voluit, quoniam nominatim unusquisque citatus erat, ut pro se quisque etiam singulatim

13. Dec.  
Remonstrantes  
sententiam  
suam exhibent  
de primo articulo.

responderet, hæccine ejus esset sententia? Interrogati ergo ab illo omnes, singuli eam suam esse dixerunt. Decimo quarto Decembris ante meridiem, Remonstrantes Synodum iterum ingressos monuit Præses, ut sententiam suam de reliquis quatuor articulis in sequentem diem Synodo tradendam pararent. Adjecit insuper & hæc: Primò, suam proponerent, non verò aliorum, quam rejiciebant; Citatos eos esse, ut suam ipsorum doctrinam proponerent, tuerenturque; id in omnibus observari Confessionibus, in quibus solummodo quæ credimus, non autem quæ non credimus, poni mos est. Secundò, de materia Electionis agerent, quæ suavis plenaque solatii est, non verò de odiosa Reprobationis doctrina. Vos, inquit, quavis occasione ad Dogma Reprobationis deflectitis. Episcopus Remonstrantium nomine breviter respondit, paratos ipsos esse sententiam suam de quatuor reliquis articulis proponere, verum se se justum ad id petere spatium; quod in proximum diem Lunæ decimum septimum, nempe, Decembris concessum illis est.

Verantur  
loqui de  
Repro-  
batione.

Statutâ die, Remonstrantes sententiam de reliquis quatuor articulis tradiderunt, eique subjunxerunt Scriptum, quo varias reddunt rationes, quapropter non tantum suam sententiam, verum & contrariam, quam refellebant, proposuerint, ac in primis non solum de Electione, verum etiam de Reprobatione loquerentur. Inter eas rationes hæc erat: *Difficultates quæ Remonstrantes, eorumque Ecclesias angerent, præcipuè è Reprobatione esse ortas.* Hoc lecto Scripto, monuit Præses, ut illico, si fieri posset, eadem hæc Sessione, suas considerationes ad Catechesin Confessionemque traderent, vel saltem sequente die. Judicarunt Remonstrantes, agendum prius esse de quinque articulis, dixeruntque se

x7. Dec.  
Senten-  
tiam  
suam de  
quatuor  
reliquis  
articulis  
exhi-  
bent.

Ipsorum  
conside-  
rationes  
in Cate-  
chesin &  
Confes-  
sionem  
poscun-  
tur.

haud

haud alio sensu Litteras Citatorias intellexisse. Hac de re ultrò citròque varii sermones habiti. Quum interim sæpiùs juberentur , ne recusarent , nec tergiversarentur , dilationem in sequentem diem ad deliberandum petierunt. Hoc negato, ut sibi in vicinum Conclave exire liceret, postularunt. Id agrè impetratum, ac intra quadrantem horæ, bis ut festinarent, moniti sunt. Cùm iterùm ingressi essent , dixit nomine Remonstrantium Episcopus, æquum fuisse ipsis plus temporis concedi ; quoniam autem tantopere festinare Synodo placeret , respondere ipsos , sese nullâ lege obstringi considerationes suas tradere, antequàm de quinque articulis actum esset; defenditque se se cùm aliis rationibus, tum Litteris Citatoriis, Decretòque Ordinum Generalium , de modo Synodi habendæ clarè & perspicuè præcipientibus, *ut primo loco de quinque articulis in controversiam vocatis agatur.* Longâ cùm hac de re inter Episcopium, & Præsidem esset contentio, Præsèsque petere quod cœperat non desisteret, dixit Episcopus, *se ea de re nondum esse colloquutos, nondum se se paratam eam habere, neque aliam sibi fuisse mentem, quàm ut priùs de quinque articulis ageretur, ac postea ad suas considerationes deveniretur.* Quum Præsès à singulis, quænam eorum considerationes essent , quæreret, quidam se se aliquas, alii paucas, alii nullas se se habere fassi sunt; si tamen vellet omninò Synodus, ut suas considerationes traderent, spatium sibi esse concedendum, ut è rudi Scripto eas meliùs exscriptas proferrent. In sequentem diem spatium illis concessum est; verùm post multos sermones, quatrimum tandem impetrarunt. Polliciti sunt se se operam navaturos, ut considerationes paratas ad id tempus haberent, sin mi-

Varii  
sermo-  
nes ideò  
habiti.

Suas  
confide-  
rationes  
in con-  
fessionem  
exhibent.

nus se se Synodum monituros. Post quattriduum Synodum iterum ingressos rogavit Præses, paratasne haberent ad Catechesin & Confessionem considerationes. Ii se habere paratas ad Confessionem ac prælegere velle responderunt. Verum cum id negaretur, petierunt, ut Præfationem earum solummodo prælegere liceret. Præses autem, cum Delegatis loquutus, id quoque abnuit. Itaque iis exhibitis, exire iussi sunt. Absentibus illis prælecta est à Dammano Scriba Præfatio considerationibus eorum præfixa, quæ exponebant, *se jam ante multos annos illas considerationes adnotasse, idque jussu Provincialium Synodorum, ac postea ad D. D. Ordines, secundum eorum mandatum misisse. Nec iis considerationibus se quidquam decidere, sed solummodo proponere quædam problematicè, ut de iis in Synodo, si visum ei*

Quidnam  
hac de re  
in Syno-  
do acci-  
derit.

*fuerit, copiosius agatur.* Considerationes verò ad Catechesin se primo quoque tempore exhibituros. Sub hæc quæsitivit Præses Synodi iudicium de ratione quæ se gerebant Remonstrantes, cum primò, non unà suas considerationes ad Catechesin tradidissent; secundò, non singuli suas seorsim, verum conjunctim omnes exhibuissent; tertio, considerationes ii etiam obtulissent, qui prius se nullas habere dixerant. Unusquisque ex ordine sententiam cum esset rogatus, nemo erat, qui non aliquid in ratione qua se gerebant Remonstrantes, reprehenderet. Alii haud magni momenti quædam postulabant; alii graviter eos contra auctoritatem Politicorum peccasse iudicabant; alii plus temporis illis concedendum esse, ad conscribendas ad Catechesin considerationes, perindeque esse aiebant, sive simul, sive seorsim suas considerationes exhiberent. Festus Hommius, ad refutandam præfationem, fusè originem considerationum illarum



rum commemoravit. Ingressis iterum Remonstrantibus dixit Præses, *valdè mirari se, quòd illi jam considerationes exhiberent, qui antea dixissent se nullas habuisse.* Responsum ei est, *ipsum non suas exhibuisse, sed solummodò subscriptione suâ testatos, se lectis hisce considerationibus judicasse dignas eas esse, quæ à Synodo attentius perpendere-  
tur.* Rogavit porro, cur considerationes ad Catechesin non unà exhibuissent? Respondit Episcopus, *quia temporis statuti angustia id non permiserant.* Quæsit & Præses, quare non singuli suas tradidissent? Episcopus, *se mirari, inquit, cur singillatim eà exigantur, cum non sententiæ decretæ sint, sed quædam tantum consideratione digna.* Petiit iterum eadême esse, quas ante aliquot annos exhibuissent? Episcopus ait, *se nullas considerationes alias exhibuisse, tum enim se se Ecclesiastico munere nondum fuisse functum.* Alii, *eisdem, sed adjectas esse quasdam* dixerunt. Prælectum sub hæc Delegatorum de illo Remonstrantium agendi modo decretum est, quo inter alia ipsis mandabatur, *ne posthac ad mandatum Ordinum, vel ad verba Litterarum Citatarum provocarent.* Ejus Decreti Apographum petentem Episcopium rogavit Senator ab Essen, *quem in finem id peteret, an ut obloqueretur?* Responsum ei est: *non solemus Magistratum nostrorum Decretis obloqui, sed Apographum petimus, quia ex unica prælectione mentem satis percipere nequimus ad id examinandum.* Ad id Senator: *à te Decreta nostra examinari nolumus.* Episcopus, *nos iis obtemperabimus, inquit, quantum salvâ conscientia poterimus.* Putasne, ait Senator, *nos facere Decreta, quæ conscientia repugnent?* Respondit Episcopus; *perpendere id nos oportet, ut sciamus, an illasâ conscientia eis parere possimus.* Tandem dixit Senator: *Dabitur vobis, ut pareatis, non ut examinatis.* Numquam tamen Remonstran-

strantibus traditum est. Denique inunctum ipsis fuit, ut in diem Jovis proximum suas considerationes ad Catechesin exhiberent.

27. Dec.  
suas  
etiam  
confide-  
rationes  
in Cate-  
chesin.

Statuto die, vigesimo septimo, nempe, Decembris, suas considerationes ad Catechesin Remonstrantes exhibuerunt, quæ prout ex Scripti facie judicare erat, satis magno numero erant. Iis traditis, surgens Scultetus dixit: *Quandoquidem hæ considerationes pertinent ad Catechesin Palatinam, nos verò in mandatis habemus à Clementissimo nostro Principe, ut, si quid hujus rei in Synodo occurrat, diligenter curaremus, ne quidquam in detrimentum Ecclesiarum Palatarum statueretur, petimus ut considerationes illæ nobis ad eas examinandas exhibeantur; nos eas refutabimus, & postea quidquid erit judicio Synodi subiciemus.* Regessit Præses: *istam rem in aliud tempus differemus, nec quidquam hac in re statuet Synodus, absque Theologis Palatinis.* Séque ad Remonstrantes convertens subjecit: *Vos aliquoties repetiistis, libertatem vobis oportere concedi, ut sententiam vestram proponatis, explicetis, defendatis, quantum potestis, & necessarium judicatis; idque ita explicuistis, quasi proponere quoque & explicare liberè possitis vestram sententiam, quantum potestis, & necessarium censeatis.* Synodus verò & D. D. Delegati

Synodus non vult concedere Remonstrantibus potestatem proponendi suam sententiam quantum ipsi necessarium judicabunt.

*ti judicarunt illam potestatem tantum ad defensionem, non autem ad propositionem & explicationem esse extendendam, neque esse vestro, sed Synodi arbitrato permittendam istam proponendi & explicandi potestatem.* Respondit Episcopus: *numquam dubitavimus, quin in hac Synodo nobis concederetur potestas sententiam nostram proponendi, explicandi, & defendendi, ac contrariam refellendi. In hunc etiam finem nuper Scripto exhibuimus rationes quindecim, quibus illud æquissimum esse demonstravimus.* *Quamdiu verò circa illas nobis non est satis-*

tis-

*tisfactum, non possumus impetrare ab animis nostris, ut aliam agendi viam ingrediamur. Rogante Præside, aliâsne haberent considerat:ones? Respondere singuli, nullas se se alias habere. Iterumque Remonstrantes monuit, ipsis haud licere contrariam refellere sententiam, verum suam ipsorum tantum proponere; nihil præterea permissuram Synodum. Regessit Episcopus: nobis certum est non aliter cum Synodo agere. Interest maximè causæ nostræ, ut ita agamus, nec conscientis nostris satisfacere possumus, nisi & contrariam sententiam refellamus. Non adeò de Electione laboramus, sed potissimâ difficultates versantur circa Reprobationis doctrinam: Deum, nempe, maximam hominum partem absoluto Decreto ad æternum exitium reprobasse, idque ad suæ justitiæ, supremæque potestatis gloriam: ideòque id à nobis refutandum est. Præses regessit: Fideles de consolatione libentiùs agere, quam doctrina Electionis suppeditat. Reposuit Corvinus: gloriæ Dei, adificationisque Ecclesiæ interest, ut de Reprobatione agamus. Idne ad Dei gloriam faciatis, inquit Præses, an verò ut in odium eam doctrinam adducatis, suo patebit tempore. Dixit alius: si disputandum cum Lutheranis nobis esset, peteremîsne nobis leges ab illis præscribi? si tamen ita Synodo videatur, filebo. Cavete, ait Præses, ne occasionem detis credendi, vos subterfugia querere. Ille, nullo modo subterfugimus, inquit, ad disceptandum parati sumus. An nemo hîc est ex Professoribus, qui nobiscum disceptare velit? Si in errore versemur, eo liberate nos. Hâc contentione finitâ, interrogavit singulos Præses, an in sententia perstarent? Qui cum unâ voce perstare respondissent, ad anteriora sua dicta iterum regressus est; parendum, nempe, esse Magistratui. Ad id responsum est: Hæc est libera Synodus, sententiam nostram liberè proponere, explicare,*

Neque  
contra-  
riam re-  
fellendi.

*ac tueri nos oportet. Adjecit & alius: primò de Re-  
probatione agendum est, quia inde malum in Eccle-  
siis est ortum. Quum ad id Præses dixisset, il-  
lum fore præposterum agendi modum, ac priùs de  
Electiõne esse loquendum, alter reposuit, suam  
fuisse sententiam, in primis ac præcipuè de Re-  
probatione esse agendum. Alii, in utrasque doctrinas  
inquiramus, inquierunt, & tum nobis satisfactum  
erit. Absumto in hisce disceptationibus aliquo  
tempore, prælectum est Remonstrantibus De-  
cretum, quo statuebatur de Reprobatione quoque  
agendum, sed quatenus judicaret Synodus. Jussit-  
que, sub pœna Ecclesiastica ac Politica, huic De-  
creto parere.*

28. Dec.  
Remon-  
strantes  
Scripto  
suam li-  
bertatem  
tuentur.

Remonstrantes, cùm Decreto ipsis prælecto  
respondere sibi non liceret, Scriptum postridie  
ad Synodum misere, in quo multis probabant  
rationibus, concedendam ipsis esse potestatem suam  
sententiam proponendi, explicandi, defendendi, ac  
contrariam refutandi, quantum ipsimet necessarium  
judicarent; nullam tam malam esse causam, quæ istâ  
ratione non posset triumphare, nullam tam bonam,  
quæ sic non succumberet, si una partium præscribe-  
ret alteri, quousque sententiam suam oppugnatam  
vellet. Id Scriptum cum ad Synodum misissent,  
ad illam acciti sunt, prælectumque ipsis est Dele-  
gatorum Edictum, quo vetabant, ne ullum Re-  
monstrantium Scriptum Decretis suis oppositum in  
Synodo posthac prælegeretur; jubebantque, ut ad  
rogata, quæ iis proponerentur, rotundè, sincerèque  
responderent. Hoc prælecto Decreto, eos statim  
interrogare cœpit Præses, an articulos Haga-  
Comitis exhibitos pro suis, ac præcipuè primum  
eti unnum agnoscerent? Regessit Episcopus, à sen-  
tentia Scripto hodie tradito comprehensa recedere ne-  
queo: cùmque inter alia diceret: aequum est  
ut potestas sententiam nostram proponendi, defen-  
den-

*dendique nobis fiat , non ut Synodo , sed ut nobismetipsis sufficere videbitur , omnes fermè in Synodo hæc verba risu exceperunt . Alii à Præsidente quoque rogati eodem modo responderunt . Nullâ tamen ratione impetrare potuerunt Remonstrantes ut Scriptum suum exhibitum prælegeretur . Cùm itaque cuncti idem omnes Præsidi responsum darent , exire jussi sunt . Mox iterum vocati , rogatique sunt , an à suo responso non discederent . Ii se discessuros negarunt . Itaque in hunc modum eos est affatus Delegatorum Præsides : Cùm in vestra persistatis contumacia , prohibent D. D. Delegati , ne quis vestrum absque speciali eorum venia hæc urbe excedat . Vigesimo nono Decembris , cùm Remonstrantes in Synodo iterum comparuissent , prælectum ipsis est Scriptum à Festo Hommio Scriba , quo respondebatur ad rationes à Remonstrantibus in Scripto suo allatas . Remonstrantes Apographum hujus Scripti , ac tempus deliberandi postularunt . Concessum eis est , ut sumto Apographo in proximum Conclave se se reciperent , ibique colloquerentur . Ingressi denuò majus deliberandi spatium petiere idque eò magis , quòd ex illo appareret Scripto Synodum ipsorum mentem haud benè percepisse , dixeruntque , sibi libertatem debitam non concedi , sed additam esse limitationem de Reprobatione ; nempe , agendum esse , quantum ad Synodi informationem necessarium esset . Præsides verò , ut verum , inquit , fatear , errorem puto esse ; antea enim scriptum erat , ad Dei gloriam , informationem , ac ædificationem Ecclesiæ . Probare tamen nitebatur , unum idemque id esse , ac unum alterius tantum esse explicationem ; ac porro dixit : vos perpetuò de ordine contenditis , ac primò de Reprobatione agere vultis . Regessit Episcopus , de ordine non contendimus , satis erit si*

vetantur  
Dordraci  
egredi.

29. Dec.  
Decretum  
Synodi  
adversus  
hoc  
Scriptum.

*modò de utroque agatur. Attamen, ait Præses, vestrum aliquis dixit, primò de Reprobatione esse agendum: at ille, qui id dixerat, respondit, verba mea illicò explicui, mentémque meam fuisse præcipuè de ea esse agendum. Quum staret Remonstrantibus sententia, prælecta exterorum judicia ipsis fuerunt; quæ ad id ferè omnia tendebant, de Reprobatione sobriè, ac de Electione primo loco esse agendum. Hisce judiciis lectis, dixit Remonstrantibus Præses, ipsos jam judicia exterorum audivisse, ipsos declarasse suam mentem non benè fuisse perceptam, quoniam non primò agi de Reprobatione, sed suo tempore & loco voluissent; ideòque non ampliùs de ea re esse controversiam, verùm illud tantùm superesse, ne plenam postularent libertatem, sed ut ea libertas Synodi arbitrarij permitteretur, quòd si eam à Synodo ex aequitate limitari sinevent, tum rem fore confectam.*

Quà ratione Synodus Remonstrantibus libertatem limitare velit.

*Episcopus negavit; de ordine esse contentionem modò concedatur libertas, inquit, de ordine non laborabitur, talémque promisit moderationem, ut questuri non essent ipsos suâ libertate fuisse abusos. Præses, si vobis ea concedatur libertas, nullum facietis finem, sed rem semper trahetis. Licèt illi se id non facturos pollicerentur, voluit tamen Præses, ut Synodi judicio permitterent, ut ea pronuntiaret, quando satis de aliqua re actum esset. Illi contrà id suæ causæ nimis noxium esse demonstrabant. Tandem post varios sermones postulavit Episcopus, ut ipsis Scripto respondere liceret, quia multa non rectè intelligi, ipsorumque mentem malè percipi animadverteret. Concedere id noluerunt. Cùm tamen Remonstrantes à petitione non desisterent, monuit Præses Politicus Ecclesiasticum Præsidentem, ut quoniam ex Delegatis quidam, primo quoque tempore, Hagam contenderent, ad deferendas que-*

que-

querelas ad Ordines Generales , de Remonstrantium pertinacia , unumquemque rogaret, vellétne Decreto parere nec ne, ac ut unusquisque, ne detinerentur, qui profecturi erant Delegati, negando aut affirmando responderet. Quum itaque rogare eos cœpisset Præses, respondit Episcopus, *se se exiguum deliberandi tempus postulare, ut suum responsum Scripto exhiberent: se se haud illimitatam velle libertatem, verumtamen talem, quâ non impediretur causam agere, prout ipse necessarium judicaret.* Omnium aliorum idem fuit responsum. Præses Politicus Remonstrantibus spatium concessit. Verùm ægrè id videbatur ferre Bogermannus; dixit enim, *Quoniam D. D. Delegatis visum ita est, ad mansuetudinem, patientiâmq; me componam; at videbitis vestram auctoritatem vos prestituisse.* Concessæ itaque ad deliberandum tres horæ sunt Remonstrantibus.

Reversi petierunt, ut responsum brevi Scripto comprehensum prælegere sibi liceret. Abnuvit Præses, sibi que id tradi voluit. Quo facto cum suis Adfessoribus id legit, exhibuitque postea Delegatis, qui id quoque legerent. Magnum interim in Synodo, plusquàm per semihorium, silentium fuit, dum legeretur. Argumentum ejus Scripti hoc erat: *Si nobis non nisi categoricè Decreto huic respondere licet, persistimus in responso hesterno. Si verò mentem nostram plenius explicare nobis permittitur, respondemus nos sententiam nostram explicaturos & defensuros primùm de Electione, deinde de Reprobatione, & contrariam Contra-Remonstrantium, & eorum quos ii pro Orthodoxis habent, in singulis articulis, refutatu-  
ros. Tum si quid desiderabitur, respondebimus ad D. Præsidis quæstiones scripto, vel, si res patiatur, vivâ voce per eos, quos maximè idoneos judicabimus; & ne in longius tempus actiones protrahantur, D. D.*  
Dele-

Oblatio  
Remonstrantium  
Scripto  
compre-  
hensa.

unà cum Sebastiano Dammano Scriba ex Ecclesiasticis. Sic clausus est annus millesimus sexcentessimus decimus octavus.

1519. 2.  
Jan.

Anno MDCXIX. secundo Januarii convenit iterùm Synodus, verùm acciti Remonstrantes non fuit. Longam habuit Orationem Præses commemoravitque, quidnam præteritis Sessio- nibus cum Remonstrantibus actum esset; item aliquot Synodi Deputatos Hagam profectos esse, ut Ordinum Generalium iudicium de Remonstrantium agendi modo audirent. Monuit porrò Synodi Membra, ut è Remonstrantium libris exciperent omnia, quæ præter quinque articulos displicerent, ac præcipuè Theses Professoris Episcopii examinarent; quas Festus Hominius ediderat, ac quas revera Episcopii esse, prout eas suis Discipulis dictaverat, pro certo habebat, affirmavitque id pro explorato habere unumquemque posse. Postea hortatus est Præses Australis Hollandiæ Fratres, ut historicam expositionem ortûs horum Ecclesiasticorum dissidiorum contexerent, ostenderentque, quinam schismatis causa essent. Deliberatum porrò quo maximè modo Academiæ Collegiæque harum Provinciarum constituerentur, ut in posterum hæc mala vitarentur. Remonstrantes audientes Deputatos Hagâ rediisse, tertio Januarii matutino tempore, horâ fermè octavâ, ad Politicos se contulerunt, iisque Scriptum obtulerunt; quo rationes comprehenderant; ob quas in conscientia gravabantur id facere, quod ipsos iubebat Synodus. Demonstravit hoc Scriptum, *casum hunc ad conscientiam pertinere*, probaruntque primò jure naturali, deinde Scripturâ, *omni æquitati repugnare, à Synodo quæ pars esset adversa, sibi præfigi lumen ad tuendam veritatem, ac oppugnandos*

Jan.  
Remonstrantes  
Politicis  
Scriptum  
exhibent.

Con-



*Contra-Remonstrantium errores. Hoc modo Contra-Remonstrantes facillè victores fore, si præscriberent quousque sententiam suam oppugnatam vellent. Dixere præterea non consistere cum fidelis Pastoris munere, ejusmodi legibus in damnum veritatis se se subjicere. Prophetas, Christum, & Apostolos nunquam hoc modo se gessisse in refutandis erroribus, ut tantùm dicerent, quantum adversarii necessarium judicarent. Nec potestatem esse Ordinibus præscribendi ipsis ejusmodi leges, quibus ipsorum conscientia Lederentur. Ipsos potius omnia passuros, quam ut causam suam hoc modo proderent. Demonstrabant hoc eodem Scripto, quoniam Præses perpetuò dictitabat ipsos de actionis modo tantùm litigare, eum modum, quem præscribebat Præses, eò spectare, ut veritas, quam pro suis partibus stare censebant, opprimeretur. Eodem autem tempore prælectum Remonstrantibus est Decretum Illust. ac Præpot. Ordinum Generalium à Deputatis Hagâ allatum, quo omnia Synodi Acta probabantur, & Remonstrantibus injungebatur, ut Synodo parerent, ni vellent Ecclesiasticâ & Politicâ pœnâ multari, tamquam spretores publicæ auctoritatis; statuebaturque ex eorum Scriptis judicandum esse, ac tandem indicabatur Remonstrantibus, ut se intra urbem Dordracum continerent, nec eâ egrederentur, absque speciali eâque Scripto comprehensa venia à Deputatis Politicis impetrata; ac quoties accerferentur, parati essent, sine ullis subterfugiis, omnibus Synodi interrogatis rotundè, ac sincerè, vivâ voce, vel Scripto, prout Delegatis videretur, respondere. Hoc lecto Decreto, rogare iterùm coepit Præses, an quinque articulos, quales in Collatione Hagienfi defensi fuerant, pro suis adhuc agnoscerent. Cùm respondere incepisset Episcopus, dixit Præses Politicus dictanda, ut conscribi possent, esse*

Ipsis in Synodo in mandatum Ordinum Generalium prælegitur.

Præses interrogat Remonstrantes.

Ipsorum  
respon-  
sum.

responsa. Hoc itaque responsum dictavit Episcopus: *Omnibus in timore Domini expensis, & adjunctis etiam seriis ad Deum precibus, non possum impetrare ab animo meo, ut aliam agendi rationem sequar, quam eam, quæ ultimo nostro responso expressa est.* Aliorum omnium idem responsum fuit, præterquam quòd quidam id aliquantò magis dilatarunt. Itaque denuò eos percunctatus est Præses, sed à primo responso non discesserunt. Quoniam autem Remonstrantes sæpiùs ad id Scriptum ante meridiem Delegatis Politicis exhibitum provocarant, prælegi id est iustum, quod à Secretario Heinsio quàm celerrimè factum fuit. Hoc lecto Scripto, Præses iterùm eos interrogare cœpit. Verùm in priori responso perstiterunt. Objicienti ipsis sæpiùs Præsidi eos subterfugia quærere, dixit Episcopus, *ut appareat nos non quærere subterfugia, inspiciatur responsum nostrum, vigesimo nono Decembris exhibitum; quo promittimus nos sententiam nostram plenè ac planè exposituros, contrariam Contra-Remonstrantium, & eorum, quos illi pro Orthodoxis habent, refutatuos. Si quid verò in explicatione ac defensione desiderabitur, pollicemur nos cunctis questionibus à Præside propositis responsuros, vel Scripto, vel vivâ voce, vel per eos, quos ad id aptissimos judicabimus. Velimus hoc nostrum responsum toti Orbi Christiano innotescere, nobisque clarè indicari, quid ei desit, & quidnam à nobis ampliùs desideretur.* Ad id Senator Martinus Gregorii inquit: *Ordines hoc ipsorum responsum vidisse, ac tamen decrevisse id quod Remonstrantibus prælectum erat. Libertatem illorum non minui: verùm permitti ipsis suam sententiam proponere, ac alienam oppugnare. Quid ampliùs concedi ipsis possit? Itaque quærenti Episcopo, nobisne igitur id permittitur, quantum ipsi necessarium judicabimus?*

Demon-  
strant  
se nulla  
quærere  
subter-  
fugia.

*mus? regeffit Senator, nullo modo; fed quantum Synodus neceffarium cenfebic; ac ea Epifcopii quæftio à cuncta fermè congregatione irrita ac contemta fuit. Præfes Bogermannus, interpellato eorum fermone, Remonftrantes, inquit, fæpiùs objecere Contra-Remonftrantibus, eos portentofa, horrenda, ac pietati noxia dogmata habere; quomodo ergo antehac iis tolerantiam obtulerunt? Niellius dixit: Contra-Remonftrantes ea pro fuis tunc non agnoviffe, verùm fimulaffe quafi ea improbarent; quòd fi tum dixiffent fe ea probare, uti nunc in fuis Scriptis faciunt, non obtuliffemus illis tolerantiam. Provocanti Præfidi ad Ordinum Decretum de pace Ecclefiæ, regeffit Epifcopius, permitti illo Decreto ut ea dogmata in Academia tractentur, non autem, ut publicè, nedum ut neceffariæ veritates ab omnibus credendæ inculcentur. Verùm quod ad Pifcatoris horrenda Dogmata attinet, apertè dicturus fum iis, qui ea tuentur: anima mea non fit in cœtu veftro.*

Post alios nonnullos sermones, egredi juffi Remonftrantes priùs Apographum Decreti Ordinum fibi prælegi popofcerunt. Negatum autem id fuit, fed dictum, fi non fatis percepiſſent, fore, ut ter quaterve prælegeretur. Egreſſi itaque funt, adeoque finis huic Seſſioni fuit. Dies aliquot elapfi funt, antequàm denuò ad Synodum Remonftrantes fuerint vocati. Quoniam verò quidam è Synodo Deputati Hagæ fuerant, ut de illis quererentur (uti dictum eſt) Epifto lam ad Illuſt. ac Præp. Ordines Generales miſerunt, quâ demonſtrabant, quomodo ad Synodum vocati eſſent, quâ ratione ſecum egiſſet Synodus; quomodo ipſi ſe geſſiſſent; quodnam inter ipſos Synodumque de libertate defendendæ ſuæ ſententiæ diffidium eſſet; oſtendebântque porrò, quanti eam liber-

tatem , quam petebant , concedi sibi inter-  
esset.

11 Jan.  
iterum  
Scripto  
oblitio-  
nem  
Synodo  
exhi-  
bent.

Undecimo Januarii , Remonstrantes ad Synodum denuo acciti sunt. Præses postquam commemorasset , quænam præcedentibus Sessionibus acta essent , iterum illos eodem modo , quo antè interrogare cœpit. Episcopus è Scripto responsum prælegit , *sperasse ipsos aliquam conscientiarum suarum rationem habitum iri , atque ad rationes , quibus probassent negotium conscientiaæ agi , responsum se accepturos. Remonstrantes non posse bonâ conscientiaæ admittere , ut Synodus , cujus sententiam oppugnare debebant , præscriberet ipsis modum & limites eam impugnandi. Concessâ sibi potestate sententiam suam explicandi , prout ipsi necessarium arbitrarentur , responsuros ipsos ad omnes quæ proponerentur quæstiones , si vel sexcenta , vel millena essent ; se non quarere subterfugia , sed propterea petere illam potestatem , ut liberè , rotundè ac perspicuè sententiam proferre ac explicare possent.* Præses , accepto eo Scripto , dixit , *Synodum summâ comitate ac moderatione cum iis egisse , eamque eis potestatem , quæ Citatis debetur , concedere. Quæsitum tum Episcopus : daturne ergo nobis libertas explicandi & defendendi sententiam nostram , primum de Electione , inde de Reprobatione , & contrariam Contra-Remonstrantium , & eorum , quos illi pro Orthodoxis habent , refutandi ? Si hoc conceditur , parati sumus ad rem venire.* Ad id ait Præses : *Sapius jam hæc crambe est recocta. Responsum vestrum vigesimi noni Decembris lectum est , nec placuit ; dixi sapius , idque iterum dico , vos libertatem illimitatam petere , non tantum sententiam vestram proponendi , sed & alienam exagitandi.* Remonstrantes , cum omnes simul dixissent , eam suam mentem non esse , castigavit Præses , quasi nescirent , quomodo in ejusmodi Congre-

Quid hæc  
de re  
porro  
acciderit.

gatione gerere se se deberent, & quasi tumultuatum loquerentur; dixit porrò: *Promittitur vobis, dabiturque etiam potestas, non solum vestram sententiam defendendi, verùm etiam alienam oppugnandi, si quos in hoc Belgio proferre possitis Doctores, qui blasphemias, vel gloriae Dei noxias tuentur sententias.* Si ex animo, inquit Episcopus, hoc nobis promittatur, cur ista proponuntur quaestiones, quibus nos limitari volunt, ne amplius respondeamus, quàm ad ea, quae nos interrogabunt ii, qui non ita desipiunt, ut à nobis quaerant, quae in ipsorum rem non sint. Praeses, se se animadvertere quidem, ait, Remonstrantes idèò respondere nolle, quia hac ratione sese in sua Protestatione perstituros putabant, nec Synodum, nisi pro parte adversa, agnoscerent. Regessit Episcopus: hoc sibi in Synodo proferre non licere, sed tamen ipsos in animis suis ita sentire. Interfatus Senator Honerudus, qui non ita pridem Hagâ venerat, actum primâ vice in Synodo adeoque Actorum Synodaliùm ignarus erat, dixit: *Hac res sapiùs jam pertractata est, omniâque intellecta satis, sit tergiversationi finis; eadem semper repetere ac tergiversari est fugientium; ad rem accedite; promittimus vobis potestatem loquendi vobis aequam fore, id vobis quoque pollicitus est Praeses, hoc admittite; quare petimus à vobis, ut ad rem accedatis.* Praetor Dordracenus, Muysius ab Holy, quid, inquit, petimus? dicas imperamus, jubemus. Mutato itaque leni suo verbo, dixit Senator, *imperamus; ursitque eos, ut ad Collationem se se accingerent, quoniam ipsis satis libertatis daretur.* Episcopus respondit, *nihil magis se optare, quàm ut Collatio institueretur, verùm Synodum eam refugere, idèòque libertatem necessariam ipsis non concedere.* Judicabat Senator, eos non petirà eâ potestate uti debere, satis enim illis libertatis concessum

*sum iri. At postularunt Remonstrantes, quoniam aliud Illust. Ordinum decretum esset, ut certa ejus rei fides sibi fieret. Haud iniquum id esse putabat Senator; sed Bogermannus, interpellato eorum sermone, certis limitibus circumscriptam aiebat debere esse Remonstrantium libertatem, prout Synodo videretur, justumque esset; idque urfit, ut ad quæstiones responderent. Dixerunt illi: Respondebimus ad interrogata: sed liceat nobis sententiam nostram explicare. Præses nostram explicationem ad suas quæstiones adstringere vult: cum explicaverimus nostram sententiam, inutilia fortè erunt interrogata. Ad id iterum Præses: Totum, inquit, eò redit dissidium, ut quid primò faciendum sit, vos primò sententiam vestram explicare vultis, Synodus verò contrà judicat, respondendum vobis ad interrogata priùs esse. E Remonstrantibus quidam dixere tum: cur non inhaeretur ordini in Litteris Citatoriis præscripto, ut sententiam nostram explicemus, prout jam nuper proposuimus? Fortè nostrà explicatione prævertemus omnia interrogata. At Episcopus, ut finem disceptationi imponeret: De ordine, inquit, contendere nolumus, si concedatur libertas, quam petimus, dentur nobis interrogata, respondebimus: ac ut appareat, de ordine nos non ita laborare, responsum ad propositas quæstiones explicationi nostræ inseremus, vel saltem adjiciemus, vel primo quoque tempore, parata cum sit de primo articulo explicatione nostra, utrumque simul trademus. Hæc dicens manum Præsidi porrexit. Tum verò totus Conventus in eos conversus rem confectam esse credebat, quidam etiam surgentes Præsidi innuebant, ut quæstiones Remonstrantibus traderet. At ille, morisne est, inquit, ut Citatis quæstiones Scripto consignatæ tradantur? Remonstrantes contrà æquum id esse, præsertim in re tanti momenti*

menti putabant; ac quoniam Synodus spatium habuisset ad eas quaestiones componendas, iniquum esse, si illicò iis respondere cogentur. Senator Martinus Gregorii, nimium temporis ipsos perdituros, inquit; Episcopus verò, praescribatur, ait, justum aliquod nobis spatium, ad id nos componemus, paratòsque fore speramus. Praeses Bogermannus reposuit: eos nimis multa postulare, caritatis esse nihil mali suspicari; debere ipsos benè de Synodo sperare, si fortè angustius limitari antea videbantur, jam clarè se loqui, satis intelligi suam mentem, contentos eos esse oportere. Regessit Episcopus, caritatem, quaecumque ipsos juberet, postulare etiam à Praeside & Synodo; se quoque nullius mali suspectos esse debere, denique caritatem non tam cacam esse oportere, ut prudentiae serpentum propterea oblivisceretur. Finità hâc contentione, cum Remonstrantes à Praeside singillatim interrogati, idem cuncti respondissent, egredi jussi sunt. Iis egressis dixit Praeses: Magis magisque jam apparere in hoc negotio procedi ulterius non posse, nisi abesse juberentur Remonstrantes; satis etiam perspicuum esse eos Anti-Synodum conficere, pertinaciâque continuam eorum esse manifestam, praestare ergo è Scriptis suis eos judicari; idque eò magis, quòd sapius declarassent, se se è suis Scriptis judicari nolle; sed semetipsos suam sententiam proponere, explicare, ac tueri velle, prout visum erit; id autem Synodo longum allaturum esse laborem, nec cum indictione Synodi consentire, in eum finem facta, ut de quinque articulis judicium ab ea ferretur, non autem ut in uniuscujusque privatas sententias inquireretur. Animadverterunt plurimi hâc Praesidis dicta antecedentibus ejus actionibus planè repugnare; tunc enim dixerat Remonstrantibus non licere, cunctorum nomine causam suam defendere, ipsos singillatim citatos fuisse, idèòque eos non de-

Propositum  
Praesidis  
ad ejus  
ciendos  
Synodo  
Remonstrantes.

debere colloqui ac deliberare. Nunc verò planè aliter loquebatur. Hæc cum latius persequutus esset Præses, rogavit Delegatorum judicium, qui rem in horam quintam pomeridianam distulerunt. Congregatâ iterum Synodo, Delegati antequàm suum pronuntiarent judicium, Synodi judicium legi jusserunt. Prælecta itaque sunt Exterorum judicia, quæ omnia Scripto exhibita statuebant Remonstrantium postulationem concedendam esse, tradendâsque iis quæstiones. Professores autem ac Theologi Provinciales *inquirendum esse sentiebant in quinque articulos, è Scriptis Remonstrantium.* Revocatis tum Remonstrantibus, prælegit Secretarius Heinsius Decretum D. D. Delegatorum jam Scripto consignatum, antequàm Synodum ingressi essent; quo statuebant *ex Scriptis Remonstrantium de eorum sententia esse judicandum*, imperabantque simul Remonstrantibus, ut quæ fortè adhuc Scripta haberent, ea die Lunæ traderent, responderentque, an Synodi judicio parère velent. Apographum petenti Episcopio negatum fuit, sed Decretum semel adhuc prælectum. Sub hæc Politicorum Præses dixit: *Quoniam dixerunt se Scriptum habere paratum, quo contineatur sententiæ ipsorum explicatio, censemus id die crastino Synodo quoque esse exhibendum.* Episcopus, *Scriptum, inquit, nondum paratum est, sed propediem paratum erit, hæc fuit mea mens.* Præses verò Bogermannus, *dictum est, inquit, paratum esse, Episcopiumque in manibus habuisse.* Regessit Episcopus, *malè ipsius verba fuisse intellecta, neque se se id Scriptum habuisse, verùm Apographum Scripti ejus, quod exhiberent; compositum quidem esse, at nondum relectum approbatumve, nedum nitidè descriptum.* Propterea Episcopium secundi mendacii criminis insimulantur,

Episco-  
pius  
secundi  
mendacii  
insimu-  
latur.



runt, ac si, quod ante meridiem dixerat, tunc negaret.

Duodecimo Januarii, ad D. D. Delegatos 12. Jan. quid inter Delegatos & Remonstrantes actum sit. acciti sunt Remonstrantes. Dia illic sermones ultrò citròque habiti de libertate quam postulabant, ac quousque Magistratibus parère deberent. Jam aliquo tempore colloquendo assumpto, petierunt Remonstrantes, ut exire sibi liceret. Hoc concessum eis est. Iterùm ingressi Scriptum exhibuerunt, quo conditionibus suis Scripto vigesimi noni Decembris oblatis declarationem adjiciebant, *paratos ipsos esse ad interrogationes à Præside jam propositas, & porrò de singulis quinque articulorum, proponendas planè ac plenè Scripto respondere, responsionesque suas cum ipsorum explicatione in singulis articulis, prout illi à se propositi ac traditi fuerant, intra justum tempus Synodo exhibere.* Responsum id tulit Secretarius Heinsius ad Præsidem Rogermannum, ac posteaquàm aliquoties ultrò citròque commeasset, iterùm vocatis Remonstrantibus Scriptum aliud exhibitum est, quo nullâ factâ mentione conditionum vigesimo nono Decembris ab iis oblatarum, postulabatur, ut promitterent, *se ad interrogationes à Præside propositas, vel proponendas planè & plenè Scripto vel vivâ voce, prout res & occasio exigeret, responsuros, casque responsiones simul cum explicatione suâ sententiæ, intra justum tempus Synodo exhibituros.* Gravati fuere primò Remonstrantes ei Scripto subscribere, attamen ut quæcumque possent concederent, hanc adjecerunt conclusionem: *Ut appareat nos de ordine non contendere, subscribimus precedenti formula, eâ lege, ut ne nobis denegentur reliquæ conditiones, responsione, quam vigesimo nono Decembris exhibuimus, expressæ.* Verùm ratio hujus nulla habita est.

14. Jan.  
Synodus  
ejicien-  
dos de-  
cernit  
Remon-  
strantes.

Decimo quarto Januarii, Delegati hæc Acta Synodo exposuerunt, volueruntque, ut tandem judicaret Synodus, annon Remonstrantibus per omnia plenè satisfactum esset, & an non etiam statim intrò vocandi essent; ac, si in pristina persisterent pertinacia, inquirendum ex solis Scriptis in illorum doctrinam esset. Dixit quoque Præses: *Faciunt hîc Remonstrantes mentionem conditionum exhibitarum Scripto vigesimi noni Decembris; præcipua autem earum est, quòd Synodum pro parte habeant adversa. Ideòque quantum alterâ manu remittere videntur, tantum alterâ retinent.* Hisce dictis, suffragia rogavit. Exterorum hæc erant, *se liberali Remonstrantium oblatione undecimo hujus mensis eò adductos fuisse, ut aliquid meliùs de ipsis speraverint; nunc autem se se deceptos videntes, Decreto D. D. Delegatorum undecimi Januarii adsensum præbere.* Scultetus, dum sententiam diceret, acerbè in eos invehit, inquit inter alia, *eos nihil præter mendacia, dolos, subterfugia, seditiones, ac contemptum, tam legitimorum Magistratum, quàm Synodi, prodidisse.* Dixit quidam, *eos mendaciis incepisse, ac in mendacia desinere.* Alius, *omnes ambiguitatum artes tam benè ac meliùs nosse, ac si diu in Jesuitarum scholis studuissent.* Cùm Exteri judicia sua pronunciaissent, monuerunt Præsidem Delegati, ut suffragia rogare desineret, ac Remonstrantes intrò vocaret. Ingressos rogavit Præses: *Vellentne simpliciter, ac sine ullis conditionibus, Delegatorum ac Synodi Decreto parère.* Episcopus cunctorum nomine respondit, *ipso paratum habere responsum Scripto consignatum,* petiitque, ut sibi id legere liceret. At voluit Præses eos negatione, aut affirmatione respondere: ii verò *ejusmodi responsum Scripto suo contineri aiebant.* Hîc longa orta est contentio. *Mirari sese, inquietabant*

bant Remonstrantes, *rem tantillam in libera Synodo impetrari non posse.* Acceptum tandem fuit. Expositio erat ipsorum sententiæ de primo articulo, cui præfixa erat præfatio, quâ demonstribant, *se se Synodi Decreto parère non posse, ideòque in præcedenti suo responso persistere.* Cum Præses rogasset singulos Remonstrantes, an in eo responso persistèrent? Iique affirmassent, cunctos ei subscribere iussit. Dicentibus ei jam subscriptum esse, regessit se se velle, ut separatim præfationi subscriberent. Ad id se paratos inquiringes petierunt, ut sibi penna & atramentum ad subscribendum traderentur. Præses autem surgere eos ac suam ad mensam subscribere voluit. Tum Episcopus, *quanam,* inquit, *est hæc servitus?* Surrexitque, ac ad Præsidis mensam subscripsit. Hoc facto, reliquis Remonstrantibus, ut ad suam mensam subscriberent, traditum est. Peractâ subscriptione, Præses breviter commemoravit ea quæ cum Remonstrantibus in Synodo hucusque acta fuerant; qua in narratione magis magisque efferbuit, ut tandem in hunc modum in illos inductus fuerit: Synodus, ut aiebat, *maximâ mansuetudine, comitate, tolerantia, ac patientia, rotundè, sincerè ac simpliciter, cum ipsis eò usque egerat: ipsi verò huic mansuetudini Synodi nihil aliud quàm artes, fraudes & mendacia opposuerant.* Dixerant ultimo suo Scripto, *se se eo, quo inceperant modo, pergere velle, sed mendaciis inceperunt, & in mendacia desierunt.* Inchoaverat Episcopus actionem mendacio, eamque mendacio finierat: prout enim initio dixerat falsò, *se se nullum aliud orationis suæ habere Apographum, sic & ultimo conventu se dixisse negaverat, paratos ipsos esse expositionem primi tradere articuli, cum tamen clarè id dixisset, Scriptumque porrecto ostendisset brachio.* Deum,

qui

qui Ecclesiæ suæ defensor custòsque est, nosse ac videte artes, dolòsque, quibus Synodum decipere iuduerant: scire etiam Synodi sinceritatem ac candorem, cujus rationem habiturus esset, at contra Remonstrantium nequitias vindicaturum, quoniam eorum actiones, artibus, dolis, fraudibus, ludibriisque refertæ essent. Ut itaque Veneranda Synodus, juxta mandatum & animum Ordinum Generalium, tranquillè ac pacificè progredieretur, in examinanda ac judicanda doctrina, quod huc usque iis presentibus fieri non potuerat, ipsos jam dimitti atque exire juberi; cum eo elogio ac testimonio, quod cum mendacio inceperant, in mendacia desinerent. Interim si opus esset eorum presentiam, iterum Synodum certiores eos facturum. Judicasse quoque Synodum indicandum iis esse, quoniam pertinacia eorum ac contumaciæ summa, ac multiplex esset, Synodum toto Christiano orbi eam patefacturam; scirent quoque non defutura Synodo spiritualia arma, quibus eam pertinaciam contumaciámque puniret suo tempore ac comperceret; & hanc suam censuram jure factam ostensuram ac defensuram. Simul eos contumeliosè admodum exire jussit, indignabundè dicens: *Dimitimini, exite. Remonstrantes, auditâ hâc dimissione, nullo modo commoti sunt.* Episcopus cunctorum nomine nihil aliud regeffit, quàm, ipsos ea omnia cum suo Servatore silentio prætermisso; Deimque inter ipsos, Synodumque de artibus, fraudibus, mendaciisque judicaturum. Simulque omnes surrexerunt, & alii aliud, dum egredierentur, dixere. Nicellius se se provocare, ait, ab iniquitate hujus Synodi ad tribunal Jesu Christi. Naranus, vocare ipsos ad thronum Dei, ubi judicandi starent, qui hîc sedebant Judices. Dixit Hollingerus iis, qui in egrediendo ei præibant: *exite è catu malignantium* Jam fermè egressos revocarunt Delegati, iterum-

Præses Remonstrantes dimittit.

Citatorum responsum ad dimissionem Præsidis.

rumque prohibuerunt, ne quis ipsorum absque speciali D.D. Delegatorum venia, urbe exiret. Subita hæc ac violenta Remonstrantium dimissio à Præfide facta multis Exterorum displicuit, qui censabant, *secum iniquius agi, quoniam cum toti Synodo propositum fuisset, ut iudicium suum de ratione quâ se gesserant Remonstrantes, interponeret; Provinciales ne semel quidem sententiam rogati erant; qua ratione tota illius negotii invidia in Exteros devolvebatur; cum tamen contrà, quando similis quæstio aliquot diebus antè proposita fuerat, & Exteri in favorem Remonstrantium judicaverant, Provinciales acriter in ipsos essent invecti, duriusque, contrà quàm Exteri sentiebant, iudicium proferri curassent; ita ut non multum curarentur Exterorum iudicia, nisi quando ita sentirent, ut visum erat Provincialibus.* Gualterus Balcanquallus, à Scotticis Ecclesiis ad Synodum missus, vividè hæc querelas in Epistola ad Legatum Carletonum exprimit. Quod ad Remonstrantium dimissionem, spero me sine offensione tua dicturum, eam ejus fuisse notæ, ut inde multa sine dubio in Synodum redundaverit contumelia. Die Veneris, cum remittere viderentur, Exteri Theologi audiri non poterant, contendentes, ut in Synodo retinerentur. Nec negari potest technam in eos structam nimis manifestam fuisse ac palpabilem; nam Delegati Decretum de dimittendis Remonstrantibus jam penes se scriptum habebant, antequàm in Synodum ingrederentur, & nihilominus sententiam nostram rogabant, sperantes fore, ut ea cum suo Decreto, consentiret: at cum hoc secus eveniret, sine ulla hæsitacione vel ulteriore deliberacione, ita ut ne capita quidem vix committerent, promulgabant Decretum, quod jam antè scriptum secum in Synodum attulerant. Die Lunæ, ultimis Actis de Remonstrantium incredibili pertinacia prælectis, Exteri Theologi de eorum dimissione sus-

Judicium a  
Exterorum de  
hac dimissione.  
Joannis Halei  
epistolæ  
1619 16.  
Januarii

13. Jan.  
23.

*suffragia tulerunt; nemo, nisi unicus Steinius, acerbam ferebat sententiam. Ubi illorum tantum suffragia, qui ne tertiam quidem Synodi partem faciebant, essent rogata, intrò vocati sunt, ac dimissi Oratione tam furibundâ, ut nullus dubitem, quin Excellentia Tua eam non mediocri animi cum dolore intellexerit: me quod attinet, palàm fateor, me summo affligi, quoties eam ad animum revoco. Nam si Remonstrantes Scriptis suis evulgarent, sententiam quam Præses pronuntiavit, non fuisse Synodi, non mentirentur. Tam Juris Civilis Consulti, quàm Canonista, qui multum circa formalia in Concilio Tridentino prætermissa scripserunt, minoris momenti exceptiones urgent, quàm hæc fuit: nam nec tertia suffragiorum pars fuit rogata, ex quibus sententia ferri nequit, nec sententia Scripto erat comprehensa, & à Synodo approbata, & amarulenta loquutiones in sententia expressæ nullius suffragantium verba fuere, si paucula quædam excipias ab unico tantum homine prolata. Excell. Tux censura in istam sententiam justa est laude digna. Cùm postridie in Synodo præcedentis diei Acta prælegerentur, ventumque esset ad actum dimissionis Remonstrantium, dixit Ludovicus Crocius, Bremensis, se animadvertisse Præsidentem in eo negotio fuisse paulò commotiorem, & excidisse illi verba quædam acerba, quibus præstitisset abstinuisse: & in tanta re, quanta illa fuerat, majore consilio & circumspèctione opus fuisse. Oportuisse Synodum primùm ea de re consultasse, & dimissionis formam ab omnibus approbatam concepisse, nomine totius Synodi pronunciandam, atque inter Acta referendam; cùm nunc tota Synodus rea habeatur omnis ejusmodi non necessariæ acerbitalis tunc temporis adhibitæ. Multò melius, inquit, cum decoro Synodi convenisset, si pacatiore multò, & ab omni affectu remotiore viâ processum fuisset. Purgavit se Præses, quòd dimississet*

J. Halefii  
epistola  
1619. 16.  
Jan.

*fisset Remonstrantes non antè conceptâ à Synodo formulâ, Politicorum mandato, qui cum absque mora eò procedere jufferant. Commisus hic error erat, nec corrigi poterat. Id, in sua Epistola ad Anglum Legatum Carletonum, indicat Joannes Halesius. Errores publicorum actuum, si modum omnem non excedunt, minori cum incommodo ferri, quam emendari possunt. Periculum enim mutationis, vel auctoritati malam gratiam conciliandi eamque pessumdandi, fecit ut hujusmodi actuum fors nullum admittat regressum; sed cum semel seu benè, seu malè processum est, oportet, ut in posterum ii defendantur. Unusquisque, quamvis maximè partibus addictus, Synodaliur nostrorum actuum spectator cogitur fateri, in proxima Remonstrantium dimissione tanta cum bile & fervore facta, magnum esse errorem commissum; siue spectes commune nostrum Christianum officium, quod nihil nisi justum postulat & æquum; siue populi hujus indolem, qui ob diuturnam libertatem ad seditionem facile impelli potest, nec imperiosè tractari adsuetus est; qua in re Clericos maximè præcellere oporteret. Quapropter Synodus, cui jam integrum non est respicere, vel revocare gradum, & errata corrigere, cogitur nunc persequi transacta, eventum Deo committere, & quod consultissimum fieri potest, ad conservandum decus actionum suarum, adferre. Id probè se intellexisse Legatus Regis Angliæ Carletonus indicat, in Epistola ad Archiepiscopum Cantuariensem. Non est necesse, inquit, ut G. T. perscribam, quid agatur in Synodo. Intelliges Remonstrantes ob eorum contumaciam, ab omni disceptatione rejectos, & eorum Dogmata ex libris editis colligi. Rem ipsam probarunt Ordines: at modum, quo eos dimisit Præses Bogermannus, crudum & inhumanum, quamquam hætenus consecutus fuerat famam modestiæ ac moderationis, omnes improbant.*

Epistola

12.  
1.22.

Januar.!

1619.

1619.

24. Jan.

O

Quamvis

*Quamvis illi digni essent hac contumelia, locus tamen & causa Conventûs alium agendi modum postulabant, qui eundem effectum poterat habere, & minùs fuisset obnoxius reprehensioni. At non est ea res nunc in integro, nec sine maximo incommodo restitui potest. Pergendum ipsis porrò est, & quàm optimè poterit adornanda causa, ac eventus Deo commendandus. Ad benè itaque causam adornandam, Adessor Faukelius & Scriba Festus Hommius, unà cum quibusdam è D. Politicis, Hagam missi sunt, ut Ordinibus Generalibus acta exponerent, corùmque consensum postularent. Remonstrantes, hoc comperto, breve Scriptum D. Politicis obtulerunt, quo petiere, ut sibi quosdam è suis Hagam mittere liceret, ad rationem suarum actionum Ordinibus Generalibus reddendam. Verùm de die in diem dilatum illud est, donec Deputati Hagã redie-*

Delegati  
Hagam  
petunt.

Remon-  
strantes-  
Scriptum  
Synodo  
mittunt  
ad re-  
sponden-  
dum di-  
misioni  
Præsidis.

re. Concinnarunt interim Remonstrantes responsum ad crudam dimissionem Præsidis Bogermanni, ac vigesimo primo Januarii ad Synodum miserunt; cujus inscriptio non erat ad Præsidem directâ, verùm ad Doctores, Professores, ac Pastores in Nationali Synodo congregatos, ut id in Synodo saltem aperiretur, prælegereturque: intellexerunt autem postea Præsidem quidem nonnullis ostendisse, at nunquam in Synodo prælegisse. Rationes reddunt hoc Scripto, ob quas ad furibandum eum Præsidis sermonem nihil reposuissent: commemorant deinde omnia Synodalia acta, demonstrantque quàm iniquè & severè secum egerit Synodus; tuentur quoque omnes suas actiones, atque in primis Episcopium, qui initio injustè, ac postremò iterùm mendacii criminis insimulatus erat; sub hæc varias iniquas Synodi actiones exponunt, quibus hæc ultima dimissio planè



nè fuerat similis. Claudunt tandem hoc Scriptum, seriâ alloquutione ad Synodum; eam, nempe, aliquando rationem suæ sententiæ Deo reddituram esse; hortantur Exteros, ut paci Ecclesiæ studeant, ad quam adipiscendam sanguinaria illa quorundam de occidendis Hæreticis sententia ex Ecclesiis eradicanda est; petuntque, ut hæc omnia seriò expendant, atque ad animum revocent. Scriptum hoc à celeberrimo Viro Casparo Barlæo compositum erat, qui tunc temporis Dordraci cum Remonstrantibus fuit, ut iis in componendis Scriptis auxilio esset. Paullò post missum id Scriptum, Remonstrantes in Consellum D.D. Delegatorum acciti sunt: & prælectum iis illic est Illust. Ordinum Generalium Decretum, quo omnia Synodi acta adversus Remonstrantes, imò & hæc ultima ejectio approbatur, Citatiq; Remonstrantes jubebantur, *Synodo exclusi in posterum manere, & in urbe Dordracena se se continere, donec à Politicis, vel ab ipsa Synodo aliter esset mandatum.* Petierunt tum Remonstrantes, ut aliquot è suis Hagam, ad rationem Ordinibus suorum actuum reddendam, mittere liceret: quod ubi negatum esset, duo Scripta, unum ad Ordines Generales, alterum ad Principem Auriacum composuere: quibus commemorant, quæ in Synodo acta essent, suumque agendi modum defendunt. Haggæ-Comitis hæc Scripta sunt exhibita, verum nullum unquam neque bonignum, neque minus favens responsum acceperunt. Vigesimo tertio Januarii, Politici ad se iterum accitos Remonstrantes jusserunt ea, quæ in defensionem sententiæ suæ de quinque articulis proferre adhuc vellent, Scripto comprehendere, ac intra quatuordecim dies Politicorum Præsidi exhibere. Demonstrarunt Remonstrantes nimis ar-

Decretum Ordinum Generalium Remonstrantibus prælectum.

Etum id esse spatium, ad Scripta sua componenda; at cùm longius tamen impetrare non possent, se se operam ei rei navaturos polliciti sunt.

Clandestini  
Synodi  
conventus.

Habiti interea sunt aliquot Synodi conventus, ad quos admittebatur nemo: ac paucis diebus post, Sessionibus vespertinis, cùm à Provincialibus Professoribus, tum ab Exteris Theologis, habitæ sunt coram Auditoribus Orationes quædam, quibus Remonstrantium refellebatur sententia; omnes autem res alicujus momenti occlusis peragebantur januis, adeò ut Joannes

Epistola  
Halesii  
1619.7.  
Februar.

Halesius festivè ad Angliæ scribat Legatum, *Synodum similem horologio esse, cujus præcipuæ rotæ, in quibus cardo rerum vertitur, minimè palam oculis expositæ sunt: præcipui etenim momenti res in privatis aguntur Sessionibus, quæ publicè ostentantur, dicis solùm causâ fiunt, & ne videamur nihil agere.* Joanni Bergio Francofurti ad Oderam Professori, qui cum Collega Christophoro Pelargo ab Electore Brandeburgico Dordracum missus erat, ut Synodo adesset, quorum tamen neuter, ob alia incidentia negotia, in Synodo fuit, tam parum hæ Synodi actiones placuerunt, ut ad Martinum Fusselium Aulæ Electoris Brandeburgici Concionatorem in hunc

Joannis  
Bergii  
judicium  
de Actis  
Synodi.  
1619.23.  
Febr.

*modum scribat: Synodo Hollandicâ me abesse gaudeo, adeò nihil illic, quod tanto molimine ac sumptibus dignum fuerit, gestum video. Perscripsit enim fermè singula D. Agricola. Quinimò pro certo habeo, non modò nullum inde fructum, sed majoris mali incendium excitatum iri. Quod etsi nunc fortè adversariorum potentiâ paullisper oppressum sub favilla delitescit, erumpiet tamen haud multò post majori impetu. Ac certè diffiteri non possumus iniquius paullò cum Remonstrantibus actum. Et quis illis vitio vertat, quòd Bogermannos, Gomaros, Sibrandos, quos præcipuos & acerrimos adversarios*

*sem-*

*-semper habuerunt , Praesides ac Judices agnoscere noluerunt , cum idipsum nos in Pontificibus & Cardinalibus non feramus ? Quid autem magis ridiculum, quam illis exisse jussis, postea hosce Judices totos dies in illos declamare, & eorum argumenta fortiter refellere ? Mihi quidem hoc tanti non videtur, ut propterea mediâ hyeme serum iter suscepisse cupiam; sed hoc illi viderint. Ego ad nundinas autumnales proximas exspecto Pontificiorum satiras, & Remonstrantium Protestationes, Synodique refutationes. Deus misereatur Ecclesiæ! Una spes salutis erat, si Patres illi reconciliationi partium, ac coalitioni animorum studuissent. Ea postquam decollavit, nihil sani bonique exspecto. Prætermittere non potui, quin Apographum hujus Epistolæ, quam ex Germania paucos ante annos nactus sum, hic infererem.*

Orationes memoratæ habitæ sunt secundum ordinem quinque articulorum. Dum de primo articulo sermo adhuc esset, quæstio incidit, *quo pacto Christus Electionis esset fundamentum?* Gomari fuit sententia, *Christum Electionis esse duntaxat exsecutorem, quoniam Deus singulorum salutem primò decrevisset; ac deinde Christum, ut medium exsequendi Decreti illius, statuisset.* Martinus Bremensis, cum ad ipsum loquendi vices pervenissent, judicavit, *Christum non tantum exsecutorem, sed & causam & procuratorem Electionis esse.* Vix dum Martinus dicendi finem fecerat, cum protinùs exsiliit Gomarus, dixitque: *Hanc rem in me recipio.* Hæc loquutus chirothecam projecit, & Martinium hoc adagio, *en Rhodus, en saltus,* ad certamen provocavit. Simul oravit Synodum, ut sibi cum Martinio certamen singulare concederet, addens, *se exploratum habere, nihil prorsus Martinium contra hanc doctrinam proferre posse.* Martinus qui

Certamen inter Gomarum & Martinium.

Joannis Halefii Epistola. 1619. 15. Jan. 1. 25.

(prout scribit Joannes Halesius) eruditione Gomaro nequidquam cedebat, studioque pacis multis illum parafangis antecellebat, facile hanc contumeliam concoxit. Paucis deinde verbis ultrò citròque habitis, hæc controversia à Præsidente diremta, & Scellioni more solito precibus impositus est finis. Ceterùm attentio in precibus requisita adeò Gomari excandescentiam non sedavit, ut iis vix absolutis, provocationem suam repeteret, & Martinium iterùm ad certamen provocaret. Videbatur Martinium quibusdam Remonstrantium sententiis addictus, de Reprobatione, extensione meriti Christi, salute infantium, ac aliquot aliis. Itaque ut ipsum in eandem cum reliquis sententiam perducerent, postridie in ædes Episcopi Landavensis Exteri convenere Theologi; ubi, licèt Martinius ad mutantam sententiam moveri non potuerit, eò tamen res est adducta, ut fidem dederit, se eam in proponenda opinione sua moderationem & prudentiam ostensurum, ut Synodo nulla de ipso conquerendi ansa futura esset. Dum singula Collegia incumberent concinnandis suis judiciis, magnum inter Anglos, circa secundum articulum, ortum est dissidium. Joannes Davenantius ac Samuel Wardus eadem, quæ Martinium Bremensis, sentiebant; Christum, nempe, pro cunctis, singulisque hominibus esse mortuum, quod & statuebant Remonstrantes. Reliquorum verò Anglorum, cum Contra-Remonstrantibus, sententia erat Christum pro Electis solummodò esse mortuum, qui à Deo ex omni generis hominibus segregati sunt. Commune ergo & consentiens iudicium componere non potuere; & quamvis hac de re aliquoties disceptarent, unicuique tamen sua stetit sententia. Convenit tandem inter eos, ut, quoniam in

Martinio in quibusdam sententiis cum Remonstrantibus convenit.

Discrimen inter Anglos de secundo articulo.

Synodo essent ad proferendum non singulorum, sed Ecclesiæ Anglicanæ iudicium, dissensum suum ad Archiepiscopum Cantuariensem scriberent, ab eoque responsum peterent, quâ ratione ipsos iudicium, nomine Ecclesiæ Anglicanæ, de secundo articulo proferre vellet. Postea autem iterum collocuti sunt, iisque communi consensu placuit ita iudicium concinnare, prout cum Ecclesiæ Anglicanæ sententia convenire iudicarent.

Septimo Februarii exhibuerunt Remonstrantes Delegatis Politicis defensionem suam circa primum articulum, prolixo admodum Scripto comprehensam; cuius maxima pars ab Episcopo composita erat, exceptâ amplâ capituli noni Epistolæ ad Romanos explicatione ab Adriano Borrio concinnatâ, ac tractatu de Reprobatione à Niellio conscripto. Indignati sunt Politici tantum id esse Scriptum, eosque non omnia exhibuisse, & in Scripti præfatione de Synodo esse questos. Remonstrantes reposuerunt, se id brevius facere non potuisse, nisi causæ suæ nocerent; temporis spatium ad excutiendos omnes articulos angustum nimis fuisse, seque necessitate adactos ad querelas de Synodo, cum eam iniquè secum agere censerent. Concessum iis adhuc fuit octiduum, ut omnia, quæ in defensionem suæ sententiæ componere vellent, parata haberent. Etsi autem demonstrarent id vires suas excedere, non tamen amplius spatium impetrare potuerunt. Scriptum hoc à Præsidente Synodo fuit ostensum. Post unum verò diem, aut alterum, in Sessione, dimissis prius omnibus Auditoribus, deliberatum est, quidnam exhibito Remonstrantium Scripto, quod nimis magnum erat, ut Apographa exscriberentur, faciendum esset. Præsides se se id obiter

7. Feb  
Remou-  
strantes  
defensio-  
nem ex-  
hibent  
suæ sen-  
tentia de  
primo  
articulo.

perlegisse ait, ac comperisse exiguam primorum foliorum partem, confirmationem eorum sententiæ circa primum articulum continere; reliquum autem nihil aliud quàm refutationem sententiæ Contra-Remonstrantium ac exagitationem personarum comprehendere. *Desiderabamus*, (scribit Balcanquallus) *ut pars legeretur: cogor autem dicere Remonstrantes nullum obtinere favorem; nam coram Excellentia Vestra assero Præsidentem excerpisse partem deteriore. Vix quinque folia lecta sunt, quæ nihil aliud continebant, præter acrem satiram contra Calvinum, Bezam, Pareum, Piscatorem, Withakerum, Bogermannum, Festum, & plurimos alios: sed, ut verum fatear, quamvis imprudenter, scitè tamen scriptum: stylus mihi videbatur esse Episcopi.* Circa hujus Scripti lectionem variabant admodum Synodi judicia. Tandem ex Politicorum sententia decretum est, ut antemeridianis aliquot Sessionibus ea prælegeretur Scripti pars, quæ confirmationem opinionis Remonstrantium contineret, reliqua verò ab ambobus Adfessoribus ac Scriba Dammano, iique ea exciperent, quæ viderentur ipsis coram Synodo lectu digna.

17. Febr.  
alia  
Scripta à  
Remonstrantibus  
exhibita.

Decimo quinto Februarii, obtulerunt Remonstrantes Delegatis Politicis alteram suam declarationem circa tertium, quartum, & quintum articulos. Primum caput à Barlaeo, ultimum ab Episcopo compositum erat. Putaverant Delegati paratas quoque fore defensiones reliquorum articulorum; quod cum secus esset, jusserunt Remonstrantes illicò operi incumbere, dixeruntque indicatum ipsis iri, quando paratum id habere oporteret. Vigesimo quinto Februarii, defensionem suæ sententiæ circa secundum articulum exhibuere; ac in præfatione reddidere rationes, ob quas reliquorum articulo-  
rum

25. Febr.  
Defensio  
sententiæ  
de secundo  
articulo.

lorum defensiones unà non tradidissent. Dixere Politici, non licere sibi concedere illis majus spatium: biduo tamen post ad se accitos Episcopium ac unum vel duos alios rogarunt, *suàne reliqua Scripta intra decem dies parare possent? Non quidem id tempus se se illis concedere, sed tamen si Remonstrantes intra id spatium reliqua omnia exhibere possent, se se visuros, an ipsi ea accipere, ac Synodus legere vellet. Regessere Remonstrantes, se nullam Synodi rationem habere, nec in animo ipsis esse eum laborem, Synodi gratià, in se suscipere, quippe quæ eos ut mendaces ac nebulones tam fœdè ejecerat: Synodum etiam sua Scripta non exspectare, nec ipsorum ullam habere rationem; verùm se ea tantùm D. D. Delegatorum jussu composuisse, nec tam præproperè hanc rem conficere se posse: sibi aliquot hebdomadas concedi oportere, ut & rem rectè peragerent, & conscientiæ suæ satisfacerent: constitutum saltem tempus breve nimis esse, sese tamen operam rei navaturos.*

Dum occupati essent Remonstrantes conficiendis suis Scriptis, in Synodo à singulis Membris Remonstrantium sententiæ refutabantur. Parabantur etiam singulorum Collegiorum judicia. Cùm ad tertii quartique articuli disquisitionem ventum esset, Martinius inter alios, undecimo Februarii, sententiam suam dixerat. Postridie verò Sibrandus, ubi ejus venissent loquendi vices, peroravit minimùm per horam; habebat in eo sermone exceptiones quasdam, ad ea quæ Martinius pridie dixerat; præsertim ad hoc, *Deum esse causam Physicam conversionis*. Aliquot objectiones protulit, petebatque, ut Martinius illis satisfaceret. Martinius se se quidem defendit: at inter eos major erat de verbis, quàm de re disceptatio, controversiam enim illam faciebant meram Philosophicam specu-

Cæriamen inter Sibrandum & Martinium.

Epistola Balcanqualli. 1619. 15. Febr.

culationem. Pro veritate adfertionis suæ, Martinus Goclenium appellabat, ut Principem Philosophorum. Goclenius, *varios eosque præcipuos, ait, Philosophos, quos nominabat, pro Martinii stare partibus, eorumque opinionem veram esse in Philosophia, sed nolle se eam cuiquam præscribere in Theologia.* Tum verò Sibrandus in Goclenium invehi, ita ut post multa verba inania, Præses eos interpellarit. Decimo octavo Februarii, Gomarus, qui (ut Balcanquallus scribit) palàm inimicum agebat Martinii, loquendi potestatem petiit, statimque quæ Bremenses dixerant, refutare cœpit, ad eò ut ipse ac Martinus turpiter se darent. Subjicit huic narrationi Balcanquallus hæc notatu digna verba: *Dicere cogor multos ex Provincialibus inhumaniter agere cum Martinio, quod omnes Theologi Exteri agrè ferre incipiunt. Ipse est vir doctus admodum & honestus, & aequè orthodoxus, ac ullus è tota Synodo in omnibus articulis, excepto secundo in quo, quando Canonnes condentur, plures, ut videbis, habebit sibi adfidentes. Nihilominus quoniam duos quosdam loquendi modos improbat, quos nemini cordato placituros existimo, ad eò inhumaniter ipsum tractant; ut affirmare tibi possim parùm abfuisse, quin unà cum suis Collegis Synodo abiret. Quantum de decoris hoc allaturum fuisset auctoritati totius Synodi, facillè quisque intelligit. Iniquius agunt Provinciales. Quamvis quis in fundamento omnium quinque articulorum cum ipsis contra Remonstrantes sentiat, tamen eum pro Orthodoxo non habent, si in loquendi modo dissentiat.* Postridie cum Martinio Sibrandus & Gomarus iterùm disceptavere, de qua disceptatione ad Legatum Carletonum Balcanquallus hanc scripsit Epistolam, quam, quia multa continet notatu digna, hîc inseram.

Epistola  
 18. Febr.

Id post-  
 ridie  
 acrius  
 renova-  
 tur.

Beni-



*Benignissime Domine,*

„**P**olt nuperas ad te datas, nihil in Syno-  
 „do magni momenti peractum est, nisi id  
 „quod magnum, cum audiveris, tibi incutiet  
 „mœrorem; quod, nempe, lis magis magisque  
 „exardescens in flammam videatur eruptura,  
 „nisi in tempore subveniatur: ex composito enim  
 „in contumeliam Bremensium concinnata erat  
 „ejusmodi propositio, quâ Synodum parvam  
 „gratiam inituram judico. D. Gomarum, ad  
 „cujus loquendi vices finierat ultimâ Sessione  
 „tertiæ & quarti articuli disquisitio, sententiam  
 „suam de iis articulis Præses cum rogasset, Si-  
 „brandus veniam à Præsidente oravit, prius pau-  
 „cula illis, quæ pridie disseruerat, adjiciendi.  
 „Quod addidit, nihil erat aliud, quàm certa-  
 „minis, quod ipsi in ultima Sessione cum Mar-  
 „tino incidere, renovatio. Duas attulit res.  
 „Primò narravit se Goclenii hospitium adiisse,  
 „variósque cum eo sermones miscuisse de pro-  
 „positione illa, an Deus causa Physica huma-  
 „narum actionum dici posset: protulit in me-  
 „dium aliquot Goclenii Theses, quæ contra-  
 „rium tuebantur. Cetera, ne fides ejus voca-  
 „retur in dubium, ad Goclenium illic præsen-  
 „tem provocavit, qui testimonio suo ea con-  
 „firmavit. Porrò cum Martinus locum ex Pa-  
 „ræo citasset, ad probandum eo pacto fieri  
 „conversionem, Sibrandus ex eodem Paræo  
 „plurima loca pro contraria sententia citavit:  
 „ac Theologos quosdam Palatinos (quod jam  
 „antè sine dubio compositum ita erat) singu-  
 „lorum appellans nomina rogare cœpit, ut cum  
 „Paræi essent Collegæ, mentem Paræi de hac  
 „propositione aperirent. Ad hoc Scuitetus præ-  
 „meditatâ Oratione, quam etiam in Scriptis  
 „habe-

„ habebat, respondit adeò virulentâ, ut meas jux-  
 „ tâ ac omnium, ut opinor, Exterorum aures ve-  
 „ hementer offenderet, præcipuè quod à viro  
 „ tanti nominis pronuntiaretur. Argumentum  
 „ erat, *se probè nosse Paræo sententiam menti ipsius*  
 „ *planè contrariam in Synodo affingi, ægro animo se*  
 „ *audire carissimi sui Collegæ opinionem tantopere à*  
 „ *nonnullis in Synodo detorqueri; præterea se gravif-*  
 „ *simum suum dolorem dissimulare non posse, ex eo*  
 „ *conceptum, quòd puram Theologiam tricus Scho-*  
 „ *lasticis à quibusdam fœdari animadverteret; hoc*  
 „ *eos agere, qui Deum (spectabat id Martinium)*  
 „ *causam Physicam conversionis statuerent, illisque*  
 „ *vocabulorum portentis uterentur, determinare & non*  
 „ *determinare voluntatem, nonnullos eò audaciæ pro-*  
 „ *gressos, ut affirmare non vererentur, dubia quædam in*  
 „ *quarto articulo superesse, quæ nec Calvinus ipse, nec*  
 „ *alii eruditi Reformati Doctores planè solvissent; me-*  
 „ *tuendum nunc, ne tales Theologiam Jesuiticam in Ec-*  
 „ *clesiam Reformatam invehere, juventutémque ipso-*  
 „ *rum fidei commissam perversâ Theologiâ corruppe-*  
 „ *re vellent.* Verba hæc postrema Crocium spe-  
 „ ctabant. Scultetus fanè mentem suam maxi-  
 „ mè virulentis & odiosis verbis aperuit, ita  
 „ quidem ut sententias, quæ acerbissimæ erant,  
 „ bis repetierit. Postquàm ille finem sermoni  
 „ imposuit, Martinus summa cum modestia re-  
 „ spondit. Primò, *se ipsa Paræi verba legere vel-*  
 „ *le, quod fecit; deinde quoad Sibrandum, se*  
 „ *summo opere mirari, quòd hæc in medium jam pro-*  
 „ *ferret, cum eodem ipso die studio pacis ductus, Col-*  
 „ *legam suum Crocium ad Sibrandum misisset cum*  
 „ *longa explicatione sensûs, quo propositionem illam*  
 „ *tradiderat, quâ explicatione Sibrandus ipse se se*  
 „ *planè & plenè contentum professus erat: sperasse*  
 „ *se nullam amplius litem hac de re fuisse futuram.*  
 „ Nullum sub hoc tempus verbum Crocius pro-  
 „ tulit.

„tulit. Gomarus inquirendo in articulum proces-  
 „sit : verum ejusmodi protulit Orationem contra  
 „Bremenses, quam à nemine nisi ab infano pro-  
 „ficisci posse putem. Primò ad id quod dixe-  
 „rat Martinius, *se se post solutionem illius dubii po-  
 „stulare, quomodo Deus ab homine, cujus potentia  
 „finita est, fidem, quæ opus omnipotentia est, exi-  
 „gere posset, huncque nodum nec à Calvino, nec à  
 „quoquam Theologorum plenè solutum fuisse ; primò  
 „respondit, talia dicentem non dignum esse, qui  
 „Calvini corrigiam solveret : deinde quòd ad nodum  
 „ipsum attinet, adeò parvi momenti illum esse, ut  
 „ipsi pueri in trivio solutionem ejus decantare possent.*  
 „Ad hæc verba unusquisque subrisit. Præter-  
 „ea etsi Martinius, respondens Sculteto, ne ver-  
 „bum quidem contra ipsum dixisset, nisi hoc  
 „unicum, *deslere quòd, qui jam per annos vi-  
 „ginti quinque Theologiam professus erat, ob phra-  
 „sin Scholasticam, tam indignè exciperetur.* Gomarus  
 „ad id promptè ac eleganter, ut putabat, re-  
 „spondit, *se se jam indicare Synodo, quoniam non-  
 „nulli annorum copiâ certare vellent, se non tan-  
 „tùm per viginti quinque, sed triginta quin-  
 „que annos Professore egisse.* Postea in  
 „Crocium invecus, Synodum oravit, *ut sibi à  
 „talibus caveret, qui hæc monstra & portenta vo-  
 „cabulorum & Jesuiticarum Scholarum barbaris-  
 „mos, Deum determinare & non determinare vo-  
 „luntatem, inveherent.* Hæc & similia oculis adeò  
 „ardentibus, superbâque pronuntiatione, ut  
 „quisque miraretur, quòd ejus sermonem Præ-  
 „ses non abrumperet. Sponte tandem desit,  
 „spiritûs, ut opinor, defectu. Præses autem  
 „celeberrimo Doctori Gomaro summas pro eru-  
 „dita comtâque ea Oratione gratias egit : quod  
 „Exteris mirum fuit visum : tandem verò Epi-  
 „scopus Landavenfis gravi, succinctâ, suavique  
 „Ora-

„ Oratione (quâ , utpote optimâ , quam um-  
 „ quam protulisse mihi videtur , æternam apud  
 „ nostros omnésque Exteros laudem meruit) in  
 „ hunc fermè modum Præsidentem est affatus: *id*  
 „ *quod Synodus hæc disquisitionem vocat, adificationis*  
 „ *gratiâ institutum esse , non verò ut aliquis conten-*  
 „ *tionis studium ostenderet , velle ideòque se se ut*  
 „ *caveatur ne concordie rumpatur vinculum. Ne-*  
 „ *minem Rever. Episcopus hâc suâ Oratione no-*  
 „ *natim perstrinxit : vix tamen dicendi finem*  
 „ *fecit , cum furibundus Gomarus criminis se*  
 „ *conscium intelligens , sapientia hæc eloquutus*  
 „ *est verba : Reverendissime D. Præsul , agendum*  
 „ *hîc est in Synodo non auctoritate , sed ratione : li-*  
 „ *citum sibi esse suo loco sententiam suam dicere , sé-*  
 „ *que ab hoc proposito nullius auctoritate absterri*  
 „ *se passurum. Ad hoc Reverendo viro tacenti*  
 „ *dixit Præsides : Celeberrimum D. Gomarum nihil*  
 „ *contra Personas , sed adversus eorum opiniones di-*  
 „ *xisse , nullâque adeò hominem censurâ dignum esse.*  
 „ *Justam id cuilibet ansam suspicandi præbuit*  
 „ *Præsidentem in eodem negotio , cum Gomaro*  
 „ *conspirare. Martinus Gomari Orationi nihil*  
 „ *respondit , questus est solummodò , quòd hoc*  
 „ *longi itineris præmium referret. Thysius , ubi*  
 „ *ad eum ordo disquirendi pervenit , moderatè*  
 „ *Synodo animi sui dolorem testatus est , eò quòd*  
 „ *Martinium tam indignè exceptum vidisset , ob mo-*  
 „ *dum loquendi , qui juxta explicationem ejus ve-*  
 „ *ritati prorsus consentaneus esset. Hæc dicenti*  
 „ *Thysio Gomarus & Sibrandus , qui proximi*  
 „ *ipsi affidebant , pallium vellicarunt , iratòque*  
 „ *vultu , in conspectu totius Synodi , ob hæc dicta*  
 „ *eum increpuerunt. Inde Thysius magna cum*  
 „ *modestia Martinium oravit , ut sibi circa dubios*  
 „ *quosdam loquendi modos , quos protulerat , sa-*  
 „ *tisfaceret ; quòd Martinus actis ipsi pro hu-*  
 „ *ma-*

„manitate gratiis, abundè fecit. Præsidentem hoc  
 „in composito negotio adversarium Martinii  
 „fuisse certum est, indèque colligi potest, quòd  
 „eodem illo tempore censuram omnium dura-  
 „rum phrasium, quibus usus fuerat Martinus,  
 „ex charta, publicè prælegerit. Admiratione di-  
 „gna per id tempus omnibus patientia Crocii  
 „videbatur, qui, etsi multis modis dehonestatus  
 „ac laceffitus esset, suis affectibus tamen illud  
 „frænum injecerit, ut siluerit. Sub hæc cum  
 narrare perrexisset Balcanquallus, quænam ali-  
 quot aliis Sessionibus evenissent, sub finem epi-  
 stolæ ad hoc Bremensium negotium redit, ex-  
 ponitque, quâ ratione processerit ea contentio.  
 „Bremenses ita læsos se existimant, ut jam in ani-  
 „mum induxissent, domum proficisci, & jam  
 „parati essent apologiam pro se suisque actioni-  
 „bus, factæque sibi à Synodo injuriæ narratio-  
 „nem in lucem edere; nisi Exteri quidam Theo-  
 „logi se ad Anglos conferentes, opem illorum  
 „ad tollendam hanc controversiam implorassent.  
 „Exteri omnes hæc duo ægrè ferebant: primò,  
 „quòd peregrinos tantis contumeliis affectos  
 „viderent, ob duos loquendi modos, qui ambo  
 „in Scholis perquam usitati essent; deinde quòd  
 „Gomarus publicè in Synodo ausus fuisset tam  
 „irreverenter respondere Episcopo Landaventi.  
 „Quòd si hac de injuria Exteris omnibus (ex-  
 „cipio Palatinos) non satisfiat, metuo ne in  
 „Synodo turpis tumultus oriatur. Orabant  
 „Anglos, ut omnem operam navarent, ad Bre-  
 „menses cum Sculteto reconciliandos. In hoc  
 „opere, sunt hæc vesperâ occupati. Quid pro-  
 „fecturi sint Nobilitas tua brevi audiet. Mihi  
 „certè parùm spei de bono hujus rei even-  
 „tu restat, siquidem Bremenses nonnisi publicè  
 „satisfieri sibi cupiant, quoniam professio ipso-  
 „rum

„rum & Scholæ publicè corruptæ juventutis  
 „inſimulatæ ſunt. Scultetum autem ad publi-  
 „cam ſatiſfactionem tardum fore credo. Atta-  
 „men Episcopuſ Landavenſis, D. Goaduſ, &  
 „egometipſe Scultetum allocuti ſumus, eum-  
 „que facilem invenimus. Doctores Davenan-  
 „tius & Warduſ Brementeſes convenere, eòſque  
 „valdè offenſoſ iratoſque invenere. Martiniuſ  
 „ab illo tempore, quo tam inhumanè exceptuſ  
 „eſt, numquam in Synodum venit; ſed ſimul  
 „cum Collegiſ ſuiſ querelam coram Delegatiſ  
 „inſtituit, quos Gomaruſ in ordinem reda-  
 „cturoſ puto. Noſ Angli ſtatuiſmus (an in  
 „propoſito perſituri ſimur, neſcio) orare De-  
 „legatoſ, ut in contumeliam à Gomaro Epi-  
 „ſcopo Landavenſi inſlictam inquirent. Duo,  
 „ſcilicet, in Synodo viri ſunt, mi Domine, Si-  
 „branduſ & Gomaruſ in primis, ad omnia in  
 „Synodo turbanda, diffidiſque replenda apti,  
 „ni tempeſtiviſ remediis coerceantur. Quin  
 „Gomaruſ ſummam Brementeſibus injuriam fe-  
 „cerit, & Episcopum Landavenſem in eoque  
 „totum Collegium Anglorum ſummoperè læſe-  
 „rit, nulluſ, opinor, inſicias iverit. Multum  
 „proculdubio ad exſtinguendum incendium  
 „hoc adferet tua Nobilitaſ, ſi conſilio ſuo Præ-  
 „fidem adjuverit.

Quo modo hæc contro-  
 verſia ſit compo-  
 ſita. Episto-  
 la Balcan-  
 qualli. 1619. 2.  
 Martii. p.

Hiſce Balcanqualli litteriſ permotuſ Legatuſ  
 ad Præſidem Bogermannum epistolam ſcripſit,  
 quæ ejuſ fuit ponderiſ, ut Præſeſ initio ſequen-  
 tiſ Selliſionis, moderatiſ admodum humaniſque  
 verbis omnia Synodi Membra oraverit, ut, ſi  
 quidem ad articulum quintum diſcutiendum ſe  
 accingerent, ab omni verborum acerbitate &  
 cenſura aliorum abſtinerent, legéſque fraternæ  
 caritatiſ ac manſuetudiniſ obſervarent. Dili-  
 genter

ter monitionem hanc Provinciales Professores attenderunt, adeò enim stylum suum mutarunt, ut faciliè esset colligere, illis innotuisse Legati epistolam. Delegati quoque, unà cum Præsidente, operam navarunt, ad tollendam, quam Bremenses cum Sculteto, aliisque duobus Professoribus, habebant, controversiam. Bremenses se pacis amantes, & privatâ satisfactione contentos se fore dixerunt. Reliqui tres professi sunt, *se minimè pravam de illis opinionem fovere, imò se illos pro eruditis, religiosis, & orthodoxis Theologis habere; se delicti contra ipsos commissi pœnitentiâ duci, nec quidquam simile posthac commissuros.* Bremenses, ut ex Anglis aliquis satisfactioni illi præsens fuisset, optarant; altera verò pars neutiquam in id consentire voluit. Monitus fuit Gomarus, ut injuriam Episcopo Laudavensi illatam repararet, seque dolere testaretur, quòd verba quædam sibi contra Episcopum in Synodo imprudenter excidissent: *attamen, scribit D. Balcanquallus, delirus senex ad Reverendum Virum nondum venit.* Hoc modo lis hæc auctoritate Superiorum sopita est. At Martinium adeò hæc actiones offenderunt, ut cuidam è Remonstrantibus, credo Poppio, clam dixerit, *se se hac in Synodo quedam Divina, quedam humana, alia verò Diabolica vidisse.*

„ Traditis jam omnibus de quinque articulis  
 „ Membrorum Synodi judiciis, prælectum est  
 „ primò Paræi judicium Heidelbergâ missum.  
 „ Hoc lecto, dum alter Scribarum judicium  
 „ Anglorum Theologorum de primo articulo  
 „ prælegere inciperet, dixit Præsidi Davenan-  
 „ tius, *non oportere Collegiorum judicia adeò clam*  
 „ *legi, sed videri sibi maximopere interesse gloriæ*  
 „ *Synodi, ut illa, quantum fieri poterat, publicè præ-*  
 „ *legerentur, omnibusque Auditoribus admissis: quia*

Epistola  
 Balcanq.  
 1617. 9.  
 Martii, 1

„contingere posset, ut Remonstrantes vi argumen-  
 „torum ipsorum pressi, & suas quasdam opiniones  
 „rejicerent, & omnes itidem Auditores in veritate  
 „corroborarentur; quoniam tot eruditorum vide-  
 „rent consensum, qui aliàs à perversis hominibus  
 „judicari possent in id conspirasse, ut nulla inter  
 „sententias suas discrepantia esset. Non parùm  
 „hæc inexpectata propositio conturbavit Præsi-  
 „dem. Omnes præsertim Exteri satis mirari  
 „nequibant, ipsum suoapte judicio rem aggredi  
 „tanti momenti; antequam Synodum rogasset,  
 „quomodo judicia sua legi vellet. Causa cur  
 „hæc ab Anglis proponerentur, fuit, quòd uti  
 „condemnarant Remonstrantes in omnibus,  
 „quæ rejici debere judicarent: ita etiam curam  
 „adhibuerant, ne plura condemnarent, quàm par  
 „& æquum censerent: simulque etiam duras  
 „quasdam rejecerant Contra-Remonstrantium  
 „phrases, præcipuè circa materiam Reproba-  
 „tionis. Sed hi solùm loquendi modi erant.  
 „Sciebant quoque in condendis Canonibus, ne  
 „verbum quidem illis simile expressum iri, quia  
 „Provinciales in statuendis Canonibus suffra-  
 „giis eos superabant: ideò desiderabant, ut ex  
 „lectione judiciorum Auditores saltem ipsorum  
 „sinceritatem nosse possent. Respondit ad hanc  
 „propositionem Præses, se quidem ante aliquot  
 „dies ejusdem fuisse opinionis: sed se jam accuratiùs  
 „rem ponderasse, & post rogatam Adfessorum sen-  
 „tentiam, censuisse legenda esse judicia nullis ad-  
 „missis Auditoribus, præterquàm paucis quibusdam  
 „Orthodoxis Ministris, qui hîc loci, dum coacta esset  
 „Synodus, commorabantur. Rationes ejus hæc erant,  
 „primò: quia hic agendi modus conveniat tum sco-  
 „po mandati Ordinum Generalium, quo jubebatur  
 „sententias Synodi clam, remotis arbitris, inquirere,  
 „nisi Synodo visum esset Auditores admittere: dein-



„de quia in Synodis comitiisque mos ille hætenus ob-  
 „tinuerat, ut sententiæ exquirerentur nemine præ-  
 „sente. Tertiò, quia tametsi omnes Collegiorum  
 „sententiæ consentient in re ipsa, tamen in lectione  
 „earum quasdam discrepantias in modis loquendi  
 „deprehenderat; unde esset metuendum Remonstran-  
 „tes, Jesuitas, & Dominicanos magni facturos hanc  
 „verborum discrepantiam, eosque longè latèque  
 „vulgaturos Synodum non esse concordem; aut Re-  
 „monstrantes in lucem edituros Synodi sententiam,  
 „antequàm statuti essent Canones, atque illis in li-  
 „bellis judicia judiciis opposituros, ubicumque vel  
 „minimam discriminis speciem animadverterent.  
 „Quarta ac præcipuaratio erat, quia per hunc agendi  
 „modum Synodi sententia de quinque articulis in vul-  
 „gus emanaret, priusquam ipsa Synodus quæ sua esset  
 „sententia affirmasset, aut delata essent ad Ordines  
 „Generales Collegiorum judicia: quos tamen juxta  
 „Synodum primos scire oporteret, quis omnium ejus  
 „actuum finis esset futurus. Addidit quoniam hæc  
 „res solum ordinem spectabat, se sperasse Synodum  
 „ipsi & suis Adjessoribus hujus rei directio-  
 „nem permissuram. At cum videret magnæ Syno-  
 „di parti sic non satisfieri, paratum esse rem suf-  
 „fragiis subicere. Rogati sententias Deputati,  
 „rem in pomeridianam Sessionem differri vo-  
 „luerunt. Misit interea Præses Scribarum al-  
 „terum ad Anglos, qui illos oravit, ut in Præ-  
 „sidis irent sententiam. Putabant Angli eos  
 „hoc modo alia Collegia ad suas partes quoque  
 „pertrahere studere. Credebant etiam se faci-  
 „lè ad omnes Præsidis rationes respondere posse:  
 „agendique modum à Præsidente propositum tu-  
 „tiorum quidem, ipsorum verò honestiorem esse.  
 „Post meridiem sententiam tulere Delegati,  
 „quæ hæc fuit, ut, nempe, omnes Auditores  
 „tam Contra Remonstrantes, quàm Remon-

strantes exclusi essent, dum legerentur judicia. Rogarunt præterea omnia Synodi Membra, ut, quantum fieri posset, ea, quæ in Synodo tractabantur, occultarentur. Huic Delegatorum judicio cuncta Synodi Membra nemine excepto adsentiebantur, adeoque occlusis januis judicia lecta.

19. Mart.  
Remonstrantes  
defensionem  
sententia  
sua de  
tertio,  
quarto, &  
quinto  
articulis  
exhibent.

Cùm absolvisset interim Remonstrantes tertii, quarti, quintique articulorum defensionem suam, Episcopus unà cum tribus aliis, decimo nono Martii, eam D. D. Delegatis exhibuerunt. Quæsi sunt hi nimis ampla hæc esse Scripta, Synodumque nimium detineri. Regeffere Remonstrantes, *rei tractata pondus non permittere breviores ipsos esse; nec à se detineri Synodum, cum ipsorum Scripta non expectaret, neque eorum rationem haberet, sed semper perrexisset, & singuli sua judicia Scripto exhibuissent ante traditam à Remonstrantibus suam defensionem; adeoque sua Scripta dicis causâ in Synodo tantum fuisse prælecta: nec se hæc Scripta composuisse in Synodi gratiam, quæ non amplius cum Remonstrantibus agere se velle professæ erat, sed D. D. Delegatorum, qui ipsos ea componere jusserant.* Delegati cùm imperarent Secretario Heinio, ut omnia hæc verba notaret, dixit Episcopus non necessarium id esse; ostenditque omnia, quæ tunc dixerant, præfatione contineri. Dixere tandem Remonstrantes, *non esse illa Scripta sibi oneri, sed se se ea tantum D. D. Delegatis obtulisse, ut parata ea esse scirent, facerentque quod ipsis videretur, seu ea accipiendo, seu recusando.* Abire jussis indicavit post biduum Secretarius Heinus D. Delegatos ea retinere velle.

20. Mart.

Admissis vigesimo Martii, post meridiem, iterum omnibus Auditoribus, agebat Ludovicus

Cro-

Crocus, Bremenſis, de Juſtificatione, carpebat-  
que inter alia Episcopium, contendens ſeptimam  
Theſin Episcopii diſputationis de Juſtificatione  
*tot continere errata, quot verba.* Dixit & de Remon-  
ſtrantibus: *invita produxit patria hos vermes, tineaſ-  
que quæ matrem ſuam excidunt, viſceraque Eccleſiæ  
conſciant ac lacerant.* Poſtridie hac de cauſa ſcrip-  
ſit ad Crocium Episcopius epistolam, in qua  
rationes poſtulabat, quæ eum ad ita judican-  
dum adduxiſſent, eique amicam offerebat col-  
lationem. Tradita ei eſt hæc epistola, cùm unâ  
cum Martinio ante meridiem Synodo egrede-  
retur. Audiens epistolam hanc Episcopii eſſe,  
expalluit, ſeque eam lecturum ait, & delibe-  
raturum utrum ad eam reſponderet. Numquam  
tamen reſpondit, verùm Martinus aliquoties  
quosdam è Remonſtrantibus oravit, *ut ne Epi-  
ſcopius reſponſum flagitaret*: adjiciens Crocium ni-  
mis longè proceſſiſſe; *ſe autem ideò dolere ac optare  
non accidiffe.* Crocium verò à Sibrando eodem in  
hoſpicio cum ipſo degentem inſtigatum fuiſſe, ſed jam  
pœnitentiâ ductum. Ideòque nullus de hac re  
fermo poſteâ fuit.

Crocus  
in Syno-  
do ad-  
verſus  
Epiſco-  
pium  
dicit, qui  
ob id  
episto-  
lam ad  
eum mi-  
ſit.

Remonſtrantes partibus ſuis jam defuncti,  
nec videntes quid ſibi agendum ſuperreſſet eo-  
rum, ob quæ Dordracum vocati erant, longam  
ad Ordines Generales epistolam, itidemque  
unam ad Principem Auriacum miſere, petentes  
ut diutinâ detentione liberarentur. Quod ne-  
gatum iis eſt, juſſique denuò Dordraci rema-  
nere, donec aliter Ordinibus viſum eſſet.

Iterùm  
verantur  
Remon-  
ſtrantes  
Dordra-  
co egre-  
di.

Omnibus Collegiorum judiciis lectis, cùm  
deveniendum eſſet ad componendos Canones,  
Præſes jam aliquot conſlaverat articulos, quos  
illicò poſt finitam judiciorum lectionem, Syno-  
do propoſuit, exſcribique curavit; ut à ſingulis  
Collegiis accuratiùs perpenderentur, poſteâque

Præſes  
ſolus  
Canones  
conſlare  
incipit.

tamquam Synodalia Decreta confirmarentur.

Huic se  
vari ex  
peregrini-  
s op-  
ponunt.  
Epistola.  
1619. 25.  
Mart.

Ob hæc ortum in Synodo murmur variorum indignantium, quòd Præses rem tanti momenti privato consilio, absque jussu Synodi, in se suscepisset. Questus est hac de re apud Angliæ Legatum Balcanquallus hunc in modum. *Præses plus sibi auctoritatis, quàm ullus ante eum Præses, adrogavit, in conficiendis Canonibus; quos à reliquis approbari voluit per nudum placet, vel rejici per solum non placet. Tam multos autem ex Provincialibus addictos sibi habet, ut pro lubitu omnia constituat. Fateri equidem cogor, me videre non posse, quo pacto dignitati cujusquam convenire queat; quod certè Membro Synodali minùs, minimè autem Episcopo convenit; Præsidentem solum dictare, ceteròsque eum sequi; ipsum unum condere Canones, ac Synodum convocari non ad consilium, sed ad ad-*

26. Mart. *sensum. In Epistola verò sua ad Secretarium Nantonem. Præsides, qui Synodum sententiam rogare non solet, pro auctoritate Canones concipere, eosque nobis præscribere voluit. Visum id nobis, à Rege Delegatis, quàm maximè pugnare cum Synodi dignitate; ideoque quibusdam, qui consilium nostrum probabant, consultis ex re fore duximus, ut omnia publicà auctoritate agerentur. Non parùm hæc conturbarunt Præsidentem, à cujus partibus stabant Provinciales omnes, ac quidam Exterorum, præsertim Palatini. Convocata itaque hanc ob causam est Synodus, in qua proposuit D. Delegatorum Præsides, ut quidam è Synodo Deputati Præsidi & Adjessoribus adjungerentur, qui tum unà conflarent Canones. Magnum inter suffragia discrimen fuit. Quidam Præsidentem, eo quo inceperat modo, pergere volebant. Inter Exteros Scultetus hujus erat sententia; Acta Præsidentis probans rejiciebat novum id consilium à quibusdam suggestum, at neminem taxabat nomine. Sibrandus verò sententiam dicturus furiosi instar*

*in eos invehebatur, qui propositi hujus Auctores erant: monebátque Exterorum non esse sibi de iis iudicium adrogare, quæ saluti hujus Ecclesiæ conducere, eosque, qui se illis adjunxerant Ecclesiasticâ censurâ dignos esse. Notabat, nempe, Hollandos Australes, quibus quoque actiones Præsidis raldè displicebant. Eò tandem provexit Sibrandum furor, ut ab utroque Præsidi Ecclesiastico ac Politico moneretur, ut vel taceret, vel ea diceret, quæ Synodi pacem non turbarent. Hacce de Sibrandi Oratione hoc modo scribit ad Angliæ Legatum: Videtur mihi nulò minùs turbarum in Synodo futurum fuisse, si duo viri abfuisent, quibus præsentibus Synodo nunquam turba deerunt. Sibrandum & Gomarum intelligo, qui alternas habent vices furendi ac tumultuandi. Proxima procella à parte Gomari detonuit. Hodie Sibrandus invehctus est in nostrum Collegium, tanta cum iracundia & impotentia, tantæque cum acerbitate verborum, ut nullâ re magis de ipso ultio sumatur, quam nudâ relatione verborum, quæ protulit. D. Davenantius vir ingenii sedati ac placidi, me invito respondiisset, ac nemoid æquo animo ferre potuisset, nam ea verba Sibrandi erant, ut si à sano homine fuissent prolata, nemo ea tulisset: at Præsides ei loquendi facultatem eripuit, quod factum gaudebam: quamquam Davenantii responsum, sat scio, fuisset moderatum. Quod ad Sibrandum & Gomarum attinet, non magis eos ob furorem accusare possum, quàm lapidem quòd deorsum cadat: ita enim facti sunt à natura. Plurimorum tandem suffragiis Præsidi ac Adlesforibus tres ex Theologis Exteris adjuncti sunt, Episcopus Landavensis, Scultetus ac Deodatus: tres verò ex Provincialibus, Polyander, Waleus, ac Triglandius, qui Canones componerent, compositosque ad singula Collegia mitterent; ut si quid additum, demtum, vel mutatum cuperent, mutarent,*

25. Mart.

Præsidi  
aliquot  
adjun-  
guntur.

tarent , donec tandem ultimâ manu iis impositâ in Synodo confirmarentur , ac probarentur.

26. Mart.

*At, scribit Balcanquallus, nisi Exterorum moderatio obstaret, sanè Canones conderentur, quorum similes conspiciere non esset datum. Neque ullum fermè Provinciale Ministerium reperias, qui ob rigidum aliquod effatum à Remonstrantibus reprehensus illud Canonibus immiscere non conetur, ut hac ratione dictum suum tueri possit.* Ad Legatum verò:

25. Mart.

*Nisi tu, Domine, provideas, ut bonum consilium hic afferatur, prout comparatum esse video, Synodus erit res omnibus saculis deridenda. Præsides & Provinciales nullo modo consulunt dignitati aut honori Exterorum, ac flocci faciunt rationem, quam reversi reddere tenebimur omnibus eam petentibus. Volunt Canones suos ita turgere speculationibus è Catechesi petitis, ut præ iis crepaturi videantur.*

26. Apr.

Præleguntur  
Canones.

Usque ad sextum decimum Aprilis, hisce Canonibus condendis incubuerunt ; eodem die, post meridiem convocata iterum est Synodus, prælectique prius primi articuli Canones, atque ab omnibus probati. Dum secundi articuli Canones prælegerentur, quædam ab Anglis, Hassiacis, Helvetiis, ac Bremensibus reprehensa fuere. In primis autem Angli ultimo articulo doctrinas, quæ ut falsæ rejiciebantur, comprehendenti adversati sunt. Agebat hic ultimus articulus de Potentia Dei, *an Deus alium potuerit reconciliationis modum, quàm per Christum, acceptasse: dixerunt, jam primum se se illum animadvertisse articulum, ac videri sibi eum magis esse Scholasticæ speculationis, quàm disquisitionis Synodicæ.* Petebant quoque, ut quæ in illis articulis damnarentur pro Sociarianismo, possent ipsis ostendi ex Socino esse deprompta. Rem ipsam damnabant, sed à Socino profectum esse hoc Dogma nesciebant, cum in Scriptis Socini nondum sibi ostensa essent.

pess. 129.

Post

Post biduum, convocata iterum Synodo, fusiùs de hoc ultimo articulo tractatum, qui rejicit opinionem eorum, qui statuunt, non *neceſſe fuiſſe Chriſtum, ut ſufficiens eſſet redemptionis noſtræ pretium, naturam noſtræ ſimilem habuiſſe.* Quæſitum, an id memorari hîc deberet, tamquam Remonſtrantium error, an verò omitti; & inter errores privatos Vorſtii poſtea recenſeri. Dixerè Angli, *ſi intelligendus ſit Canon de absoluta Dei potentia, id eſt, tali quæ removeret à Deo omnem potentiam aliter ſtatuendi, antequàm ſupponatur in Deo decretum, vel certa voluntas, temerè nihil definiendum eſſe de absoluta Dei potentia; Scholaſticam potiùs id eſſe diſquiſitionem, ideòque Canonibus inferi non oportere; præſertim cùm quidam Patres & nonnulli Doctores Reformati putent illam naturæ ſimilitudinem hoc ſenſu non fuiſſe abſolutè neceſſariam; ſi verò ſit intelligendus Canon de neceſſitate ex hypotheſi Decreti divini in Scriptura clarè nobis revelati (quo ſenſu putabant vocabulum neceſſitatis in hoc negotio in ſacra Scriptura accipi) verum quidem eſſe Canonem ſe cenſere, ſed nullo modo ferire Remonſtrantes, utpote qui abſolutam tantùm neceſſitatem rejiciant, ut patet ex ipſorum verbis in Declaratione ſuæ ſententiæ ab ipſis exhibita. Judicabant ergo delendum eſſe hunc Canonem. Multis ultrò citròque habitis ſermonibus, decretum eſt plurimorum ſuffragiis, Canonem retinendum; dixitque Præſes, eum ita eſſe concipiendum, ut omnibus ſatisfacere poſſet. Balcanqual-*

19. Ap<sup>r</sup>.

*Tanto fervore ad Remonſtrantes opprimendos feruntur, ut omni operâ id agant, quo verbis ipſorum eam affingant ſententiã, quam iis in eſſe nullus Grammaticus opinabitur. Die Lunæ poſt meridiem fuit S<sup>e</sup>ſſio, quâ lecti ſunt Canones primi & ſecundi articuli, omneſque approbati, excepto ultimo*

*ſecun-*

*secundi articuli. Qui qualésque hi Canones fuerint ex D. Davenantio intelliges. Ultimus ejusmodi erat , ut nemo sanæ mentis , meo quidem judicio , unquam sit eum approbaturus. Die Jovis ante meridiem aliam Sessionem habuimus , in qua nihil actum est , præterquam quod deliberatum fuit , an ultimus Canon de falsa doctrina retineretur. Nostrium Collegium , durante istâ , contra totam Synodum disputavit. Condemnabant rem ipsam , ut nimis curiosam , & nimis anxie quæsitam : & tamen retineri volebant , ut Remonstrantes odiosos redderent , quamvis verba eorum contrarium ejus , quod iis*

Sess. 130.  
Angli  
quosdam  
duros lo-  
quendi  
modos  
rejicien-  
dos pro-  
ponunt.

*affungebant , præ se ferrent. Postea tamen illum Canonem omitti placuit. Canones reliquorum articulorum probati sunt ab omnibus. Postea legit D. Goadus phrasium aliquot duriorum Catalogum , quas rejiciendas à Synodo censuebant Angli Theologi , eò quòd ex illis cùm Remonstrantes , tum Pontificii doctrinam Ecclesiæ Reformatæ calumniandi ansam sumerent. Vigesimo Aprilis , prælectus est Synodaliū Canonum Epilogus , prout à Deputatis compositus erat ; quo continebatur etiam absterfio calumniarum quarundam , quibus Ecclesiarum Belgicarum doctrinam petunt Remonstrantes. Aliquot alias phrasas rejiciendas adhuc censuerunt Angli , ac in primis hæc duas : *Deum movere hominum linguas ad blasphemandum , & hominem plus boni facere non posse , quàm facit. Hæc* faci ac Bremenses varios alios loquendi modos quoque collegerant , quos multis rationibus adjiciendos superioribus ostendebant. Rogationem suffragiorum Provincialium in actionem pomeridianam Præses distulit , quòd Exteri sententiis non congruerent ; monuitque Professores Belgas , ut in horam quartam rationes utrimque allatas perpenderent. Cùm convenisset*



nisset post meridiem iterum Synodus, Præses, antequam in rogandis suffragiis pergeret, petiit à Synodo, ut audire velit quæ ipse unà cum Adfessoribus interim de refectione duriorum loquutionum conceperat : ac ut Synodus hæc duo ponderaret, primò neminem ex Theologis Belgis res istiusmodi unquam aut scripsisse, aut docuisse : ac proinde non spectare illas ad hanc Synodum, quæ tantum Belgica esset. Secundo, Doctores illos, apud quos hæc duriora dicta reperiuntur, esse vel Theologos Anglos, vel Gallos, vel Germanos ; qui cum à suis Principibus & Ecclesiis ob ea non essent notati, verisimile esse Principes illos & Ecclesias exteras agrè laturas, si Synodus hæc Nationalis illis ob ea aliquam censuram infligeret. Sub hæc Epilogus denuò aliter conceptus prælectus est. Serio urere Angli plures loquendi modos esse rejiciendos ac in primis eos, quos ante meridiem memoraverant. Ad duas Præsidis rationes in hunc modum responderunt : ad primam quidem *Remonstrantes in declarationibus suis Synodo exhibitis multa loca Contra-Remonstrantium, ipsos libros & paginas citare, in quibus res istiusmodi scripserint ; nisi itaque Synodus talia dicta rejiciat, non posse Belgas ab iis calumniis liberari.* Ad secundam, *Theologos exteros non debere quidem in Synodo notari, verum si quid dixerint aut scripserint, quod cedat Reformatæ Ecclesiæ in contumeliam, illud posse Synodum, cujuscumque demùm sit, rejicere : neque hoc debere Synodum morari, quòd fortè non fuissent Belgæ ; hæc enim ratione Synodo nihil permitti in Socinum, cujus tamen dogmata sæpius quàm semel in Canonibus damnabat ; neque debuisse Regem Magnæ Britanniæ aliquid adversus Vorstium statuere, qui ipsius subditus non erat : nec posse aliquam Ecclesiam Reformatam id agrè ferre, cum nihil rejici cupiant, quod consensu alicujus Reformatæ Ecclesiæ comprobatum sit,*

sess. 132.  
Contentio ob  
id in  
Synodo.

fit, cupere se tantum, ut illa sententia rejiciatur, neminem posse plus boni facere, quam facit, cum exinde nulli Reformato Doctore vitâ defuncto aliqua inferatur contumelia; siquidem sententia fit heri tantum nata, quæ vix septimum ætatis suæ numeret annum. Reliqui Exteri se, pacis causâ, in prælecta formula acquiescere dixerunt. Provinciales autem omnes eam probabant. Contendebant multis rationibus Professores Belgæ, non debere Synodum dicta virorum, alioqui optimè de Ecclesia Reformata meritorum, ullâ censurâ notare. Aiebat tamen Sibrandus, negari non posse, quin aliqui in Belgio duriora quadam docuerint, quam essent illa, quæ Theologi Britannii in Catalogo suo annotaverant. Sub finem monuit Præses, cum hæc esset res ad ordinem spectans, non ad doctrinam solam, consulendos esse Delegatos; qui rogati sese deliberaturos, tuumque judicium in crastinum diem pronunciaturos dixerunt. Lectum postridie Epilogum D. Delegati probarunt, rogaruntque omnia Synodi Membra, ut, si fieri posset, in eo acquiescerent. Vehementer tamen flagitarunt Angli, ut aliquot aliæ loquutiones duræ rejicerentur, ac in primis hæc, *hominem non plus boni facere posse, quam facit.* Verum si hoc obtineri nequiret, ut darent hoc paci, aliquis ex ipsis monuit ampliandam esse illam sententiam, addendo, (*& quæ alia sunt hujus generis plurima;*) ut si quando exprobraretur illis aliqua horribilis sententia, quam non rejecerant, illâ parenthesi se excusare possent. Itaque hoc modo acquieverunt, monentes tamen mutanda esse hæc, quæ in Epilogo habentur verba; *doctrinam Reformatarum Ecclesiarum censendam esse eam quæ hisce Canonibus continetur. A Rege suo se missos aiebant, non autem à suis Ecclesiis, nullam ipsis factam*

Angli  
quædam  
etiam in  
Epilogo  
repre-  
hendunt.

factam potestatem, quâ possent Ecclesiarum suarum confessiones explicare, se privata sua iudicia tantum pronunciaffe, quæ vera esse ipsi putarent: multis rebus in Canonibus tamquam veris adensos fuisse, de quibus ne verbum quidem in Ecclesiarum suarum habeatur confessionibus, quod non viderent quidquam iis contineri, quod illis confessionibus repugneret. Reliqui omnes Epilogum probarunt. Relecti postridie Canones ab omnibus solemniter subscripti sunt. Sequenti die, proposita est Censura personalis, quæ jam concepta erat, quâ Citatis tam Ecclesiastica, quàm Academica munera adimebantur, donec falsarum suarum doctrinarum eos pœniteret, idque signis perspicuis coram Ecclesiis Belgicis testatum facere possent; ac reliqui Remonstrantes ad Synodos Provinciales rejiciebantur, ut ab iis eò adducerentur, ut à sua sententia desisterent, sin minùs eodem modo ac reliqui haberentur. Se se hisce immiscere noluerunt Angli, dicentes, se exposuisse sententiam suam de doctrina; at sibi de aliorum subditis iudicium adrogare nolle. Idem sentiebant Exterorum plurimi.

Censura  
in perso-  
nas de-  
cernitur.

Postquàm sequenti Sessione prælecta iterum esset, probata est. Anglis tamen sententia stetit non ferre iudicium, quod & sentiebant Hassiaci. Scripsit de hisce ad Angliæ Legatum Balcanquallus hunc in modum, tandem operi nostro de quinque articulis coronidem imposuimus. Quantum laboris in ultimis Sessionibus exantlaverimus, nemini nisi experto constare potest, quàmque mirum in modum se gesserint, in primis Præsès, vel cæcus satis viderit. Multum sanè spem omnium de se fefellit. De Censura personali, quod attinet, qua res est magni momenti, nihil nobis innotuerat, nisi eo ipse momento, quo prælegebatur; at quoniam Deputati, qui Hagam cogitabant, diutiùs detineri non debebant, tota Synodus Amen ad eam dicere necesse habuit.

25. Apr.  
Quid de  
ea Angli  
sentiant.

Me-

*Medio tempore, inter Sessionem antemeridianam & pomeridianam, valdè apud Exteros adlaborabant, quò isti Censuræ suffragarentur ; sed nos quidem huic negotio non immiscuimus. Quod solum possum dicere, hoc est: nimis mihi durum videtur, quémque, qui singulis Canonibus non vult subscribere, munere suo moveri. Numquam vetus Ecclesia, numquam ulla Reformata adeò multos articulos servandos proposuit, sub pœna excommunicationis. Nonne itaque crudele fuisset, si omnia, quæ illi volebant, pro Canonibus habita fuissent: exempli gratiâ, illud de absoluta necessitate æqualitatis naturæ, ad nostram redemptionem conficiendam?*

Post  
quædam  
alia acta  
finis  
Synodo  
im-  
positus.

Abso. utâ hoc modo de quinque articulis tractatione, disceptata est quæ inter Sibrandum & Maccovium intercedebat controversia. Postea prælecta fuit Synodo Belgica Confessio ac Catechesis, quæ probatæ fuere. Voluerunt dumtaxat quidam de tribus Confessionis capitibus, quæ de regimine agunt Ecclesiastico, iudicium non esse ferendum. Tandem quoque adversùs Vorstium lata est sententia. Omnibus itaque transactis, sexto Maii Canones summâ pompâ & maximo concursu populi in magno Dordraceno Templo palam è pulpito promulgati fuere; denique splendidissimis epulis Synodo finis impositus, singulæque ejus membra Numismate donata sunt.

Remon-  
stranti-  
bus judi-  
cium  
Synodi  
de suis  
personis  
prælegi-  
tur.

Eodem die, ante meridiem prælectis palàm in Ecclesia Synodi Canonibus, Delegati, ad se accitis Citatis Remonstrantibus, jussu Ordinum Generalium iudicium à Synodo in illorum personas latum prælegerunt, quod hoc fuit. *Synodus post invocatum sanctum Dei nomen, ex ejus verbo noscens quâ potestate sit instructa, insistens etiam vestigiis omnium legitimarum, tam veterum, quàm recentiorum Synodorum, corroborata itidem Il-*

*lust.*

*Iust. ac Præp. D. Ordinum Generalium auctoritate declarat, judicatque eos Ecclesiarum Ministros, qui fautores factionum in Ecclesia ortarum, errorumque Doctores existere, convictos reosque esse corruptæ Religionis, schismatisque in Ecclesia, graviumque præbitorum scandalorum, ac præcipuè eos, qui ad Synodum fuere citati, intoleranda præterea adversus Decreta Magistratum hac in Synodo promulgata, ac contra ipsam Reverendam Synodum pertinaciæ reos esse. Has ob causas, interdicit Synodus antedictos Citatos illicò omnibus Ecclesiasticis Ministeriis, eosque suis muneribus exauctorat, Academicisque officiis indignos judicat; donec seriâ conversione, quæ verbis, operibus, contrariòque agendi modo abundè probata fuerit, Ecclesiæ satisfaciant, ac cum ea verè & plenè in gratiam redeant, atque ad ejus communionem iterum admittantur. Quod ad eorum commodum, totiusque Ecclesiæ gaudium, planè in Christo Domino nostro optamus. Hoc lecto jussi sunt nomine Ordinum Generalium intra urbem Dordracum remanere, donec aliter esset visum. Episcopus Citatorum nomine in hunc modum ad hæc respondit: Deo Dominòque nostro Jesu Christo gratias agimus, quòd nos dignos judicet, qui ob ejus veritatem dedecus hoc patiamur. Quod egimus, bonâ egimus conscientia, sententiâque nostram ex Dei verbo sincerè liberèque proposuimus: ejusque nobis conscientia testimonium reddit, in quo acquiescimus. Scimus à quibus, & quam ob causam hisce afficiamur: à manifestis nostris adversariis latum id esse in nos iudicium ipsimet & vos Domini nostis. Fit hoc ob veritatem, quæ secundum pietatem est, quam defendimus: candelabro lumen imposuimus, vestrisque mentibus id prætulimus, adeòque partibus nostris defuncti sumus. A vobis, Domini, atque à Synodo Deus id exiget, illustri illo die hujus iudicii sui rationem reddere*

Ad id  
Episco-  
pius re-  
spondet.

*coagentur : ibi tota Synodus vòsque Domini fingillatim comparere debetis. Porrò quod ad id attinet, ut hìc adhuc remaneamus, conscientias nostras confulemus, quid hac in re facere nos oporteat. Utinam Domini talem numquam reperiant Judicem, qualem se Synodus erga nos pròbuit. Senator Martinus, hoc, inquit, numquam eveniet; alius autem, non veremur id iudicium, bonam habemus conscientiam. Alii, est Synodi iudicium, nos non iudicamus. Flagitarunt Delegati, ut Remonstrantes se se remanuros illic pollicerentur. At ii à prioribus non recessere dictis, hujúsque Synodalis iudicii apographum postularunt, quod licèt apertè non negaretur, impetrare tamen non potuere. Postea iterùm id petentibus responsum traditum iri, cùm promulgaretur, non autem visum esse Delegatis nunc iis dari.*

24. Maii, postulat-  
tur à Re-  
mon-  
stranti-  
bus, ut  
se se ab-  
stinerent  
à Con-  
cionato-  
rum mu-  
neribus.

Post elapsas duas hebdomadas, vigesimo quarto, nempe, Maii, Remonstrantes ad D. Delegatos venire sunt iussi, quorum numerus tribus Deputatis ab Ordinibus Generalibus Hagâ missis auctus erat. Quæsitum ab iis, cùm à Synodo Nationali muneribus suis essent moti, an se nihilominus Concionatorum functiones hìc obire in animo haberent, vel privatorum instar civium, sub debita Magistratibus suis obedientia, vivere vellent; nulla exhibendo officia Ministrorum, seu magnis, seu parvis Congregationibus eorum, qui cum ipsis in eadem essent sententia. Addebant Ordines iis, qui ita se se tranquillè gererent, pròbituros quo honestè vitam sustentare possent. Duodecim è Citatis unâ voce responderunt, se se in publicis Ecclesiis nullis fun-  
cturos ministeriis; at polliceri non posse, se se nul-  
lum pròbituros officium, seu magnis, seu parvis  
Congregationibus suæ sententiæ addictis, extra publi-  
cas Ecclesias. Quod responsum rationibus con-  
firmarunt. Dixere duo : *propositum quidem sibi*

Quid  
unuf-  
quisque  
ad id  
respon-  
derit.

esse à Ministerio abstinere, sed à sua conscientia impetrare non posse, ut id promittant. Unus Henricus Leo rem promisit. Postridie iterum à Citatis id postulatum est, constantésque in prioribus responso perflitere. Singuli postea circa varias alias res interrogati sunt, ac in primis circa conventum aliquot Remonstrantium Ministrorum, præterito mense Martio Rotterodami celebratum; ad quæ cuncti ita responderunt, ut eorum responsa inter se consentirent.

Per eos dies variis è locis moniti sunt Remonstrantes à suis amicis, rumores ubique esse, eoque verisimiles, magnum illis imminere periculum; adeoque in fugam, dum possent, se se conjicerent, ut majus vitarent malum. In primis Uytenbogardus Antwerpia commorans sollicitus admodum erat, ne Episcopus in carcerem conjiceretur, suasitque ei, ne, cum accerferetur, se sisteret. *Constat, inquiebat, quanti te faciant adversarii, nec dubium, quin in primis te & Grevinchovium vel carceri, vel exilio devoverint. Si exilium solum metuerem brevi decernendum, suaserim te sistas. Sed ut D. Advocatus personam egit Crellii, sic vos Peuceri, Pierii, &c. nostri historiam non ita veterem.* Post hanc actionem, per aliquot iterum hebdomadas Dordraci relictii sunt Remonstrantes. Decimo octavo igitur Junii ad Ordines Generales libellum supplicem misere, quo se ad liberam Synodum vocatos demonstrarunt, sibi que aliquoties salvum conductum fuisse promissum, ipsos nihilominus per multos menses arctè fuisse detentos, detinerique adhuc, quamvis jam diu finita separatæque esset Synodus. Petebant propterea, ut detentione suâ liberarentur, ad fruendum unâ cum aliis Synodi libertate. Septem ex Hollandia Citati libellum supplicem Ordinibus Hollandiæ inscriptum ejusdem argumenti alteri adjecerunt.

19. Maii

Monentur  
Remonstrantes  
ut Dordraci  
discedant,

Perunt  
dum officio  
nem è  
suade-  
tione,

Q

Qui

Qui libelli variis erant confirmati rationibus, quarum inter alias hæc fuit: *Legitimas omnes Synodos semper saluum conductum omnibus promississe, idque præstitisse; imò Concilium Tridentinum id præbuisse Protestantibus.* Nihil autem Scriptis hisce profecerunt. Citati per aliquot adhuc dies æquè arctè Dordraci detenti sunt, donec tandem trigelimo Junii in secundum diem Julii, Hagam venire sint jussi. Illic tertio Julii postularunt ab iis Ordines Generales, ut huic instrumento subscriberent: *Ego subscriptus hocce instrumento bonâ conscientiâ sincerèque promitto ac declaro, me ab hoc tempore & in posterum ab omnibus Ecclesiasticis ministeriis & officiis, vel eo quod ab iis pendere posset, abstenturum, tam clam, quàm palam, directè, vel indirectè, tam intra, quàm extra urbes, pagos, locaque Fœderatarum Provinciarum, aut eorum ditionis; sed prout civem decet, omni modestiâ ac tranquillitate, ut privatum victurum, meque Magistratum jussa observaturum, isque obtemperaturum. In fidem veritatis hoc à me subscriptum est.* Unus Henricus Leo huic instrumento subscripsit. Reliqui omnes unâ voce subscribere recusarunt, rationesque ob quas religioni ducerent subscribere tradiderunt.

Hagam venire jubentur.

Actus cessationis ipsi exhibitus.

Edictum contra Religiosos Remonstrantium Conventus.

Promulgatum eodem die est *Ordinum Generalium Edictum*, quo omnes Religiosi Remonstrantium Conventus severè vetabantur, variæque pœnæ, multæque adversus hujus Edicti transgressores constituebantur; ut, nempe, ii, qui ut Auditores cœtibus hisce interessent, viginti quinque solverent florenos; qui dicere recusarent, quinam unâ cum ipsis cœtibus iis adfuissent, aut cœtus convocassent, viginti quinque florenos insuper solverent; qui tales convocassent Conventus, in iisve Seniorum vel Diaconorum munere functi essent, quotiescumque



que id fecisse compertum esset, ducentos florenos: similiter & iis, qui suas ædes commodassent, ea multa irrogaretur, omniæque munerera adimerentur; qui pecuniam colligerent ad prospiciendum Doctoribus in exilium missis, trecentos florenos; præter hæc arbitraria infligeretur pœnâ, &c. Permittere nihilominus unumquemque propria in domo, absque aliorum, qui extra eam degerent, conventu, pro sua familia vel legendo, cantando, vel monendo, liberum Religionis exercere cultum; censentes hoc modo eos libertate conscientiæ hucusque hisce in regionibus defensa fruituros. Elapso post promulgatum hoc Edictum biduo, quinto Julii horâ sextâ post meridiem, ab Ordinibus Generalibus Citati singillatim iterum rogati sunt, an in sua recusatione persisterent, ac sese persistere declarantibus, prælectum est hoc Decretum.

*Ordines Generales Fœderatarum Provinciarum rectè ac seriò examinatis iis, quæ tam Politici, quàm Ecclesiastici ad Nationalem Synodum Deputati, Illustribus ac Præpotentibus Ordinibus sæpiùs de tredecim Citatorum Remonstrantium, ac duorum, qui se iis adjunxerunt, actionibus renunciarant, durante ejus Synodi celebratione; perpensisque in primis duobus Decretis, quorum unum primo, alterum verò decimo octavo Januarii præteriti illic adversùs illos nomine Ordinum Generalium promulgatum fuit; considerata itidem sententiâ à Synodo sexto Maii sequentis, in ipsos latâ, eaque postea ab Ordinibus probata; ponderato quoque eorum responso ad propositiones quasdam, ac interrogationes à Delegatis Ordinum Generalium vigesimo quinto Maii, Dordraci iis propositas; examinata etiam ipsorum declaratione tertio hujus mensis, hodièque ab iis singillatim iterata, in Conventu nostro, in quo, tamquam Ecclesiasticis muneribus*

Decretum Ordinum quo Citati Remonstrantes Patriâ ejiciuntur.

motis, adeoque privatis, instrumentum est propositum ( ut, nempe, bonâ conscientia sincerèque promitterent ac declararent, ab hoc tempore ac in posterum ab omnibus Ecclesiasticis Ministeriis, & eo quod ab iis pendere possit, se se abstenturos clam vel palam, directè vel indirectè, tam intra quàm extra urbes, pagos ac loca Fœderatarum Provinciarum, & earum ditionum: sed se se civiliter, omni modestiâ ac tranquillitate adhibitâ, privatorum instar victuros, iustaque suorum Magistratum observaturos, iisque obtemperaturos) atque singuli, excepto Henrico Leone, qui instrumento subscripsit, disertè dixerunt, se se ob suas conscientias Illust. ac Præp. Ordinibus parère non posse, quasi ipsis non liceret dona sua communicare cum cœtibus sententiæ ipsorum addictis, qui hoc extra publicas Ecclesias ab iis postularent; quod responsum ac declaratio planè congruebat cum seditiosa, noxia, ac perniciosa conspiratione, & societate aliquot Remonstrantium in modum Antisynodi, absque legitimorum Magistratum adsensu, Rotterodami quinto Martii præteriti facta, quem cœtum notum sibi fuisse vigesimo quinto Maii antedicti illi, vel eorum saltem maxima pars fassi sunt; aded ut ex jam dictis, omnibusque aliis ipsorum actionibus clarè liqueat, ipsos pertinaciter ac sine ulla mutatione continuare in sua intoleranda pervicacia & inobedientia contra legitimum suum Magistratum; quæ nullum alium in finem tendere potest, nisi in majorem animorum in regionibus nostris incolarum distractionem, & perturbationem tam Politicæ, quàm Religionis, quam ipsi hætenus omnibus artibus conati sunt, atque etiamnum conantur alienare ab unanimi ac genuina omnium Reformatorum intra & extra regiones has Ecclesiarum sententiâ; declararunt & hoc præsentî Edicto declarant antedictos Citatos, & qui se iis junxerunt, utpote omnibus Ecclesiasticis muneribus motos, ac proinde privatas tantum perso-

*nas, nempe, Bernberum Vezekium, Henricum Hollingerum, Simonem Episcopium, Joannem Arnoldi Corvinum, Bernardum Duinglonem, Eduardum Poppium, Theophilum Ryckewardum, Philippum Pynackerum, Dominicum Sapma, Isaacum Frederici, Samuelem Naranum, Thomam Gestwinium, Assuerum Matthesium, & Carolum Nielium, per quosdam apparitores ab Illust. ac Præp. Ordinibus Generalibus ad id constitutos, educendos extra Fœderatas Provincias, earumque ditionem, neque illis in eas redire licere; antequam satis compertum habuerint Illust. ac Præp. Ordines illos velle ac paratos esse antedicto instrumento subscribere, ac postea ab Ord. veniam specialem impetraverint; quòd si qui horum faciant contrarium, ii in exemplum aliorum, ut communis tranquillitatis turbatores, pœnam ferent arbitrariam. Actum in Conventu antenominatorum Ord. Generalium, Hagæ Comitum quinto Julii anno MDCXIX. Lectâ hac sententiâ, abire eos jussit Præses, statimque campanulæ sonitu Janitorem accivit, qui eos educeret, dixitque, Ordines de reliquo prospecturos.*

*Petiere hujus Decreti sibi fieri copiam Citati, quæ illis promissa est. Dixit dein cunctorum nomine Episcopus: Domini, quamvis omnem, constituto Decreto ac latâ sententiâ, vocem seram esse sciamus, pace tamen vestrâ breviter dicemus, hisce omnibus nos innocentes affici; nullo modo enim ejus criminis, cujus insimulamur, rei sumus. Quòd Synodi vestrisque Decretis parère noluerimus, innocentes nos esse coram Deo testamur. Antequàm facta ea essent Decreta, monuimus Synodum, iis nos parère non posse, rationesque ob quas id facientium conscientia læderetur. Scripto vestris Delegatis exhibuimus, atque à Synodo ad eas nobis satisfieri poposcimus. Id negatum est, ideòque nostris rationibus non resu-*

Respon-  
sum  
Prote-  
statiòque  
Remon-  
stran-  
tium de  
hoc De-  
creto.

tatis, nihil aliud, nisi grave peccatum commissemus, facere potuimus. Quod attinet ad promissum quod primò vestri Delegati, deinde vos ipsi à nobis flagitatis, ut, nempe, polliceamur nos omnibus Ecclesiasticis muniis abstenturos, utque eum in finem instrumento huic subscriberemus; rationes attulimus, ob quas bonâ conscientiam promittere id non possimus. Obtulimus etiam has rationes latius deductas, pluresque iis adjectas Scripto exhibere. Optavimus fore, ut conscientis nostris, nos erudiendo, satisfaceret; factum id non est, imò ne tentatum quidem; dumtaxat responsum, nobiscum disputationem inire neminem velle. Hac itaque in re, non aliter nos gerere potuimus, quam fecimus. Ideoque circa hæc omnia coram Deo, bonâ ac rectâ usi sumus conscientiam. Quòd ob hæc Patriâ deportari jubeamur, hoc mirum nobis videri, ac inexpectatum evenire fatemur, cum id meritos nos esse conscii nobis non simus; quoniam ad liberam Synodum vocati sumus, sæpiusque salvus conductus nobis promissus sit, fidesque data, nemini ob ea quæ in Synodo ad defensionem ejus causæ tractarentur, vel minimam læsionem fore. Illi fidei credidimus, contrarium autem planè accidit; non solum enim per octo ferme menses extra domos nostras detenti fuimus, verum etiam exsilium jam nobis indicitur, quia id non facimus, quod bonæ conscientie repugnare judicamus. Siquidem verò vobis ita visum est, patienter id nos ferre, Deoque causam nostram commendare oportet. Dominus ille, quem colimus, erit aliquando inter nos & vos Judex.

In Con-  
clavi in-  
cludun-  
tur,

Hiscè dictis, ac nemine quidquam respondente, à Janitore in vicinum Conclave ducti sunt, januæque illicò occlusa fuit. Cùm illic satis diu inclusi sedissent, venit ad eos Janitor, petens ubinam cujusque esset hospitium. Quo scriptis accepto à Remonstrantibus, abiit. Paul-

Paullò pòst autem rediit ad sciscitandum, quonam extra Provincias duci vellent? Ad hæc dixerunt Remonstrantes, *ipsum non tam citò ac illicò decernere posse, sed cum uxoribus amicisque priùs colloqui debere, rebusque suis domesticis prospicere; attamen si tam subito hoc vespertino tempore Patriam deportandi essent, ducerent se quocumque vellent, non enim se statim locum eligere posse, at Deum sibi comitem adfuturum sperare.* Cùm nullum aliud impetraret ab ipsis responsum, Ordinibus hæc renunciavit, posteaque rediens imperavit Remonstrantibus, ut quosdam è suis ad Ordines Generales mitterent, qui cunctorum nomine, quæ dicenda haberent, proponerent. Ideoque intrò ivere Niellius ac Duinglo petentes, ut sibi pauci concederentur dies, ut domos suas se se conferrent, suisque rebus consulere; idque sub tali vadimonio, quale Ordines Generales ipsi proponerent, seque sponsonem justam facturos statuto die se eo in loco, qui ipsis designaretur, sistendi; sibi saltem tempus concedi oportere, ut viaticum ad iter extra Patriam, compararent, cùm educi alicubi vivere deberent, nec sibi adversus hanc inopinatam calamitatem prospexissent. Aliquoties iis hæc proponentibus interfati sunt quidam ex Ordinibus. Paulwius inquebat eos credere non debere Ordines, quamvis ad ea, quæ Episcopus tam audacter dixerat, tacuissent, ea ideò non intellexisse; compertum satis esse quid dixissent, & quomodo se gessissent, in posterum prospectum hisce iri; officium esse Illust. Ordinum consulere tot millenis animabus, quas illi doctrinâ suâ seducebant, & quæ pluris essent, quàm Remonstrantium familiæ; ideoque hos in primis attendendos esse, quomodocumque tandem eorum se haberent familiæ. Muysius ab Holy jocans dicebat, *Non opus esse ut tantam pro suis familiis curam*

Dilationem paucorum dierum petunt ad rebus suis domesticis prospiciendum, polliciti se loco temporeque statuto situros.

gererent , Deum enim, si ab illo extra ordinem ad ministerium suæ Ecclesiæ vocati essent , singularem ipsorum , eorûmque familiarum curam habiturum. Inter alia hisce similia , negabat quoque , ad liberam Synodum ipsos vocatos , vel concessum eis saluum conductum fuisse. Ipsis solummodò sententiam suam liberè proponendi , explicandi ac defendendi in Synodo potestatem factam.

Postulatur eis negatur.

Multis contumeliosis dictis auditis , tandem exire jussi à Præside Plootio , ut Ordines de eorum petitione deliberarent. Renunciavit illis deinde Apparitor , persistere Illust. ac Præpot. Ordines in suo Decreto, quod executioni mandatum volebant. Quod si promittere vellent unumquemque illa vespere ad hospitium suum iturum , nec cum quoquam consilia communicaturum , postridièque paratos omnes fore , ut educerentur hora quartâ matutinâ ; licere illis jam abire , ac in posterum diem deliberare , ad quem locum quisque duci vellet. Id se se facturos polliciti sunt Remonstrantes , eâ tamen conditione , ut neminem quidem ad se accirent , sed si qui sponte ad ipsos venirent , alloquerenturque , eos domo non expellerent. Ergo sub nonâ vespertinam dimissi sunt , & multi eos sunt sequuti , multosque in suis hospitibus invenire ; quò accessere , & alii usque ad seram noctem , valedicentes iis , faustaque precantes. Misere Ordines Generales singulis , eâdem illâ vespere sua stipendia , qua nondum soluta erant. Pecunia hæc nummis Imperialibus numerata iis est. Inter Imperiales Episcopio datos , fuit unus in Ducatu Brunsvicensi cusus ; una ejus facies statuam Veritatis exhibebat , cujus caput cinctum erat hisce verbis : *Veritas vincit omnia*. Pedibus ejus subjectæ erant imagines , quarum uni superscriptum erat , *Calumniæ* , alteri verò , *Mendacium*. In averfa facie nummi,

Singularis Aureus Episcopio traditus.

majusculis characteribus legebatur hæc sententia. *Rectè faciendo, neminem timeas.* Episcopus hunc nummum accuratiùs intuens, agnovit in eo singularem Dei providentiam; quòd ii, qui illum ob benefacta, veritatísque defensionem, bonæque conscientiae studium patriam ejiciebant, in alicquatione ultima quâ illum in exilium mittebant, pecuniæ nummum ei traderent, cujus imago, inscriptioque accommodatæ essent ad illum in suis æumnis solandum. Imperialem hunc margine aureo in ejus rei memoriam circumdari curavit, isque apud ejus consanguineos etiamnum servatur.

Sexto Julii, Remonstrantes satis manè ad iter parati licet essent, non tamen sunt arcessiti; verùm circa horam sextam allati sunt unicuique quinquaginta floreni; singulisque traditum ab Apparitoribus sententiæ Apographum. Simul & ad eos Apparitor venit, rogatum nomine Illust. ac Præp. Ordinum Generalium, quonam quisque vehi vellet? Dedere ei Remonstrantes schedulam; cui singulorum nomina, locaque, ad quæ quisque duci volebat, inscripta erant. Undecim, inter quos fuit Episcopus, Valvicum in Brabantiam se duci voluere. Tum verò Apparitores illicò currus conduxere; sed quoniam antequàm currus parati essent multum temporis absumebatur, plurimique illuc conveniebant, qui lacrymis obortis Remonstrantibus valedicebant, Ordines Generales jam congregati iudici Remonstrantibus per Apparitorem jusserunt, ut statim abirent, sin minus Ordines aliter huic negotio prospecturos esse. Remonstrantes sese paratos responderunt, optarèque, ut aliter prospiceretur, quoniam sine curribus proficisci non possent. Tandem ubi venire currus, Apparitores Aurigas impulerunt,

Belgio  
educun-  
tur.

Duingloni  
venia  
non con-  
ceditur  
intran-  
situ pa-  
rentes  
suos al-  
loquen-  
di.

ut confestim abirent ; adeò ut horâ nonâ Hagâ exierint , magnâ ingruente pluvîâ. Sex currus, unâ cum quatuor Apparitoribus, Valvicum contenderunt : necdum ultimis currubus profectis, venit Procurator Generalis ad eos expellendos. Hi currus per Delphos transeuntes, Delphiportum petebant. Unus autem è Remonstrantibus, nomine Duinglo , cum Delphis transiens non procul ædibus parentum suorum abeslet , petiit ut sibi obiter eos alloqui liceret, ad petendam cistulam, quam Dordraco Hagam contendens illic reliquerat. Sed hoc ei negatum fuit, conductusque in via bajulus, qui petitam cistulam extra portam ad currum detulit. Ubi ventum Valvicum est, jussurunt Remonstrantes Apparitores renunciare Ordinibus Generalibus, quomodo in via se se gessissent, illisque dicere, *illos hæc pœnas non meruisse; tamen eas patienter laturos, remansurosque patriæ amicos, nec pro Ordinibus Generalibus orare destituros.*

Julii die decimo nono, septem è Ministris Remonstrantium, videlicet, Adrianus Borrius, Herboldus Bombergius, Samuel Lansbergius, Wilhelmus Lomannus, Joannes à Galen, Petrus Cupus, & Adrianus Simonis, quia mense Martio, cum aliis è Remonstrantium numero Rotterodamum convenerant, variis que articulos conceperant, quâ ratione Ecclesiis suis finitâ Synodo Dordracenâ inservituri essent, similiter in exsilium sunt missi, & per Apparitores extra Ordinum Generalium territorium deducti. Secuti sunt processus contra singulos Ministros, sententiæ Remonstrantium constanter adherentes.

Post exterorum Theologorum dimissionem, Provincialibus actiones Synodales continua-



tæ sunt, variâque Ecclesiarum Belgicarum Statum spectantia ab iis definita, quæ vulgò *Post-Acta* vocantur. Sessione CLXIV. ut omnes Remonstrantium sententiæ addicti Ecclesiis expellerentur, atque ita sententia ipsorum penitus opprimeretur, hoc Decretum fuit conditum. *Statutum fuit, ad testandum in orthodoxa doctrina consensum, omnes & singulos Verbi divini Ministros debere subscribere Confessione & Catechismo harum Ecclesiarum, & Canonibus seu Declarationibus hujus Synodi; atque ut perversa nonnullorum effugia in hac subscriptione præcaveantur, ut subscriptioni hæc præmittatur formula. quæ prælecta fuit atque approbata. Nos infra scripti Ministri Verbi divini sortiti sub Classe N. declaramus sincerè & bona cum conscientia coram Deo, hac nostrâ subscriptione, nos corde sentire ac credere omnes articulos & singula capita doctrinæ, in hac Confessione & Catechesi Reformatarum Ecclesiarum Belgicarum comprehensa, & simul etiam Declarationem nonnullorum ejusdem doctrinæ articulorum in Synodo Nationali anno millesimo sexcentesimo & decimo nono Dordraci factam, per omnia cum Verbo Dei consentire. Quapropter promittimus nos hanc eandem doctrinam diligenter esse tradituros, & fideliter propugnaturos: neque quidquam adversus illam doctrinam publicè aut privatim, directè aut indirectè docturos esse aut scripturos: uti quoque nos non tantùm omnes errores huic doctrinæ contrarios, ac nominatim etiam illos, qui in hac prædicta Synodo sunt condemnati, rejicere, sed etiam eosdem velle refutare, eisdem nos opponere, atque omnem dare operam, ut ab Ecclesiis arceantur. Quòd si verò posthac fortè eveniat, nos adversus hanc doctrinam aut considerationem, aut sententiam diversam fovere; promittimus etiam nos eandem nec publicè, nec privatim proposituros, docturos, aut defensuros,*

*five Concionibus, five Scriptis : Sed nos eandem priùs Presbyterio, Classi, & Synodo manifestavimus, ut ibidem examinetur ; parati semper nos iudicio Presbyterii, Classis, aut Synodi subicere volenti animo, sub pœna, si contrarium à nobis fiat, ut ipso factò à muneribus nostris suspendamur. Si autem Presbyterium, Classis, aut Synodus aliquando propter graves suspicionum causas, ad conservandam doctrinæ unitatem ac sinceritatem, postulare voluerit à nobis, ut sententiam nostram super articulo aliquo hujus Confessionis, Catechismi, aut Declarationum Synodicarum, latius exponamus ; promittimus etiam simul, nos omni tempore ad præstandam hanc Declarationem promptos paratòsque fore, sub eadem, quæ suprà dicta fuit, pœna : servato nobis tamen jure appellationis, si fortè sententiâ Presbyterii, Classis, aut Synodi gravatos nos existimaverimus : quâ appellatione durante, nos sententiæ & constitutioni Synodi Provincialis acquiescemus.*

Solutâ Synodo Nationali, Synodi Provinciales in suis quæque Provinciis habitæ sunt ; omnesque qui formulæ modò memoratæ subscribere recusarunt, ministeriis suis privati. Non pauci, qui se sententiæ Remonstrantium addictos antea professi fuerant, ne eandem sortem subirent, subscripserunt. Ducenti circiter, ob negatam subscriptionem, muneribus suis moti sunt ; quorum pars major in exilium missa, reliqui subscriptione instrumenti, quo se ab omni functione Ecclesiastica, etiam in privatis ædibus, abstinere velle solemniter promiserunt, exilium redemerunt. Hanc Ecclesiæ Reformationem comitata est Academia Reformatio, ut quidquid Remonstrantium saperet eliminaretur.

Jam quarto die Julii, Ordines Hollandiæ,  
Prin-

Principi Auriaco , ac Curatoribus Academiæ  
 extraordinariam dedere potestatem , unâ cum  
 quibusdam Deputatis è Magistratu Delfensi,  
 Harlemensi, & Alcmariensi, aliquot è Professo-  
 ribus, & Regentes Collegii Ordinum exaucto-  
 randi ; quod ordinariâ suâ potestate, juxta Sta-  
 tuta Academiæ, Curatores non poterant ; aliô-  
 que nominandi, ut ex illorum numero Curato-  
 res ac Consules Leidenses, consulto priùs Prin-  
 cipe Auriaco , alios in exauctoratorum locum  
 Professores ac Collegii Regentes surrogare  
 quirent. Hi potestate sibi mandatâ, post fru-  
 stra tentatum Petrum Molinæum , tres in  
 Theologia elegerunt Professores , Andream Ri-  
 vetum , Antonium Walæum , & Antonium  
 Thyfium : Regentem Collegii Gerardum Joan-  
 nem Voffium perpulerunt, ut munus suum ipso-  
 rum arbitrio resignaret , spe factâ professionis  
 ipsi demandandæ , qua sine Facultatis Theolo-  
 gicæ præjudicio fungi posset : Barlæum Subre-  
 gentem munere suo abdicarunt : in Voffii lo-  
 cum surrogatus est Festus Hommius, in Barlæi  
 Daniel Sinapius. Quin & Collegii Oeconomus  
 remotus, aliûsque in ejus locum substitutus est.  
 Tandem & alumni à Ministris Verbi Divini sunt  
 examinati ; & quicumque sententiæ Remon-  
 strantium addicti deprehensi fuerunt , neque il-  
 li renunciarunt , Collegio ejecti. Ita constitutâ  
 Facultate Theologicâ, placuit, & in aliis Facul-  
 tatibus, reformationem quamdam adhibere.  
 Itaque Petro Bertio Etices , Caspari Barlæo  
 Subregenti Logicæ professio ademta. Voffio  
 concessum ad tempus stipendium octingento-  
 rum florenorum , quousque Curatoribus pla-  
 ceret ; professio nulla demandata , & interdi-  
 ctum ne ullos domi suæ haberet commensales,  
 neu Collegia disputantium, sive domi suæ, sive  
 alibi

alibi aperiret. Wilhelmus Coddæus Hebrææ linguæ, & Gilbertus Jacchæus Philosophiæ Professores, suspensione muneris sui, sunt puniti, acriq̄ue censurâ notati, additâ comminatione depositionis, si quid contra Politiam, aut Ecclesiam committerent; nihilominus sub spe quòd pacatè essent victuri, aliòsque suo exemplo ad imitationem provocaturi, ipsis stipendium, aut aliqua illius pars ad arbitrium Curatorum & Consulum Leidensium continuatum est, usque dum aliter constitutum fuisset, ita tamen, ut Senatam Academicum non ingrederentur. Joannes Meursius Græcæ linguæ Professor acri censurâ est notatus: & quoniam multorum librorum conscriptio verisimiliter ordinaria ejus studia valdè impediret, ipsi mandatum fuit, ut à tot libris scribendis abstineat, additâ comminatione, nisi laborem suum Curatoribus post sex menses denuò conventuris probavisset, alium Græcæ linguæ Professore in ejus locum eligendum: simulque vetitum, ne Senatui Academico interesset. Tandem & Cornelius Sylvius, Professor Institutionum Juris, munere suo abdicatus est; qui tamen seriò se ab omnibus, quorum accusabatur, defendit. Hic fuit exitus Synodi Dordracenæ, omniumque Actionum Synodaliùm.

Quoniam autem Remonstrantes de Synodi hujus iniquitate passim in Scriptis suis conquerruntur, Contra-Remonstrantes verò illius procedendi modum, ac Decreta laudibus in cœlum efferre solent, adeò ut Jacobus Cappellus in disputatione, an Arminiani sententia potuerit tolerari, Thef. xi. i. disp. Sedan. Part. 1. pag. 936. dicere non vereatur, *Eam Dordracenorum Patrum æquitatem fuisse, ut post Apostolorum obitum Synodi nullius exstet memoria, quæ citatos Hæreti-*

*cos patientiùs audierit , moderatiùs tractaverit , & sanctiùs judicaverit ; operæ pretium judicavi Lutheranorum de hac Synodo judicia quædam adscribere. Non diu post habitam Synodum Dordracenam, anno hujus sæculi XXI. edidere Theologi Wittebergenfes linguâ Germanicâ admonitionem ad Lutheranos in Bohemia , &c. in qua inter alia judicium suum de hac Synodo sic enunciant. Porro quid boni nobis ab hisce fratribus nostris sperandum sit , faciliè ex Synodo Dordracena, & processu eam secuto colligi potest. Orta est inter Calvinistas & Arminianos contentio, præcipuè super articulo de gratia, seu prædestinatione. In qua Arminiani nostram , reliqui Calvinii sententiam defenderunt : in qua contentione eâ Calvinistæ usi sunt vehementiâ, ut Arminianos (quos ad sui defensionem admittere noluerunt ) ipsorumque doctrinam per præcipitatum hujus Synodi Decretum condemnarint, Religionis exercitium iis ademerint , præcipuos eorum Concionatores perpetuo exsilio multarint. Nonne hic egregius erga fratres fuit processus ? Si hoc fecerint contra illos, qui ab ipsis in uno præcipuè articulo de gratia dissentiebant , quid esset nobis expectandum , qui in tot articulis ab ipsis dissentimus ? Prudens quisque quid intendant, faciliè animadvertet. Illud unicè conantur die ac nocte, ut brachium sæculare sibi habeant addictum, aliquisque religioni eorum addictus ad supremam dignitatem evehatur. Si hoc obtineant, tum Generalis Synodus in Germania convocabitur : in ea Domini Calvinistæ præsidebunt, totius actionis penes illos erit directio, pro arbitrio suo judicabunt, nos neutiquam audient, nec ut Synodi adsesores admittent, sed subito, perinde ac Dordraci, doctrinam nostram unanimi Decreto tamquam falsam condemnabunt, exercitio illius nobis interdicient, Lutheranos Doctores ejicient, & nisi Deus prohibeat, Religionem nostram penitus*

exterminabunt. Inde concludimus memoratam fraternitatem ipsis non esse cordi, sed eam aliquamdiu ab illis speciosè ostentatam, donec aliud ipsis placeat, ipsique in Ecclesias nostras dominatum consequantur, &c. Quòd si etiam contingat Calvinistam principem quandoque ad dignitatem Imperialem evehi, eorum spiritus magnam edet lanienam, & nos miseri Lutherani tamquam oves ab hisce fratribus nostris mactabimur. Quoniam hæc apud illos regula valet, Heretici gladio sunt extirpandi, & una tantum, vera, nempe, Religio in Christiana politia est toleranda, quemadmodum Calvinus, Beza, & alii scribunt. Tum porro subsument: Lutherani sunt Heretici, nimirum, Nestoriani, Eutychniani, Pelagiani. Inde sanguinaria sequetur conclusio: Ergo Lutherani gladio sunt exterminandi. Hæc tandem est conclusio fratrum nostrorum Calvinistarum; id boni nobis ab ipsis promittere possumus. Æsopica est fraternitas quam nobis offerunt, qualem amicitiam lupo cum ovibus contrahere voluit, ut oves tantò faciliùs capere ac devorare posset. Nemo itaque seduci se patiatur, amicâ appellatione fraternitatis, exitium nostrum eâ intenditur, & quicumque se ad Calvinistas confert, reum se facit fraudis quam ipsi tegunt, omniumque malorum moliminum, quacumque contra Ecclesias Lutheranas præcipuè machinati sunt.

ANNO MDCCXXVI. Nicolaus Hummius Ecclesiæ Lubecensis Superintendens, edidit διὰ σκεψιν Theologicam de Fundamentali dissensu doctrinæ Evangelicæ-Lutheranæ, & Calvinianæ, seu Reformatae. Illi præfixa est consideratio, quâ prolixè iudicium suum scribit de Synodo Dordracena, ostenditque, Calvinistas omnes conditiones, quas in admonitione Neostadiana & Parræus in Irenico suo à Lutheranis in Synodo requirunt, Remonstrantibus negasse, ac diffusissimè

simè id ostendit in decima conditione, quòd urserint Synodum liberam & legitimam. Ipse autem ostendit Synodum Dordracenam nec liberam fuisse, nec legitimam: 1. ratione personarum, de quarum ubi qualitate agit, inter alia in hæc verba erumpit: *Eventus etiam docuit, nil aliud Synodum egisse, quàm ut confirmaret quæ priùs in particularibus Synodis, imò etiam in privatis Scriptis adversùs Remonstrantes actitata passim leguntur: ita nusquam & numquam odia deposita vel memorantur, vel deprehenduntur. Certè omnia præjudiciis non minùs Dordraci, quàm Tridenti fuisse gesta, Decretis & Actis tam fit clarum, quàm lux splendet meridiana.* 2. ratione loci. 3. ratione processûs. 4. ratione terminationis. 5. ratione consequentium. Quæ ubi omnia fusè ac solidè demonstravit, tandem talem habet conclusionem: *Synodus quidem protestata fuit, se nullius conscientiam gravaturam, p. 88. 118. At si omnium, quotquot Adseffores interfuerunt, conscientia forent excutiendæ, nullam repertum iri certus sum, quæ Remonstrantium conscientiam ab iis convictam possit affirmare; cum id ne quidem conati sint præstare, nedum factò præstiterint. Vide Sess. XI. p. 153. & Sess. XLVI. p. Ita nimirum & decima Reformatorum hypocrisis omnium conspectui est exposita: demonstratum etiam satis luculenter, qualem Synodum Reformati in corde suo expetierint, per hoc tempus benè longum; nimirum, toto cælo ab ejus descriptione, nobis adeò speciosè exhibita, discrepantem: summâ ad ingenium papale compositam, quâ pari violentiâ nostras Ecclesias supprimerent, atque fecerunt fratribus suis Remonstrantibus, multò propiore cognatione junctis. In proverbio est, ex ungue leonem. Quis non videt leoninum unguem Reformatorum, quem tanto cum ornatu & pompa toti mundo ceu agnimum ostentarunt? Benè autem factum,*

ut in se invicem potius isti scirent, quàm Ecclesiis nostris pro suo voto imponerent. Nunc nos magis etiam aliorum damno sapiamus, certiores quàm antè, Reformato, nec aliam, nec alius formæ Synodum umquam desiderasse, quàm, cujus exemplar ac typum nobis Dordraci exhibuerunt. Id cum ex Aëtis superiorum temporum prudentiores perspectum haberent, ut in fraternitatem spirituales, tanto molimine expetitam, ipsi non consentirent, & ne alii incauti consentirent, debortati fuerunt; Reformatorum calumniis, multorum etiam bonorum, sed minùs prudentium, immaturis judiciis, quin & indignationi fuerunt expositi. Acquiescent nunc spero utique, nimirum, re perspectâ, & cessabunt Reformati Theologorum, sic dictam, importunitatem ceu Christianis hominibus indignam exagitare: desinent alii, quos ovina pellis decepit, prudenti morositati Theologorum à lupi, profectò scivi, amicitia, nimirum, periculosâ advocantium, succensere, aut saltem iniquius de illa judicare.

Hiscè similia vide apud Petrum Haberkornium, Professorem & Superintendentem Giffensem, contra Syncretismum admonitione, disp. IV. pag. 75. & seqq. & in Hulfemanni Calvinismo irreconciliabili, pag. 185. 186. ac tandem in Calovii Consideratione Arminianismi, pag. 3. 4. quem locum, quia brevior est, hîc adscribam. Quæ (Synodus Nationalis) postmodum anno CIOIOCXVIII. Dordraci celebrata fuit, missis etiam ab Exteris Reformatæ Religionis Principibus & Rebus publicis, Legatis & destinatis: sed ita celebrata, ut conditiones, quas legitimis Synodis præscripsere Neostadiensis in Admonitione, D. Paræus in Irenico, neuiquam servarint Arminianis Calvinistæ; quin contrario processu, neque liberam, neque securam, neque ullo modo æquam permiserint Synodum, sed iniquitatem cum insigni hypocrisi, demonstrante luculenter



culenter B. Nicol. Hunnio in præfatione διακόνε-  
 ζεως de fundamentali diffensu Calvinianorum &  
 Lutheranorum, in flagitanda & definienda Synodo,  
 orbi Christiano patefecerint. Quam verò non tam  
 excusat, quàm graviter accusat, aut convincit arro-  
 gantissima illa ἀεὶ φάσις Palatinorum, quæ ipsis  
 Synodi Actis Sess. xxix. inserta est, quòd, nempe,  
 Ursinus & Paræus contra conciliabula Luthera-  
 norum scripserint, quæ tantùm differunt ab hac  
 Synodo, quàm cœlum à terra distat. Scilicet,  
 aliis tantùm leges præscribunt Reformati, non  
 sibi.

His Lutheranorum judiciis tandem subjun-  
 gam Ludovici Molinæ, Scriptoris Reformati,  
 ac Petri Molinæ filii, iudicium; quod ex fa-  
 vore erga Remonstrantes aut eorum sententiam  
 esse profectum nemo suspicari potest, sed vi ve-  
 ritatis fuisse expressum, res ipsa clamat. Is er-  
 go in *parænesi ad ædificatores Imperii in Imperio*,  
*cap. xxiiii. §. 7. pag. 624* tale de Synodo Dordra-  
 cæna pronunciat iudicium. *Synodi Veteris Eccle-  
 siae semper circumagebantur ad nutum Imperatorum  
 & Regum, qui eas convocaverant. Sic Nicæna II.  
 pro Imaginum cultu definiit, quia Irene, quæ eam  
 indixerat, eas perditè deperibat: ut ejus decessores  
 iconomachi dicti, tam infensas Imaginibus habuerant  
 Synodos, quàm ipsi eas abrogare satagebant. Ob-  
 servat Socrates lib. 2. Hist. cap. 29. Ursacium & Va-  
 lentem in omnibus Synodis se semper ad sententiam  
 eorum qui eas convocaverant attemperavisse, αὐτῶν  
 ἀεὶ ἢς ἐπιταγῶντας ἐπέκλινον. Quod si vocati sunt  
 immoti & impenetrabiles, saltem non alios summa  
 potestas ablegabit ad Synodum, quàm quos adsertores  
 noverit sui dogmatis. Quod quidem sapienter fecit  
 summa potestas in Belgio, cùm convocavit Synodum  
 Dordracum, ad cuius nutum actos fuisse Patres Sy-  
 nodi non dixerim, ut qui sententiam dixerunt, non*

quia grata erat Principibus suis, sed quia ita sentiebant: nihilominus si ab Arminianis stetit potētissimi Ordines, haud dubium potuissent pari facilitate cogere Synodum ex solis Arminianis. Interim non gravabor affirmare, auctoritatem Synodi Dordracenæ humanam fuisse, tum Patres Dordracenos non sedisse medios dubiosque partibus, ut æquum est in omni iudicio, sed Judices & partes fuisse, unque parti addictos; ac proinde non potuisse Arminianos non cadere causâ coram eorum tribunali, non quia causâ, sed quia numero inferiores essent; procul dubio perinde à Patribus profligandos, si secundum hos veritas stetit. Quocirca causæ non deerant, cur Arminiani se tuerentur exceptione fori, eadem reponentes quæ Carolus Molinæus, & recognitores Concilii Tridentini; quæ sanè omnium Conciliorum auctoritatem ex æquo infirmant & elevant. 1. Iniquum est se submittere iudicio partis adversæ: ideò Athanasius discessit ex Concilio convocato in Tyro à Constantino, quòd animadverteret præcipuos Concilii viros Judicis & partis munere functuros. 2. Nec minùs iniquum est, ut socii partium litigantium in iudicio sedeant: nam id abhorret ab omni ratione iudicii & fori. 3. Æquum fuisset in Synodo Dordracena, ut pars alterutra cujusquam non subiisset iudicium, quem saltem communi consensu partium litigantium non elegisset, aut causæ suæ, Religioni, aut personæ adversum novisset. Unde magnâ æquitate Reges Galliæ Reformatis concesserunt Camera, quam vocant, Edicti, in quo Reformati causa iudicatur. Sed tempus est, ut ad Episcopium revertamur.

Non diu Valvici fuerant Remonstrantes, cùm illuc Silvæducentis venit Episcopus. Moniti fuere à Domino Valvici, eos Episcopum alloqui debere, ut veniam impetrarent liberè illic commorandi. Episcopo ac Niellio rem reliqui

Episcopus & Niellius cunctorum nomine Episcopo-

man-

mandarunt Remonstrantes. Comiter eos excepit Episcopus, flagitavitque, ut tres quatuorve è Remonstrantibus postridie cum ipso pranderent in Monasterio, quod illic est. Libenter recusassent Remonstrantes præ metu, ne hoc ansam præberet calumniis in Hollandia. Episcopus tamen dimittere eos noluit, nisi pollicerentur. Itaque alii Remonstrantes eisdem rogarunt, ut convivio se sisterent. Adfuere quoque duo Jesuitæ, ac duo Dominicani. Episcopo, Niellioque ingressis perbenignè dextram porrexit Episcopus, hisce eos alloquutus verbis: *Salvete ex animo, fratres; vos fratres appello, etsi in multis Religionis articulis discrepamus, quarimus enim per unum Christum salutem nostram. Ob afflictionem vestram ex animo doleo. Dux Albaduris Edictis, severisque persecutionibus Catholicæ Religioni magnum attulit detrimentum, nostrisque rebus summopere nocuit. Mirum erit, si Ordines rebus suis consulant iis artibus, quæ nos perdidere.* Colloquium cum Episcopo, duobus Jesuitis, & duobus Dominicanis.

Sub finem convivii, varii de actionibus Dordracenis inciderunt sermones. Episcopus aiebat, *Summam Remonstrantibus factam esse injuriam, ipsos ob bonam causam vexari, intellectuque facilem. Sententiam verò contrariam, quam oppugnabant, Deo summopere esse indignam, ejusque Majestati sub titulo gratiæ erga paucos electos, deterrimam tyrannidem in totum genus humanum affingere; se se nullum errorem tantopere horrere, quàm hunc. Jesuitæ ei adfensi sunt, verùm Dominicani mutato vultu dixere, prudenter errores Calvinianos impugnandos esse, cavendumque ne præ nimio eos refutandi zelo, in noxios Pelagii errores recidamus. Ad id Episcopus, se se hoc in negotio non querere subtilitates, profundasve speculationes, verùm se putare horribilem esse in Deum blasphemiam, credere eum in homines sævire, eosque damnare, ob crimen, quod*

Pastor  
Valvici  
à Domi-  
nicanis  
instigatus  
adversus  
Remon-  
strantes  
concio-  
natur.

*quin committant, vitare nequeunt.* Jesuitæ pleno ore hisce adsentiebantur. Ardebat verò Dominicanis vultus præ ira, nihil tamen eo tempore ad defensionem suæ causæ dixerunt; at efficere ut Valvici Pastor, eorum sententiæ addictus, sequenti die Dominicâ in Remonstrantes vehementer inveheretur, eos *Semi-Pelagianos* vocaret, *moneretque populum, ut sibi ab illis caveret, quippe qui multò astutiores, pejores, ac periculosiores hæretici essent, quàm Calvinista, vel quilibet alii;* adeò ut plebs, imò & ii Pontificii, qui sub eorum adventum magnâ humanitate erga illos usi erant, accensî exacerbatiq̃ue, hisce acerbis concionibus, illis jam inimici esse inciperent. Valvici Dominus aliquoties vetuit hunc Pastorem coram populo in Remonstrantes ita invehi; verùm cum nihil proficeret, querelas, insciis Remonstrantibus, hac de re ad Episcopum Silvæducensem detulit, qui accitum hunc Pastorem feriò castigavit. Sed cum is Monachus esset Monasterii Tongerloï, ad suum Abbatem provocavit; contenditque Episcopum præscribere sibi non posse, quâ ratione suas componeret conciones. Episcopus, se juri Abbatis Tongerloënsis nihil detrahare velle, respondit, quòd si illic inter suos Monachos oppugnare vellet Pelagianos, licitum id ei esse; verum parochiam Valvici à Præfectura Silvæ-Ducis pendere; vetuitque eum illic rursus suggestum adscendere, donec ab hisce se abstenturum pollicitus esset.

In ejus  
loc in  
aliis ab  
Episcopo  
mittitur.

Sequente die Dominicâ, doctum illuc misit Franciscanum, qui refutavit omnia, quæ alter adversus Remonstrantes effutierat, suòque monuit Catholicos, ut illos omni amore, misericordiâque prosequerentur, & dixit, *summam iis fieri injuriam, doctos, piòsque viros esse, qui in*  
Reli-

*Religione erroribus suis quidem o'moxii essent; utpote in quibus parentes eos à teneris unguiculis nutrivant; sententiam autem, propter quam hæc paterentur, Catholicam esse veritatem.*

Dum Valvici essent Remonstrantes, fama tenuit in Hollandia, in illos Domino ejus loci, Episcopoque Silvæducenti id promissum ( ut nempe, a concionando se abstinerent ) ac jurejurando & subscriptione confirmasse, quod in Patria Ordinibus recusaverant; adeoque eos conscientiam non fuisse motos, ad negandam suis Magistratibus obedientiam, sed tantum summam pertinaciam. Remonstrantes, ad tuendam suam famam, testimonium hujus rei à Domino Valvici petiere, qui eis hoc tradidit testimonium: *Ego Joannes à Leefdael, Dominus Valvici, declaro, attestorque hoc instrumento, me à nemine eorum Ministrorum (quos Illust. ac Præp. Ordinibus Fœderatarum Provinciarum in antedictum locum vehi placuit) directè vel indirectè, generatim vel particulatim, ullum juramentum, promissumve exegisse, nedum ab iis præstitum, vel per meos Prætores præstari ab ipsis curasse; meque id facere, fieri curare à nemine mandatum habuisse. Verum quidem est, me à suprascriptis Ministris nomina sententiæque in ipsos latis petiisse, ut scirem, quinam essent, quomodo & quapropter in suprascriptum locum ducti essent: declarans porro Reverendum Dominum Episcopum Silvæducentem (cùm illi dixissem me intellexisse in Hollandia rumores spargi, ipsum, meque subscribendum iis Ministris jusjurandum obtulisse) mihi declarasse ac confirmasse, ipsum id numquam fecisse, vel per alium fieri curasse. Cùm autem æquum justumque veritati exhibere testimonium oratus sim, hoc propria meâ manu scripsi ac subscripsi bonâ fide.* Actum 1. Decembris anno

Rumores sparsi de quibusdam promissis à Remonstrantibus factis.

Testimonium Domini Valvici circa hæc promissa.

M. DCXIX. *Subscriptum erat Joannes à Leefdael Dominus Valvici. Ipse Episcopus eâ æquitate fuit, ut non tantùm Remonstrantes ad id promittendum non impulerit, verùm etiam sponte dixerit, se se ab ipsis id postulare nolle, cùm tam ipse, quàm alii Catholici nollent in Hollandia, aliisve in locis, talia promittere.* Dicebat tantùm, illos benè nosse, sub quibus legibus in Brabantia viveretur, iis enim non majorem facultatem ad Religionis suæ cultum palam celebrandum concedi posse, quàm Catholicis in Hollandia. Si quid adversus leges committerent, illos æquè ac alios pœnas lege constitutas subire oportere. Permissum ipsis esse, ut se se invicem convenirent, imò cum doctis viris collationes circa Religionis controversias inirent; non verò ut Conventus plebis celebrarent, vel Catholicos in suas Congregationes intromitterent, vel idiotas disputationibus aggredirentur. Sub idem tempus scripsit Episcopus duos adversus Synodum Dordracenam libellos: unum Latinè, præfixo titulo *Synodi Dordracenæ crudelis iniquitas*, qui paullò post Belgicè quoque editus est. Ordinum Generalium Minister, qui titulo Agentis Heidelbergæ residebat, obtinuit, ne libellus hic Catalogo nundinarum Francofurtensium infereretur: nihilominus per totam Germaniam, & in Gallia distractus est. Alter prodiit Belgicè, *Antidotum, continens pressiore declarationem propria & genuinæ sententiæ, quæ in Synodo Nationali Dordracenâ adserta est & stabilita*; qui & postea ab ipso Episcopo in linguam Latinam translatus est.

Episcopus  
duos  
libellos  
scribit.

Episcopus  
cum reliquis  
Remonstrantibus  
Antwerpiam  
venit.

Mense Augusto, Episcopus unà cum multis Ministris exsulibus Valvico Antwerpiam, ubi Uytenbogardus & Grevinchovius commorabantur, se contulit; ut hac ratione Ecclesiis quæ hisce gravibus persecutionibus Pastoribus destitutæ erant, prospicerent. Ibi sub finem Septem-

Septembris , unà Societatem formarunt , & Remonstrantium Societas constituta. ordinem statuerunt , juxta quem eorum Ecclesiis inferviretur. Atque ut hoc rectè executioni mandaretur, tres electi fuere Directores, Uytenbogardus, Episcopus, ac Grevinchovius, qui omnibus Ministris, qui paratos se se profitebantur, neglecto exilio, & severo Ordinum Generalium Edicto in Patriam redire, ac periculo perpetuæ suæ captivitatis , Ecclesias erudire, iisque inculcare cognitionem veritatis, quæ secundum pietatem est , scriptum dabant mandatum ; quo ab iis petebant, ut in ea Ecclesia Ministerium obirent, quæ communi consensu illis decerneretur. Mandatum eò quoque spectabat , ut ab illis Ecclesiis admitterentur. Illis tres alii adjuncti fuerunt, Eduardus Poppius , Carolus Niellius , & Joannes Corvinus, decretumque , ut hi sex in Hollandiam non redirent. Primis tribus data potestas, Ministros ad Ecclesias in Patriam mittendi : sed si quæ alia occurrerent Directionem Ecclesiarum spectantia, ea ad omnes referrentur. Atque ita penes hosce sex Directio Ecclesiarum fuit, quamdiu Antwerpia subsisterent. Exspirantibus autem induciis , necesse fuit aliquam in ratione hujus Directionis mutationem fieri. Inconsultum judicabant Remonstrantes, Uytenbogardum, Episcopium , ac Grevinchovium in Patriam redire ; cum ut expeditiores essent ad Scripta, pro communi causæ Remonstrantium defensione, conscribenda ; tum quia compertum habebant, quanti eos facerent Contra-Remonstrantes, ideoque præsentiori , quàm alios periculo fore expositos. Itaque quoniam extra Patriam ipsis subsistendum fuit, Externi Directores appellati sunt. Quoniam autem extra Patriam absentes res Ecclesiæ , quæ sæpè tam longam

longam moram non ferunt, expedire non poterant, Poppio, Niellio, & Corvino, adjuncti fuere Adrianus Borrius, Isaacus Frederici, & Dominicus Sapma. Verum duo hi postremi, & Corvinus nullo modo permoveri potuerunt, ut onus hoc in se susciperent. Itaque Adrianus Borrius, Carolus Niellius, & Eduardus Poppius soli humeros suos oneri huic supposuerunt: & quia in Patriam postea redierunt, vocati sunt Interni Directores, qui in Patria providerent, ne quid res illic detrimenti caperent; negotiaque parvi momenti, & quæ moram non ferrent, peragerent. Verum si quæ majoris inciderent momenti, judicium de hisce Externorum Directorum inquirerent. Per id tempus edita sunt Antwerpia Scripta ea, quæ Remonstrantes in Synodo Dordracena exhibuerant, præfixo hoc titulo: *Acta & Scripta Synodalia Remonstrantium*, satis magnum Volumen constantia, quod anno M. DCXX. ad finem perductum fuit. Interim Ecclesie Remonstrantium miserè vexabantur; nusquam permissum in cœtus religiosos convenire, & sicubi fortè convenirent, præsidia plerisque civitatibus, in quibus numerosæ erant Ecclesie Remonstrantium, imposita sunt; militésque in cœtus inermes solius tantum Religionis causâ congregatos, educti, hominibusque ferocibus ac truculentis arbitrium de fortunis vitæque innoxiorum civium permissum est; qui non rarò in miseros illos impetum fecerunt, & adeò crudeliter ac immaniter grassati sunt, ut nulli nec ætati, nec ordini, nec sexui, parcitum fuerit. sed abrupto omni pudoris honestatisque repagulo, rapinis, stupris, ac cæde innocentissimorum & optimorum civium sævierint, adeò ut campi Rotterodamo vicini nonnumquam sanguine cætorum rubuerint.



Mulctæ Decreto Ordinum constitutæ, sine ulla misericordia, exactæ sunt: si qui pauperiores solvendo non erant, pignoribus ablatis ac hasta subjectis mulctabantur: & ne quis rigor deesset, Confessus Judicum Hollandiæ, quem vulgo Curiam Hollandicam vocamus, 2. Septembris ejusdem anni memorabile edidit Decretum, cujus verba sic habent: *Magistratus Oppidorum, tractuum agri, vicorumque ubi tales (Remonstrantium, scilicet) Conventus habebuntur, aut sponte pro officio suo, aut etiam quasitore interpellante possunt ac debent eos qui Conventibus interfuerunt, aut qui argumentis probabilibus interfuisse dicentur, aut qui sub id tempus eò versus ex Oppidis processerunt, ad se vocare, interrogare, ac jubere juramento se purgare, an talibus Conventibus interfuerint, nec ne: qui jurare recusarint, in eos manum injicere, ac captos eos impensis ipsorum detinere, ut eo modo sine litis forma adversus eos agatur ex Edicto quod contra id genus conventicula Proceres Fœderati fecerunt.* Ex hoc itaque Decreto, actio contra suspectos instituta fuit, multique condemnati, quia juramento se expurgare recusarunt, qui tamen cœtibus interfuisse convinci minimè potuerant. Primo Februarii anni MDCCXX. Decretum anno præcedente promulgatum non tantum confirmatum fuit, sed & novo Decreto præmia constituta proditoribus, quingenti quidem floreni, iis qui Ministrum, trecenti verò qui Ministerii Candidatum, quales vulgò Proponentes vocantur, delatione suâ in carcerem compingi procurarent: Ministris ac Ministerii Candidatis tamquam Patriæ perturbatoribus perpetuus carcer, quin & pœna gravior pro rei exigentia decreta: severissimè præterea interdictum, hospitio Ministrum excipere, aut quovis modo occultare; qui contrarium fecerant,

trecent-

trecentorum florenorum multâ puniti sunt. Edicta hæc severissimè exsequutioni mandata fuerunt : subinde Ministri aliqui comprehensi sunt, in quos perpetui carceris sententia pronunciata fuit : proditoribus pretium quingentorum florenorum fideliter solutum est. Auditores, quotquot cœtibus vetitis interfuisse convicti sunt, aut quicumque accusati aut suspecti juramento se se expurgare recusarunt, in carcerem conjecti, neque nisi multâ persolutâ dimissi. Præcipuè in eos, qui collectioni pecuniæ in Ministrorum proscriptorum usum præerant, aut præesse credebantur, severiter animadvertum est ; nec non in omnes, in quorum ædibus Conventus Religiosi fuere habiti, aut qui Ministros hospitio excepisse convincebantur : quorum quibusdam mille, imò plurium quandoque florenorum multâ irrogata.

Stochius  
Leidæ  
capitur.

Apud  
eum  
epistola  
Episcopi  
inventâ.

Sub initium anni millesimi sexcentissimi vigesimi, conjectus est in carcerem Paulus Stochius, qui à Secretis fuerat Lugduni Orphanorum rescurantibus. Inventæ sunt apud illum duæ epistolæ, quarum una ab Episcopo, altera ab ejus natu maximo fratre Remberto ad illum scripta erat. Episcopi epistola Valvici, quinto Augusti erat exarata, quâ Stochio proponenti compositionem Confessionis respondit, & aliquot movit hac de re difficultates, simul & de aliis rebus, quæ tum Remonstrantibus eveniebant, scripsit. Ex hac epistola multa, in detrimentum Remonstrantium colligi posse, putabant. Heinsius eam in lucem edidit, præfixâ ei longâ epistolâ Dedicatoriâ, Ordinibus Generalibus inscriptâ. Amstelodami quoque cum Adnotationibus edita est. Adversus hæc prælo subjecit Episcopus Scriptum, cui hunc fecit titulum : *Necessaria Remonstrantium Defensio, &c.* Ob epistolam verò Remberti Episcopi, licet levis argumenti

menti, majores excitati sunt motus. Brevis erat & simplex epistola, quâ disjectum fuisse quemdam Remonstrantium Conventum, ac de aliis privatis rebus scribebat. Inter alia hæc fuere verba: *Litteras tuas statim ad tabellarium deferam: crastino die, Deo juvante, si hinc navicula solvat, pisces tibi mittam.* Ad calcem epistolæ adjectum erat: *Hic satis benè res procedunt, si modò continuare liceat: bonus est hoc cælo nebuloso ac tenebroso piscatus. Jacobi pater bonus est piscator, bonas merces hinc venales profert, quæ placere lucrûmque prabituræ videntur, si modò quàm carissimè vendere eas liceret, verùm cum peregrinis agere non licet.* Ultimis hisce verbis innuebat Rembertus, aptas esse illas longas, obscurasque vespertas hyemales, ad clanculum audiendam Concionem, Ministrumque Isaacum Frederici illo tempore maxime adlaborare. Verùm hæc epistola planè aliter intellecta fuit. *Piscatum* significare aiebant collectionem pecuniæ, pro exsulibus Ministris; ideóque iis verbis epistolæ, *cras pisces tibi mittam*, collatam pecuniam indicari: cùm tamen re verâ nihil præter arefactos asellos ad Stochium misisset. Rembertus mercatorem, à quo emti, famulum à quo ad navim portati, nautam à quo transvecti fuerant pisces, indicare licet posset; tamen eò adduci non potuere, ut piscem illum nummos fuisse ne affirmarent. Missa hæc fuit Hagam epistola: indèque Apographum ejus à Graphiario Potfio, decimo quinto Januarii subscriptum, Amstelodamum missum, additumque mandatum, ut Rembertus in carcerem conjiceretur. Decimo sexto itaque Januarii, per apparitorem horâ undecimâ ante meridiem, in Curiam venire jussus est. Petiit dilationem in horam pomeridianam, cùm in obsignandis suis litteris Hamburgum mittendis occupatus eliet, quod

Atque una Remberti Biffchop;

Rembertus Biffchop in Curiam venire jubetur.

quod ei concessum fuit. Operam interim dedit ut sciscitaretur, utrum ob Stochii negotium acciretur; & an periculum esset, ne in carcerem detruderetur. Nihil tamen nec ipse explicari potuit, neque ullus amicorum, qui hac in re ipsi operam navabant suam: quod malum omen habuit. Ejus uxor multis ab eo precibus petiit, ne se sisteret. Redeunti post meridiem Apparitori responsum Rembertum nondum domum venisse. Interim in animo habens se sistere, postridie intentius adhuc inquire curavit, nec ullum tamen accepit responsum, licet ejus uxoris frater *Joannes Episcopus* unus ex natu minimis Senatoribus urbis esset (tam occulte omnia gerebantur) audiensque quosdam, qui tunc maximè res administrabant, aliquoties seridò rogare, an nondum comparuisset; continuis uxoris suæ precibus victus, occurrere se se decrevit. Postridie redeunti Apparitori dixit Remberti uxor, suum maritum venire non posse; sed si quid Magistratus rogare vellent, cui ipsa respondere posset, se quidem ad eos ituram. Illicò rediens Apparitor, eam statim venire jussit. Ubi venit, nemine eam comitante, in Conclave Scabinorum vocata est. Rogarunt eam, *quare ejus maritus non veniret, adeoque inobedientem se praberet; nesciretne esse Magistratum, qui ipsum acciret?* Ad hæc ejus uxor, *suis precibus factum, quominus maritus adesset. Ipsam ex eo, quòd ejus amicus Leidæ in carcerem conjectus esset, metum concepisse, ne quid simile illi accideret; direptionem suarum ædium valetudini suæ tantum nocuisse, ut hanc calamitatem ferre non posset.* Conati sunt illam eò adducere, ut marito suo suaderet, ut se sisteret. Illa se hoc facere posse negavit, oravitque, *ut Magistratus imbecillitati suæ ignoscerent; ac quamvis innocuum suum mari-*

Rembertus se occulrat.

Uxor ejus venire jubetur, & comparret.

tum sciret, se in carcerem ire, omniaque sua amittere bona, imò si necesse esset, mortem subire malle; quàm marito suadere, ut absque datâ sponcione ipsum detentum non iri, se sisteret. Sub hæc multi sermones habiti de Concionibus, quæ, licet vetarent Ediçta, habebantur: ac de obedientia Magillrati- bus debita. Postea in aliud Conclave ejus uxor deduçta fuit. Interim quidam è Scabinis ad Conclave Consulium se contulere, Consul verò Pauvius ad Scabinos venit: donec habitâ deliberatione, Prætor, unâ cum duobus Scabinis, domum Remberti mitterentur, qui jam illuc venerant, ante- quàm uxor ejus domum rediret, plus quàm tres horas in Remberti Episcopii Tablino epistolas chartasque perscrutantes. Aliquot Litteras unâ- que schedulam, cui triginta vel quadraginta nomi- na inscripta dicebantur, abstulere. Sparsus quo- que rumor fuit, quasi intellectum esset ex qui- busdam chartis Rembertum cum Stadenfi Magi- stratu egisse, de familiis aliquot eò traducendis. Quædam ibidem capsula, quæ aperiri, siquidem ad manum non erat clavis, non potuit, sigillo fuit à Scabinis obfignata. Elapsâ circiter hebdo- made, unus è Senatoribus Leidam missus est, ad sciscitandum, quanam Stochius fallus esset; indeque Hagam petiit, ut hæc illuc renuncia- ret, & consilium à Curia peteret. Eo reverso, fama tenuit mandatum esse, ut Rembertus ci- taretur, omnium ejus bonorum Catalogus con- scriberetur, ad ea, quando visum esset, in fis- cum redigenda; utque accirentur, quos amicos familiarésque esse notum erat; præterea ut fratris ejus Tablinum scrutarentur; adeò ut ejus uxor, suadentibus amicis, pretiosissima quæ- que auferret. Rembertus ipse pecunias rigido- ribus Contra-Remonstrantibus creditas magna cum jactura solvi sibi illicò curavit, ac ope ami- corum quorundam decem millia florenorum

Prætor  
unâ cum  
duobus  
Scabinis  
Rember-  
ti Ta-  
blinum  
perferu-  
tantur.

scenori sumsit, ut sua bona, si fortè in fiscum redigerentur, iis essent obligata.

Iterùm  
perforu-  
tantur.

Vigésimo nono Januarii, rediere ad domum Remberti duo Scabini, capsæque sigillum ademerere, quo eam ante duodecim dies munierant: incorruptum quidem invenere sigillum, at nihil magni momenti in capsâ repertum fuit, quapropter suspicati sunt apertam fuisse capsam. Itaque uxorem aperuisse eam, vel saltem aperiiri curasse contendebant, illa verò id negare. Ergo aiebant ipsa insciâ fuisse factum; respondit illa, se se rationem rei se insciâ factæ reddere non posse. Adfuit tunc quoque Faber Ferrarius, quem secum duxerant Scabini, ut si fortè ad manum nondum fuisset clavis, capsam aperiret. Hic rumorem sparsit, Remberti uxorem urbis sigillum fregisse, ideóque in carcerem fuisse coniectam, ejúsque linguam candenti ferro perforandam. Rumor ille per totam urbem subitò pervasit; verùm simul ac ad aures Remberti uxoris pervenit, totam civitatem obambulavit, adeóque hæc fama evanuit. Interim adversùs Rembertum Episcopium acriter actum est. Unus è Scabinis dicere non dubitavit, meruisse eum, ut quatuor in partes secaretur, ac in aliorum exemplum singulis portis quarta pars suspenderetur. Biduo pòst, ultimo nempe Januarii, publicè Rembertus sonitu campanæ citatus est; quam citationem, quia criminatio- nis articulos continet, integram hîc inseram.

Rember-  
tus Bis-  
shop  
sonante  
campana  
citatur.

*Quandoquidem Wilhelmus à Does hujus urbis Prator, Scabinis indicavit ac demonstravit, se se Remberto Egberti Episcopio per Apparitorè edixisse, ut coram illis se illicò sisteret, qui tamen, licèt pollicius esset, non comparuit; atque iterùm citatus non venit, ac tandem se subduxit; adeò ut visum propterea fuerit Scabinis duos ex suo Collegio unà cum*

*Pratore*

Prætorē deputare, qui supradicti Remberti Tablinum chartasque perscrutarentur, atque illic ejusmodi re-  
 perta sunt indicia, ut ex illis, ac præcedentibus informa-  
 tionibus, satis appareat judicarique possit, eum contra  
 Edicta Illust. ac Præp. Ordinum Generalium, om-  
 nibus modis communem tranquillitatem turbare co-  
 natum fuisse; idemque Rembertus, post iteratam Ju-  
 dicum postulationem, se sistere non ausus fuit vel  
 noluit, petiitque ab iis antedictus Prætor, ut  
 sibi potestas Rembertum Episcopium extraordinariè  
 citandi & vocandi Edicto concederetur: ideò Scabi-  
 ni visis ac examinatis iis, quæ Prætor ad supradictum  
 Rembertum accusandum exhibuit, ac scientes in ex-  
 traordinariis causis extraordinariè esse procedendum,  
 tres legitimas citationes edictales, ac singulas post ela-  
 psos quatuordecim dies promulgandas decreverunt, qui-  
 bus antedictus Rembertus vocabitur ac citabitur, ut hac  
 præsentire citatur & vocatur, ut hîc intra sex septi-  
 manas coram Judicibus compareat, atque hîc ta-  
 lem audiat criminationem, qualem adversus eum fa-  
 cere antenominato Prætori visum erit; idque eâ condi-  
 tione, ut si antedictus Rembertus non compareat, juxta  
 accusationem antedicti Prætoris sententia feratur,  
 prout res postulabit. Quinto, sextoque Februarii,  
 nomine Remberti, postulatum est hujus citatio-  
 nis Apographum; verùm impetrari non potuit.  
 Primo die, se se nimis occupatos aiebant Judi-  
 ces; postridie, citationem eam nondum in li-  
 brum relatum dixerunt. Decimo quarto Fe-  
 bruarii, secunda facta est citatio. An tertia  
 etiam sequuta sit, nullibi notatum invenio, nec  
 etiam an ab eo tempore ulterius adversus Rem-  
 bertum sit processum. Jam ante citationem,  
 rumor urbem pervaserat, illum Edicto citan-  
 dum: ideoque Remberti uxor quinque ex cla-  
 rissimis Amstelodamensibus Jurisconsultis con-  
 sultuit; Reinerum Ingels, Joannem Witium,  
 G. Daevelærium, P. Cloeckium, W. Catsium,

Rember-  
 ti uxor  
 consi-  
 lium  
 petit à  
 Juris-  
 consultis.

Conful-  
ta: 3. part.  
2. v ol.  
22. con-  
fil. 22.

qui omnes consentientibus suffragiis responsum dedere; *Prætori civem urbis Amstelodamensis absentem ac se se occultantem, de quo tamen dici nullo modo possit, quòd solvendo non sit, & qui intra eam civitatem, fixum domicilium, uxorem, liberòsque habeat, ac multa bona possideat, licèt absit ac se se occultet, vel edicto, vel sonitu campanæ, citare jure non licere; sed debere necessariò citationem fieri, per Apparitorem, domi ejus civis, ubi ejus uxor, liberique commorantur, ac adversùs eum non comparentem, nec aliquem qui causam suam agat deputantem, statim per contumaciam (perpetuò ad domicilium factâ citatione) & per intendit procedere oportere, prout adversùs contumaces fieri solet. Quod suum responsum rationibus confirmarunt.*

Et libel-  
lum sup-  
plicem  
justitiæ  
componi  
curat.

Uxor Remberti, accepto hoc responso, libellum supplicem Scripto comprehendit ac Scabinis exhiberi curavit, quo post longam innocentia mariti sui demonstrationem petit, ut Scabinis placeat vetare Prætozem, ne ullam citationem pulsata faciat campanâ, sed ut maritum suum ad ipsius domicilium citet, ac modo Amstelodami usitato procedat: tum ut maritus suus admittatur ad causam suam modo ordinario defendendam, ac saltem Procuratore & Advocato uti illi liceat. Hiccinè libellus, cum consilio ei adjecto, Scabinis oblatus sit, pro certo affirmare non possum. Verùm biduo post datum hoc responsum, citatio per Edictum facta est. Rembertus ubi hujus citationis accipit Apographum, duabus litteris, ad Senatorem Abrahamum Boomium familiarem suum scriptis, se se defendit; quibus & tradit rationes, ob quas non compareret, respondetque accusationibus adversùs ipsum institutis, tam ex epistola ad Stochium scripta, quàm ex chartis in suo Tablino inventis. Testatur porrò, sese nullis rebus immiscuisse, nisi quæ ad Religionem pertinerent, in quibus se studiosè versatum fuisse fatebatur, ac sperare sese non cacum de iis judicium fer-

Rember-  
tus se  
contra  
hanc ci-  
tationem  
defendit:

Litteræ  
præft.  
Vir. pag.  
24. Bel-  
licè.



re, & opportuno tempore rationes, quas nemini, nec Magistratui, nec Ministris, nec Senioribus recusasset, redditurum; se autem nulla alia negotia tractasse. Porro commemorans, quàm iniquè ante tres annos ejus ædes direptæ essent, cùm tamen id facinus nullo modo impeditum fuisset, dicit, se se magnâ curâ vitasse ea, quæ declinari à se potuerant, ut suis adversariis, quos sciebat admodum in se intentos esse, omnem sui accusandi materiam adimeret, sed sperare se nullo supplicii genere deterrendum, quo minùs caritatem erga egenos suos fratres exerceret. Ideòque licèt Magistratus id clarè ei probare non posset, tamen suam conscientiam ita esse affectam, ut proximis suis benefacere non desisteret, quamvis id crudelioribus vetaretur Edictis; non tamen alio animo, quàm ut probis, qui Patriâ ejecti erant, viris de necessariis prospiciatur: testatus se se quidem supremi judicii die coram Deo intrepidè se sistere, hujusque facti rationem reddere ausurum, adversus eos qui talium Edictorum sunt inquisitores, quamvis jam ut turbator tranquillitatis publicæ ob hæc traducatur. Hæ litteræ, licèt bono huic viro satisfacere possent, non tamen processum contra ipsum institutum inhibere aut sistere potuerunt. Quapropter Rembertus sibi tutum in Ordinum Generalium territorio non inveniens locum, in vicinam Brabantiam confugere coactus fuit, Antwerpiamque se contulit; ubi ejus frater Episcopus, unà cum aliis Remonstrantibus Ministris, per inducias inter Hispaniæ Regem ac Ordines commorabatur. Haud multò post, ipsum uxore cum liberis sequutâ, domicilium illic conduxit, ac per annum remansit. Sequenti anno, sub finem induciarum, mense Aprili, Rembertus unà cum Bartholomæo Præostio Galliam petiit, & Rothomagi commoratus est; at ejus uxor, cum liberis, Amstelodamum reversa. Quùm jam multi

Antwerpiam contendit.

Arque Galliam,

Iterum  
Amste-  
loda-  
mum  
redit.

Hagâ  
epistola  
missa ad  
actionem  
adversùs  
eum ite-  
rum ia-  
stituen-  
dam.

Rem-  
bertus  
Bisshop  
coram  
Præto-  
re com-  
pa-  
ret.

animadverterent , eos qui hoc anno Magi-  
stratum gerebant, mitiùs de eo negotio sentire,  
ob quod Rembertus profugerat , primo Junii  
iterùm Amstelodamum rediit. Circiter per bi-  
duum domi se primò continuit, postea prodire  
cœpit , ac post paucos dies ad Forum quoque  
se contulit; ubi à multis magno studio, benevo-  
lentiâque exceptus fuit. Deinde palam etiam  
per urbem ambulavit , primò cum Abrahamo  
Boomio, Scabinorum Vice-Præside, & postea  
cum Petro Vlamingo ab Oudtshoorn Consule, fa-  
miliaribus suis amicis. Continuò res Hagam de-  
lata est, simùlque sparsus rumor Arminianos Am-  
stelodami jam caput extollere. Ideòque quamprimum  
ad Prætorem missa est Hagâ epistola, in qua  
aiebant, mirari se Rembertum Episcopium tam  
liberè ac impunè Amstelodami in publicum pro-  
cedere ; jubebaturque Prætor Comitatus jura  
adversùs eum tueri , atque à præcedente Præ-  
tore petere accusationis capita , quibus con-  
tra Rembertum usus fuerat. Rescripsit ille Cu-  
riæ, se se collocutum cum antedente Præto-  
re comperisse, eum nihil magni momenti contra Rem-  
bertum suscepisse , præterquàm citationem per  
Edictum , at ulteriùs contra illum non proces-  
sum. Ad hæc altera epistola venit , quâ mirari  
se se Curia aiebat, nihil ulteriùs contra Rem-  
bertum promoveri. Rembertus verò postridie  
à Scabino Boomio in diversorium publicum  
civitatis accitus, ut interesset emtioni mercium,  
à Præto- re Joanne Grootenhuyfio amicè ac co-  
miter illic salutatus fuit, qui & ei dixit, adeò  
se se impelli, ut prætermittere non posset, quin  
eum citaret ; ut & postridie eum citavit.  
Ubi venit Rembertus unà cum Procuratore,  
Prætor ait, *Remberte Egberti, hîc habeo chartas  
quasdam quæ tibi crimini vertuntur, estque inter eas*  
epi-

*explicari à te vellem, siquidem obscurius est.* Regessit Procurator oportere accusationem suam, conclusioferre; se tum justum deliberanduros, posteaque responsuros. Præter explicandam esse epistolam ait. ad id ipsos non teneri reposuit. his ultrò citròque habitis, dixit Præter Egberti, *veni post meridiem, epistolica, benè erit, tu facillè potes.* Remscire oportere, dixit, quænam ea sit; si eam videret, tum se dicturum, explicare posset. Sub hæc Apographum promissum, ac postridie Apographum ad Stochium memoratæ missum, Valkenirio subscriptum. Cùm duo qui Prætori adfuerant, toti Collegio presentarent, rogarunt quidam, *quare non ut antea propositum erat, ac Rembertum non conjiceretur? Prætor responsum ejusmodi criminis convincere non possum in carcerem conjiceret.* Cùm alius interrogatus, unus è Scabinis rogavit, *an quis esset hoc modo cum viro honesto, cive, et qui semper honestè se gesserat, ac tam rectè agere?* Ob hæc satis magna contentio, dum unus contra eum, studio suum ostenderet. Quum ore elapso nihil subsequutum esset, Augusti, ad Prætorem Rembertus venit, petiitque, an deberet respondere epistolam, cujus Apographum exhibere, an verò expectare, donec

acciretur? Prætor se se vix scire, quidnam faciendum esset, cùm jure nullo niteretur accusatione. *Quotidie, inquit, quidam zelotæ mihi caput obtundunt rogantes, quare processum inchoatum*

*Ipsè cum Prætere colloquitur. qui non amplius processit.*

*contra te non urgeam, aded ut me tui causâ suspectum ferè habeant: verùm dico quibusdam me adversus te causam suscepturum, si criminationis materiam præbere mihi queant; at non plures rationes argumentaque habentem, quàm jam habeo, non videre, quomodo jure promovere quidquam possim. Prætor enim antecedens nullos criminationis articulos habet, ac ad Bontium quidem Leidam scripsi, ut ad me Stochii accusationis articulos mitteret, latamque in eum sententiam, ut in illis invenirem aliquid: Bontius autem ad me rescripsit, sibi non esse magni momenti articulos, latamque non esse in Stochium sententiam, verùm à Principe Auriaco veniam eum obtinuisse. Hoc in statu res sunt, ut verum tibi liberè fatear. Spero fore, ut id evanescat, non enim civilia dissidia quæro, vellem nos pacificè inter nos vivere. Gratias ei Rembertus egit, eique diuturnam functionem precatus, atque in moderatione illa perseverantiam, tamen se se cupere ait negotium hoc ad finem perduci, antequàm novi Magistratus crearentur; ne fortè, iis minùs ipsi faventibus, novis iterùm molestiis afficeretur. Itaque rogavit Prætor, quid igitur cuperet, an secum transigere, ac multam aliquam solvere vellet? Rembertus se nullius delicti reum esse ait, nisi quòd citatus non comparuisset: si tamen Prætor potestatem à Scabinis impetrare posset, ut cum ipso transigat, apochamque tradat, tum se se, ut securitati suæ consulat, id facturum. Prætor se operam navaturum hac in re promisit: quod & sanè ostendit, cùm Rembertum postea numquam citaverit, nec unquam causam hanc persecutus sit. Porrò & in ejus laudem adjicere me oportet, eum sequentibus annis, in exsequendis Edictis adversus Remonstrantes, summa moderatione semper fuisse usum. Continuata narratio rerum ad Rem-*

bertum Episcopium pertinentium seriem temporis aliquantùm turbavit. Ad fratrem ergo ejus redibimus, cujus epistola ad Stochium considerationes quasdam Episcopii de conscribenda Confessione continebat. Postea tamen in conventu Ministrorum, habitâ deliberatione, decretum tandem est Confessionem sive Declarationem sententiæ Remonstrantium de articulis fidei Christianæ scribendam. Mota quidem est difficultas, compertum esse semper, ac in omnibus Sectis ejusmodi Confessiones lapsu temporis in Regulas fidei mutatas esse, cui adstrictum unumquemque postea voluere, ac juxta quas de puritate & impuritate fidei judicatum est. Sed alii aiebant, Contra-Remonstrantes nullâ re magis Remonstrantes populo suspectos invisosque facere conari, quàm spargendo eos multas hæreticas doctrinas fovere, ideóque Confessionem in lucem edere non audere. Ad depellendas itaque hæc criminationes, Confessionem scribendam esse decretum est; verùm ad impediendum quominus posteris temporibus ulli, ut norma fidei, præscriberetur, præfigendam Præfationem, quâ verus finis scopusque Confessionum, earumque auctoritas exponerentur, ostendereturque eas non esse regulas præscribentes quid quisque credere debeat; sed solummodò declarationes sententiæ illorum, qui Confessiones edunt, quam proinde ad verbum Dei explorari oporteret, & quæ neminem ulteriùs obstringant, quàm quatenus cum verbo Dei eas convenire videret. Hanc Præfationem Confessioni adnexam, nec ab ea separari voluere.

Ad Confessionem hanc conscribendam è tota Societate quatuor lecti fuere viri, Uitembogardus, Episcopus, Grevinchovius, & Niellius: quoniam autem labor istiusmodi uni optimè demandatur,

Episcopus postulat Confessionem Remonstrantium componit.

Illà à singulis Ministris examinatur & approbatur.

datur, à reliquis Deputatis, rogatus fuit Episcopus, ut eum in se susciperet. Episcopus compositam à se Confessionem ceteris Deputatis examinandam tradidit, cùmque post accuratum examen tandem in eam formam esset redacta, ut omnibus placeret, cunctis aliis Ministris Antwerpiæ commorantibus, exhibita est; quorum singuli, quandoque etiam quaterni vel quini, simul eam legerunt & expenderunt. Quidam considerationes suas exhibuerunt, & de iis cum Episcopo egerunt. Cùmque jam satis examinata esset, consentientibus omnium suffragiis decretum fuit, ut in lucem emitteretur. Quoniam verò omnium nomine edenda erat, & qui Antwerpiæ eam examinaverant, pro se tantum ejus editionem decernere poterant, aliquot ejus exemplaria in Patriam missa sunt, & Pastores, quotquot Societatis Remonstrantium Membra erant, Rotterodamum, Goudam, & Ultrajectum sunt evocati, ut in illis civitatibus coram singulis cœtibus prælegeretur, omniumque examini subiceretur: ac tandem, ut ab illis examinata & approbata, etiam ad Ministros, qui in carceribus & ergastulis captivi detinebantur, exemplar mitteretur; atque ita tandem, postquam ab omnibus, quorum nomine edenda erat, maturè examinata, & omnium calculo approbata fuit, in lucem edita est.

Verum quidem est, Joannem Geesteranum, ac Theodorum Raphaëlis Camphuysium adversatos fuisse compositioni Confessionis, eosque propterea ad quosdam à Remonstrantibus litteras scripsisse. Sed iis in Conventu lectis, judicatum est: *eis non præbitam esse causam ejusmodi litteras scribendi, ac quoniam se se à Remonstrantium Societate separaverant, non decere, ut turbare eos studeant, quibuscum nihil sibi commune esse vellent.*

Hoc

Hoc itaque modo Confessio vel Declaratio sententiæ Remonstrantium , anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo , Latinè, Belgicèque edita est. Camphuyfius judicium de hac Confessione anno vigesimo secundo conscripsit, quo probare nitebatur eam Christianæ libertati præjudicium adferre. Demonstravit contrà Episcopus judicium id nullâ solidâ ratione niti, refutavitque rationes Camphuyfii ; verùm ejus Scripti pars mihi tantùm supereft : utrum absolutum non sit , an verò reliqua sint amissa , pro certo statuere non possum.

Dum Antwerpia esset Episcopus , convenit cum Petrus Waddingus, apud Jesuitas Professor, qui se se consilio Decani Ecclesiæ S. Virginis venisse aiebat. Habitum est inter eos longum colloquium de Fide , ejusque certitudine, ut & de auctoritate Scriptorum veterum Patrum, decimo septimo Februarii anni M. DC. XX. Trigesimo Junii ejusdem anni, sermonem iterùm contulere de Justificatione. Decimo Octobris, unâ cum Uitembogardo in hortum quemdam invitatus fuit Episcopus , ubi & Pensionarium Urbis Antwerpia invenere. Sub meridiem , venit quoque illuc Waddingus cum suo Socio; quem de industria vocatum etiam judicarunt, ad sermonem cum Episcopo instituendum , qui usque ad vesperam duravit. Tum verò de variis magni momenti materiis actum est , ut de Ecclesia , de Scriptura , de adorandis Imaginibus, de potentia & infallibilitate Pontificis Romani. Hoc ultimum colloquium occasionem præbuit Waddingo , duas scribendi epistolas, unam *de Regula Fidei* , alteram *de Cultu Imaginum*. Ad hæc fusè respondit Episcopus; verùm responsum id absolvere non potuit , antequàm in Galliam venisset, unde id ad Waddingum

Colloquium  
Episcopi cum  
Jesuita  
Waddingo.

Colo-  
niam pe-  
tit Epi-  
scopus.

In Bra-  
bantiam  
redit,

Galliám-  
que pro-  
ficiscitur.

1622.

gum misit. Quum anno M. DC XXI. finis instaret induciarum, & Remonstrantibus visum esset, renovato bello, non amplius in Brabantia commorari, coacti fuere circumspicere locum, ad quem exactis induciis se conferrent. Mense Martio, Uitembogardus cum Borrhio Parisios, Episcopus verò, mense Aprili, cum Grevinchovio Cupoque per Aquisgranum Coloniam Agrippinam petiit. Illic ei sermo incidit cum Leonardo Mario, Hollandici Collegii Rectore. Inde sub initium Julii Antwerpiam iterum rediit, renuncians tutam ac securam Coloniae commorationem impetrari non potuisse. Uitembogardo verò Lutetiâ reverso, Galliam petere decreverunt, ibique sedes figere. Quum animadverterent, in Brabantia, Remonstrantes se se parare ad petendam, sub finem induciarum, Galliam, obnixè conati sunt eos in Brabantia retinere, magnificisque promissis flectere moliti sunt, ut instigarent suas Ecclesias ad novandas res, inchoato bello, in commodum Regis Hispaniæ. Verùm rotundè testati sunt: *Hoc à se suisque Ecclesiis expectari non debere, se sequere, quoniam in Brabantia, dum bellum gereretur, sine periculo, commorari non possent, ne criminationibus in Patria obnoxii forent, in animo habere Galliam petere.* Primò Rothomagi domicilium sibi compararunt; verùm ortâ illic anno M. DC XXI I. pestilentia, Parisios profecti sunt; ubi autem Rothomagi pestilentia desiit, illuc iterum se contulerunt. Licet exsules essent, concessit eis tamen Rex publicâ declaratione, undecimo Aprilis anni M. DC XXI I. factâ, eandem libertatem, quâ omnes Ordinum Generalium subditi in ejus Regno fruebantur. Liber autem Religionis cultus permissus eis non est; quia tertiam, ut aiebant, Religionem in Gallia tolerare volebant. Attamen Episcopus aliquo-

ties



ties sed clam, in ædibus *Hug. Grotii*, concionatus est. Hic in Gallia scripsit Episcopus in gratiam quorundam Remonstrantium librum, quod

De munere Magistratus scribit.

licitum esse Christiano homini Magistratum gerere demonstrabat. Hoc scriptum in Hollandiam missum, magno cum fructu fuit lectum. Daniel Brenius vir eruditus, probusque, quum in alia esset sententia, hunc librum refutavit, eamque refutationem ad Episcopium mitti curavit. Episcopus ad eum adnotationibus respondit, quas margini scripti Brenii apposuit. Sub idem tempus, postulante Grotio, scripsit

Episcopus *paraphrasin suam observationesque in finem octavi Capitis, inque nonum, decimum, ac undecimum Caput Epistolæ S. Pauli ad Romanos. Refutationem quoque suscepit libelli Jesuitæ Lessii, cujus*

Et de quibusdam capitibus epistolæ ad Romanos. Atque aliquid contra Lessium concinnat. Epist. præf. Vir. 407. p. 681.

titulus est: *Consultatio quæ Fides ac Religio sit capessenda.* Grotius, hoc audito, summopere se gaudere

testatus est, Episcopi quoque scripsit, eum suo quidem iudicio rectè facturum, si obiter Cassandrianorum fundamenta refelleret; qui etiam ple-

rosque Romanæ Ecclesiæ errores improbantibus auctores sunt, ne ab ejus Communionem discedant, videbanturque illi duo hic præcipuè esse

excutienda: prius, *an actus per se licitus, puta adorationis gestum exhibere in sacra synaxi, fiat illicitus propter eam interpretationem, quam Præsides Ecclesiæ tali actui dederunt; puta quòd actus ille*

*objectum habeat Christum, ut sub panis accidentibus præsentem, aut etiam ipsa signa visibilia. Alterum an quis licitè se aggregare possit cœtui, cujus cœtus Præsides quadam Dogmata, quæ ipse improbet, necessaria declarant ad suam Communionem*

*obtinendam, licèt disertam eorum professionem à privatis non exigant.* Verùm Episcopus hujus refutationis Analytin tantum conscripsit, non autem eam omnibus partibus absolutam composuit,

fuit,

suit, sine dubio aliis occupationibus avocatus. Hunc exitum habuit annus millesimus sexcentessimus vigesimus secundus.

1623.  
Conspira-  
ratio  
adversus  
Princi-  
pem  
Mauri-  
tium.

Sub initium anni vigesimi tertii, horrenda illa conspiratio in vitam Principis Mauricii à Domino à Stoutenburg Joannis Barneveldii Filio suscepta, resecta est. Quidam privati Remonstrantes huic negotio se se immiscuerant, idque primò effecit, ut tota Remonstrantium Societas criminis hujus rea haberetur. At compertum statim est, id fuisse privatum negotium à Domino à Stoutenburg susceptum, ut patris sui mortem, & quæ eam subsequuta erant, ulcisceretur. Quum hujus conspirationis audirentur primi rumores, quisque inhorruit animi incertus. Episcopus variis ad fratrem litteris summum mœrorem testatus est, questusque, quòd carnales quidam homines, sub nomine Remonstrantium latitantes, tam detestando facinore bonam Remonstrantium famam inquinassent. Concionatores quidam ignari quinam è sua Societate se crimini illi immiscuissent, instrumentum, quo promittebant se nullo Ministerio Ecclesiastico seu publicè, seu privatim functuros, subscripserunt, quod hætenus recusaverant. Quidam ulteriùs progressi, & cum Contra-Remonstrantibus reconciliati, testati sunt sibi Remonstrantium sententiam improbari, & quæ est Contra-Remonstrantium admitti; ideòque munus Ecclesiasticum iis iterùm delatum est; ut Neomagi, Campisq; evenit. Assuerus Matthius, doctus, probusq; Minister, jam quoque de subscribendo cogitabat, variàsque ea de re epistolas ad Rembertum Episcopium scripsit; qui eas, consentiente Matthio, ad Episcopium misit. Hic ad Matthium epistolam scripsit, quâ multis rationibus demonstravit, muneri

repugnare fidelis Pastoris, subscribere, ostenditque perspicuè Remonstrantium Societatem hujus conspirationis ream non esse, Matthiisique difficultates ita refutavit, ut ille omnes de subscribendo cogitationes penitus abjecerit.

Remberto verò Episcopo ab Ecclesiasticis aliud facebatur negotium. Commemoravi aliquot diebus post direptionem ejus ædium ei unâ cum uxore per duos Seniores, jussu Ecclesiastici Synedrii, sacrâ Cœnâ fuisse interdictum. Multò post ad ejus domum venit cum Seniore Concionator Urfinus, petens, *an cum Ecclesia reconciliari nolle?* Rembertus reposuit, *se nullius criminis sibi esse conscium; at non eos à crimine posse absolvere, qui ipsi quatuor diebus post ædium direptionem, cum magnâ esset calamitate afflētus, suâ, & ut putabant Christi Communionem interdixerant. Illi factum id esse dixerunt, quia se ab ipsis separaverat, ac in privata domo Concioni adfuerat. Ad id iterum Rembertus: Si omnes qui extra publicas Ecclesias concionibus adfuerunt, pœnas luent, multum in omnibus urbibus erit negotium: at si mihi idem eveniat, quod aliis, patienter id unâ cum aliis ferendum est. Illi verò, tibi, inquirunt, non licet te conferre iis, qui ut rectæ Reformationi addicti remanerent, in aliis urbibus segreges cœtus habuerunt. Rembertus regeffit, se plures habere rationes: quia per totum Belgium fama tenebat Illustres Ordines deliberaturos, ubicumque utriusque sententiæ homines essent, de utrisque ubique etiam libero Religionis cultu concedendo: quosdam autem homines audaciter inter summos infimosque dicere ausos fuisse, licet aliter sibi essent conscii, Amstelodami nullos esse Remonstrantes, aut, si qui reperirentur, eos tantum sordidam esse vulgi faciem; ideòque ipsis, qui huc usque patienter expectaverant mutuam tolerantiam, visum fuisse se se manifestare*  
ad

Rembertum Episcopium quidam nomine Ecclesiastici Concilii alloquantur.

*ad ostendendum, licet tranquille se gessissent, à se satis amplum numerum, eumque non infimi ordinis stare, ut ne, si fortè tale fieret Edictum, eo excluderentur. Post multos sermones, eò redierunt, debere ipsos Ecclesie reconciliari, faterique se se reos esse. Rembertus contrà, se nullum crimen commississe judicabat, iterumque de violenta adium suarum direptione loquebatur, & quantà cum patientia eam tulisset. Illi fuisse pueros regerebant, qui domum diripuissent, nec suam esse culpam. Rogavit Rembertus, si hoc illis ita displiceret, ut prae se ferebant, quare è pulpito Ecclesias non monuissent, ut se se ab ejusmodi hominibus abstinerent, suosque liberos hortarentur, ne se iis adjungerent, ut Lutherani ac Mennonita in suis Conventibus fecerant. Illi dixerunt se considerationes habere, ob quas non facerent. Joannes Remberti frater adstans illis, atque interfatus, Fratres, ait, si quominus id facientes habetis considerationes vestras, ego meas de vobis habeo considerationes. Id ita intellexere, ac si ipsos direptionis auctores arguerent. Rembertus autem ejusque frater id sequi negarunt, se seque non repugnare, quominus verba sua referrent, planè prout à se dicta fuerant. Multis ultrò citroque habitis sermonibus, re infectâ, discessere. Nulla hujus rei per quatuor annos est mentio facta, donec Rembertus, qui ob suam ad Stochium epistolam profugus erat, iterum in Patriam rediit, ac Prætor processum adversus eum institutum non ulterius profectus est. Mense itaque Octobri anni M. DC. XXI. venit domum Remberti, tribus continuis diebus Jovis, ædituus, eumque citavit, ut coram Ecclesiastico Synedrio se fisteret. Rembertus constanter respondit, se nescire sibi aliquid illic esse negotii, & si quis secum colloqui vellet, eum ad se venire oportere. Itaque vigesimo quinto Novembris, ad ejus ædes Jacobus Roelandi unâ cum*

Post  
elapso  
quatuor  
annos  
eum ar-  
cessit Ec-  
clesiasti-  
cum  
Conci-  
lium,  
eumque  
denuò  
quidam  
allo-  
quuntur.

cum Seniore venit ; eum ter ab Ecclesiastico Synedrio fuisse accitum , dictitans , nec tamen se stitisse , itaque ex superabundanti Ecclesiasticum Synedrium ipsis mandasse , ut eum vivâ voce eò adducerent , ut illic compareret , audirétque , quid secum fratres agere vellent : quoniam & ipse nosset , se se obedientiam Ecclesiæ promississe , Ecclesiasticæque Disciplinæ subjecisse , cum se primâ vice Visibili Ecclesiæ adjunxisset : addiditque fratres amicè cum eo acturos. Rembertus , sibi notum esse negavit , se tale quid promississe , seque numquam Disciplinæ Ecclesiasticæ subtrahere se velle ; si quis eum juxta Christi regulam reprehendere posset , id se libenter auditurum ; verùm se non videre , quomodo necesse esset , ut se sisteret coram Ecclesiastico Synedrio , cum interdixisset sibi ante annos quatuor Sacrà Cœnâ , quam interdictionem ratam habuerat ; nec videre quam utilitatem id afferre posset , quoniam illic coram multis Ministris venturus esset ac Senioribus , qui se jam reum judicarent ; rationesque se habere crederent ipsum objurgandi ; cum ipse rationes se habere censeret , ad eos reprehendendos quòd scandala creassent , fratresque suos malè multassent. Roelandus tamen iterùm eum hortari , ut obedientem se præberet , atque Ecclesiæ reconciliaretur ; nam inquebat , illa salutem tuam promovere studet , ut fideles Pastores decet , tu verò vetus Membrum es , neque adeò imperitus , ut res ad Religionem pertinentes non intelligas , teque multum in Verbo Dei exercuisti. Ad hæc Remberti uxor ; si tantam curam nostræ saluti impendatis , quare per quatuor integros annos nos alloquuti non estis ? Rembertus ipse rogavit , an in sua quidem esset potestate ejus hortationes sequi , alitèrque se gerere quàm faceret ? Illi , Utinam Deus det , inquiunt , ut id facias ! Tum iterùm Rembertus ; si Deus id det , possimne quidem ei resistere ? Roelandus verò : Tædet

me, hæc ex te audire ; qui tam diu honestum Ecclesie Membrum semper fuisti. Rembertus autem cum simplex ad interrogationem suam postularet responsum , dixere , se se non habere mandatum de disceptando cum illo , verùm de hortando , ut cum Ecclesia reconciliaretur. Hic iterùm habiti , ut cum Ursino, de rebus quæ evenerant , sermones. Tandem Roelandus : ergo venire non vis ? At Rembertus : peto ut ita sermones meos renunciatis, prout eos eloquutus sum ; me, nempe, judicare, id haud necessarium, mihi noxium, vobisque inutile esse futurum ; dicere enim , me nolle , inhumanum nimis esset. At si scirem hoc mihi magno crimini datum iri, vel ingens damnum me propterea passurum, mallet, ut id præverterem, semel comparere. Roelandus, putasne, inquit, nos falsa renunciaturos ? Rembertus, vera quidem, ait, renunciari possunt, at res vel invidiosè vel favorabiliter proponi potest. Verùm cupiebat eos suâ causâ ne minimum quidem facere, contra id quod habebant in mandatis. Hoc modo discessum est : negotiùmque hoc quievit, usque ad annum vigesimum tertium, cum horrenda conjuratio contra vitam Principis Mauricii palam facta est, ac aliquot ejus facinoris concitii pœnas luerunt, totùmque Belgium gravibus rumoribus adversùs Remonstrantes perstrepebat, quos hujus sceleris reos esse vulgò contendebant. Turbido hoc tempore, venit ad ædes Remberti Episcopii Minister Eleazar Swalmius, unâ cum Seniore, dixitque, ipsum quidem compertum habere, quæ cum ipso Ecclesia egisset, & quemadmodum aliquoties ipsum invitasset, ut coram se sisteret, ipsum verò constanter & indecenter id negasse. Ad hæc Rembertus, se se rationes dixisse ob quas recusaret, ac quoniam ante aliquot jam annos ipsi Communione suâ interdixissent, se nescire quam obedienciam à se exigere possent. *Aajecit sese ab Ecclesiastici*

Tandem  
rursus  
anno  
1623.

*clericalibus ob ipsorum actiones tam averso esse animo, ut ipsis reconciliari nequiret, nisi sua facta mutarent, seque eorum poenitere testarentur. Swalmius, id ubique, inquit, audimus: nos ea non facimus; objiciatur id Ordinibus, illi quidem rationem suarum actionum reddent. Tum Rembertus: hoc modo, ait, olim quoque loquebantur Inquisitores: at si vos non ita instigare Ordines, multa non evenirent: odium vestrum vel inde perspicue apparet, quod variè è vestris Ministris nostros detulerint, effecerintque in in carcerem conjicerentur. Instat iterum suadere Swalmius, ut Rembertus coram Ecclesiastico Synedrio compareret, illud cum eo amice acturum, seque non dubitare, quin ei satisfaceret. Respondit Rembertus, quoniam maxima sua difficultas non tam de doctrina, quam de parum Christianis Ecclesiastici Synedrii actionibus esset, non posse sibi satisfieri, nisi Ecclesiasticum Synedrium eas dilueret actionibus plane contrariis; nempe, ut rigorem illum publice improbarent, atque enixe à Magistratu postularent, ut tam duram in Remonstrantes severitatem omitterent, eumque erudirent, quid nos doceat Evangelium; prout Majores eorum Scriptis librisque facere norant, cum ipsi affligerentur, utque hodie eorum fratres adhuc faciebant in Brabantia, Colonia, aliisque in locis. At, inquit, contrarium plane præstatis. Swalmius regeffit: meruisse id Remonstrantes, qui primò tam asperè cum Reformatis egissent. Hoc numquam probabitur, inquit Rembertus: sed posito id verum esse, vobisne malum malo pensare decet? Hoc modo vos longè abesse à regula Christi ostenditis. Swalmius ad hæc: jam quidem clare apparere ex tam dira conspiratione quid Remonstrantium Ministri in sinu foveant: credideram sanè id effecturum, ut eos vitares. Rembertus: id non magis exprobrari nostris Doctoribus potest, quam vestris Ministris varia ejusmodi facino-*

*ra ab hominibus vestrae doctrinae addictis, ut à Pol-  
 trotio, plurimisque aliis commissa. Verùm talia  
 crimina neminem præter eum, qui ea committit vel  
 approbat, inquinare possunt. Post habitos ultrò  
 citròque sermones, dixere tandem Remberto:  
 Si vos à sententia non abscedatis, vestrum quindecim  
 vel sexdecim excommunicandi Ecclesiae proponen-  
 tur. Tum verò rogare Rembertus: hoccine tem-  
 pus deletum esset, ad accendendam in se plebem?  
 Nam cum ea, inquit, à vobis in vestris concioni-  
 bus ac alibi audiat, omnes Remonstrantes nefandi  
 hujus facinoris participes esse, putabit hos homines  
 præcipuos eorum esse, nominibus enim designantur ac  
 notantur. Nullo modo, ait Swalmius; hortabimur  
 plebem, ut pro vobis Deum oret. Imò, inquit  
 Rembertus, ut nos exsecretur, ad id enim illà ra-  
 tione magis impellitur: verùm ita vos geratis, ut  
 Deo rationem reddere possitis, ac ut velletis vobis  
 fieri. Post duos menses, Eleazar Swalmius ejus-  
 dem rei causâ reversus idem fermè quod antea  
 accepit responsum. Inter alia dixit tum Swal-  
 mius: ipsos nomina illorum proposituros, quod an-  
 tea distulerant, adhuc eâ spe nixi, quòd rationibus  
 suis propiùs ad animum revocatis, Ecclesiae morem  
 gesturi fuissent. Petiit Rembertus à Swalmio,  
 ut secundùm conscientia suâ dictamen sibi diceret, an  
 crederet, in ipsius potestate esse, ipsorum adhorta-  
 tiones ad animum revocare, ipsisque morem gerere?  
 Swalmius respondit: hæ sunt veteres vestra calum-  
 niæ. Rembertus, non esse calumnias dicere, ve-  
 rùm se se ejus sententiam hac de re audire cupere.  
 Swalmius, si id jam, inquit, facere non possis,  
 hoc te culpâ non liberat, in Adamo id facere potui-  
 sti. Loqui te non oportet, ait Rembertus, de  
 rebus jam diu præteritis, sed de eo quod jam facere  
 queo: si id nunc facere nequeam, nisi Deus hoc mihi  
 infundat, damnabis me ob id quod Deus mihi dare*

Iterùm  
 eum al-  
 loquan-  
 tur.



nondum vult, & quod si dederit, non potero resistere, juxta sententiam vestram? Reputa ergo tecum, quid sit & quod de me judicium feres. Sequenti die Dominicâ, nomina undecim vel fortè plurium Remonstrantium Ecclesiæ fuere proposita, ut hominum, qui ab Ecclesia secesserant, quos aliquoties alloquuti fuerant, ac Christianè monuerant, verùm qui opinionibus Arminianis, Hæreticisque, Dei Verbo planè repugnantibus, addicti erant: monitâque fuit Ecclesia, ut pro iis oraret, ac Ecclesiæ Membra, quæ eos nossent, vel eorum familiaritate uterentur, eos adhuc alloquerentur, monerent ac erudirent, ut in gremium Ecclesiæ revocarentur. Nemo autem Membrorum convenit, vel conatus est quemquam ipsorum meliora docere. Sed idem ille Minister cum Seniore bis posthac ad ædes Remberti venit, eadem ipsi dicens, idémque semper accipiens responsum. Tandem dixit, si sententiam non mutaret, ipsos ulterius adversùs eum procedere coactum iri. Rembertus, eos facere posse quod ipsis visum esset, se se id exspectare decrevisse, nullumque in animo suo reperire motum, qui se absterret; imò se se bonâ conscientia dicere posse, suum animum tantopere esse tranquillum, ut hoc negotium sibi nec nocte cùm expergeret, nec die cùm cogitâbundus incederet, umquam in mentem veniret. Denique idem Eleazar Swalmius vigesimo sexto vel septimo Decembris, ultimâ vice ad eum venit, petens, ut ipse, uxorque ejus cras coram Ecclesiastico Synedrio se fisterent, ibique audirent quæ ipsis dicerentur? Rembertus se se easdem rationes habere, ait, ob quas non veniret, quas antea habuerat. Uxor ejus, quæ jam primâ vice nominabatur, negavit, se illuc venturam. Ad hæc monere Swalmius, quam obedientiam Ecclesiæ deberent, legem esse, ut accitus coram Ecclesiastico

Unâ cum aliquot aliis Ecclesiæ proponitur.

Iterùm rogatur, ut coram Ecclesiastico Concilio compareat.

Synedrion compareret; censuram Ecclesiæ Dei non vilipendendam esse, nec esse rem parvi momenti; quidquid enim in terris illa ligat, ligatum esse in cælo. Ad hæc Rembertus, disciplina Ecclesiastica se se subtrahere nolle: si quispiam demonstrare ipsi posset, se se indecenter se gerere, eas admonitiones attendere se velle: se subiecisse seipsum Dei Verbo, ac quodcumque imperaret Christus velle observare, verum non omnia quarumcumque Ecclesiarum instituta, qualiacumque tandem essent; unumquemque facile credere pensare se esse veram Ecclesiam: quæ si vestra sit, ait, puto quidem plures esse veras. Quod ad me attinet, tanti censuram Ecclesiæ, quanti ipsam Ecclesiam facio. Ad id Swalmius, caveat sibi quisque, ne Ecclesiæ censuram contemnat: Deus enim id facientes passim severè punit. Regessit Rembertus: aliter loquuti sunt Majores nostri, imò vos ipsi, censuramque ejus Ecclesiæ, quæ multò majore splendore quàm vestra fulget, non pluris quàm inania verba, ejusque excommunicationem non pluris quàm fulgur è pelvi aestimavunt; nec tamen Ecclesiæ Dei censuram hoc modo parvi facere voluerunt. Pone me jam in eo statu esse, in quo fuere Majores nostri, qui censurâ Romanæ Ecclesiæ territi non sunt, nec tamen justas ac Christianas admonitiones contemserunt. Videmus, inquit Swalmius, tibi surdo cani, faciet itaque Ecclesia, quod ipsam facere decet. Rembertus respondit: faciat illa id cujus rationem reddere possit. At Joannem Episcopium adierat Adrianus Smoutius, qui ut in omnibus suis actionibus exorbitare solitus erat, admodum exorbitanter quoque eum alloquutus est. Dixit, inter alia, mibine ita respondebis? nescisne me posthac supremi judicii die sessurum, ut te judicem? Joannes se se eum pro tali non habere, dixit: cum ille mirabundus percunctaretur, quem igitur se haberet, idque sapius quarere institisset

tisset, tandem dixit Joannes Episcopus: *Ego te habeo instar famuli, qui, cum Dominus domo abesset, conservos suos verberare cœpit.* Unus ex iis undecim Franciscus Hermannii à Bergen adductus est, ut coram Ecclesiastico Synedrio se sifteret; sed loco amicarum admonitionum, nihil aliud illic audivit, quàm imperiosa jussa, ut culpam suam fateretur, Ecclesiæque obediens esset. Impetravit tamen ut ne, sequente die Dominicâ, cum decem reliquis excommunicaretur, sed aliquot hebdomadibus serius. Die Dominicâ sequente, trigesimo primo Decembris, sententia quâ decem Remonstrantes excommunicabantur ab Ecclesiâ, è suggestu publicè prælecta est; eâque postea à Professore Voetio edita est in *Politix Ecclesiasticæ* parte tertia, pag. 938. 939. 940. qui se eam illic edere profitetur, ne tam benè compositæ formulæ lectionem & cognitionem *Politix & praxeos Ecclesiasticæ* Studiis videatur invidere. Ad verbum ita habebat: *Dilecti in Domino, Notum vobis est, quomodo jam diu, & aliquoties, ac per certos gradus, nempe, priùs tacendo, deinde nominando ac exprimendo nomina, summâ tristitiâ proposuimus quosdam tam viros, quàm feminas, qui hæc in Ecclesia, à qua multis retrò annis pro Membris habitii fuerunt, & nobiscum panem Domini fregere: nempe, hos subsequentes, Adrianum Jacobi, piscium siccatorum mercatorem, ac Margaretam Joannis ejus uxorem, Jacobum Laurentii Secretarium Collegii rei nauticæ præfecti, Justum Brasserum, Rembertum Egberti Episcopium, ac ejus uxorem Elizabetham Philippi, Joannem Egberti Episcopium, Samuelem Oltfersen, ac Joannam Huberti, ejus conjugem, Didericum Diderici Comans; Vobisque indicatum est, quomodo hi antedicti viri feminæque jam ante aliquot*

Atque una cum aliquot aliis Ecclesiâ excommunicatus.

annos, ab initio Arminiana vel Remonstrantica factionis, addicti hisce Arminianis (ut vocantur) & hæreticis opinionibus planè repugnantibus sacro Dei Verbo, Doctrinaque, quam in hisce Reformatis Ecclesiis ex Dei Verbo prædicamus & confitemur, se ipsos per aliquot annos ab omni harum Ecclesiarum Communionem, Concionibus è Verbo Dei factis, ac à sacra Cæna non solum segregarint, verùm etiam quidam ex iis in Arminianis conventiculis ac Anabaptistarum Congregationibus comparuerint, magna cum calumnia, infamia ac scandalo Ecclesiæ Christi, doctrinaque, quam antea professi fuerant; quibus peruersis falsisque opinionibus, schismaticis separationibus, calumniisque aliquot annos pertinaciter adhæserunt, quamvis ob id sæpiùs Verbi Divini Ministri, Senioresque hujus Ecclesiæ alloquuti eos fuissent, fraternèque monuissent, & dixissent paratos esse ipsos ex Dei verbo meliora docere; quàm Christianam fraternamque oblationem, ut & omnia mandata admonitionesque aliquoties iteratas, quidam admodum contumeliosè iterùm iterùmque non solum contempserunt, & rejecerunt, sed etiam quidam ex iis eas irriserunt, adèò ut coactum fuerit Ecclesiasticum Synedrium coram Domino Christo cujus sunt Ministri, & sacrâ ejus Ecclesiâ, cujus cura mandata ipsis est, conscientiam suam liberare, adversùs ipsos Ecclesiasticè agere, vobis eas personas primò haud nominatas, deinde nominibus notis proponere, vestrisque commendare precibus; si fortè efficere voluisset Dominus, ut converterentur, ac ab ejusmodi peccatis desisterent. Nos itaque qui omnem operam dedimus, quantum fieri potuit, ac decuit, ne minima quidem (proh dolor!) pœnitentiæ signa animadvertere potuimus, sed contrà maximo nostro cum dolore comperimus ipsos indies pertinaciùs in suis erroribus, Hæreticis opinionibus, ac calumniis permansisse: eosque erudiri nolle, ac non solum contem-

*temnere omnes admonitiones, quibus ab initio usque moniti fuere, verum etiam Ecclesiastica instituta disciplinamque, adeo ut nobis omnem emendationis, seque cum Ecclesia Dei reconciliandi spem ademerint. Hisce subjecta erat excommunicationis formula, prout post Catechesin habetur.*

Prætermittere non possum, quin facetum Samuelis Costeri Medici de hac excommunicatione dictum hinc inferam. Ille Templo novo egressus, cum à quodam viro amplissimi ordinis, eoque acerbo Contra-Remonstrante rogaretur, numquid novi sciret, respondit, *se quidem novi aliquid audivisse, sed quod admodum esset periculosum, ac se se gaudere se ejus non esse participem.* Cum alterius curiositas hoc dicto magis accenderetur, ad sciendum quidnam id esset, dixit: *Fam jam Templo novo egressus sum; audivi autem illic decem probos, honestos, & famæ integræ homines Diabolo dedi; ac probè nosti Diabolum minimè esse fatuum, quod ipsi promittitur tradi sibi velle. Metuo verò, ut ei tradere illos possint; sine dubio ut sibi satisfiat, eos, qui illi homines promiserunt, auferet.* Nullo dato responso, alter abiit. Cum hujus excommunicationis fama ad Episcopium, in Gallia agentem, pervenisset, scripsit amplam doctamque ad excommunicatos epistolam, quâ omnes rationes, quibus nixa hæc erat excommunicatio, solidè refellit, adeoque inanem irritamque eam demonstrat. Quæ epistola in scio Episcopo in lucem edita est, hocce præfixo titulo: *Nullitas excommunicationis Calvinianæ.* Paulò antè Episcopus, Uitembogardus, ac aliquot alii Remonstrantes in animo habebant Synodo Gallicæ, quæ mense Septembri anni M. DC. XXIII. Carentonii celebranda erat, collationem offerre, idque hac occasione. Stephanus Curcellæus, qui Ambiani fuerat Concionator, præcedente mense Martio, à Synodo Carentonii celebrata

Faceta  
D. Samuelis  
Costeri  
sententia.

1624.  
Episcopus contra hanc excommunicationem scribit.

In animo habet unâ cum reliquis Remonstrantibus Gallicæ Synodæ collationem offerre.

exauctoratus fuerat, quòd gravatus fuisset Canonibus subscribere Synodi Dordracenæ. Cùm jam iterùm mense Septembri Synodus Carentonium conveniret, Curcellæus se le Uitembogardo Episcopiòque adjunxit, qui unà cum Corvino, Goulartio, & Francisco d'Or in adibus Danielis Tileni, qui Sedani fuerat Theologiæ Professor, deliberarunt, decreveruntque componere ac exhibere ei Synodo Scriptum, querelam de Synodo Alexiana comprehendens; quo simul demonstraretur, quàm infirmum esset Synodi Dordracenæ fundamentum, ac quàm falsa essent ea, quibus ipsorum fama inquinabatur; & quo offerrent collationem ad hæc fufiùs demonstranda, probandaque. Si eam collationem acciperet Synodus, tum ipsos ad collationem totius rei accedere posse: sin eam recusaret, signum id fore Synodum se se subtrahere, propriæque causâ disfidere. Quoniam autem nesciebant, an Regium Concilium, si fortè querelæ ob hæc deferrentur, ægrè id ferret, placuit Curcellæum ei, qui nomine Regis Synodo adesset, hoc ipsorum consilium indicare, ut luas res postea è re nata componerent. Verùm quia Curcellæus cum Synodo deinde reconciliatus est, consilium id non est exsequutioni mandatum. Eâdem hyeme, scripsit quoque Episcopus *Examen Thesium Jacobi Cappelli Professoris Sedanensis, quas illic palam proposuerat, de controversiis, quæ Fœderatum Belgium vexant, & sicuti fuerit doctrinam Arminii tolerari, quàm damnari.* Examen id initio hujus anni in Hollandiam missum, editum illic fuit. Eodem anno, Nicolaus Bodecherus, qui antea Remonstrantibus se adjunxerat postea verò cùm ii exauctòrarentur, ac in exilium mitterentur, Contra Remonstrantium partes sequutus erat, li-  
brum

Contra  
Cappel-  
lum scri-  
bit.

Et con-  
tra Bode-  
cherum.

brum Latinè edidit, hoc titulo: *Sociniano Remonstrantismus, hoc est, Evidens Demonstratio, quâ Remonstrantes cum Socinianis sive re ipsâ, sive verbis, sive etiam methodo in pluribus Confessionis suæ partibus consentire ostenditur.* Adversus id edidit paulò pòst Episcopus refutationem, cujus titulus erat, *Bodecherus ineptiens, hoc est, Evidens Demonstratio, quâ ostenditur Nicolaum Bodecherum, ut plusquàm servili assentatione efficacem Contra-Remonstrantium gratiam demereatur, ineptè admodum & nugatoriè Confessionem Remonstrantium Socinianismi arcessere nuper esse aggressum.* Per idem fermè tempus Episcopus Galliæ penitiùs visendæ cupidus, cujus nihil adhuc ferè nisi Septentrionalem oram lustraverat, sexto Maii Lutetiâ profectus, per Aureliam Lugdunum abiit, inde per Massiliam, Nemausum, Montempeffulanum, Tholosam, Burdegalam petiit, ac postea per Rupellam, Pictavium, Andegavum, Salmurium, Turonum, Aureliam iterùm contendit; unde postremo cursu peregrinationis absoluto, sub initium Julii, Lutetiam, ac paucis diebus pòst Rothomagum remeavit. Quoniam autem controversiæ de Dogmate Prædestinationis, eorùmque quæ illi connexa sunt, non rectè nec perspicuè intelligi queant, nisi Dogma liberi arbitrii, ejùsque usus benè percipiatur, visum est Episcopo ad Dogma id explicandum de libero arbitrio libellum componere. Refellit hoc Scripto communem sententiam, quâ creditur mens humana duabus facultatibus prædita esse, realiter ab ipsa anima, & inter se distinctis: Intellectu, scilicet, & Voluntate. Intellectum solùm apprehendere & intelligere, nihil autem eligere aut velle: voluntatem verò solùm eligere ac velle, eique nullam inesse vim apprehendendi, & intelligendi, &

Episcopus Galliam peragravit.

Parvum suum tractatum de libero arbitrio scribit.

mentem ope harum duarum facultatum omnia operari. Episcopus hanc sententiam hisce rationibus solidè refutabat : duorum, nempe, alterum verum esse oportere, aut voluntatem necessariò sequi debere, quod intellectus percipit, ac quoniam omnes intellectus operationes necessariae sunt, consequenter etiam omnes hominis actiones esse necessarias ; aut voluntatem brutam & cæcam omnia velle, adeoque omnes actiones hominum dumtaxat brutas, fortuitasque esse : quod utrumque absurdissimum est. Ad duas hasce difficultates tollendas, statuit mentem ipsam intelligere ac velle, adeoque intellectum & voluntatem non esse duas facultates realiter à mente, & inter se distinctas, sed duas operationes mentis, quas per se ipsam exerit. Eoque fundamento nixus demonstrat, quomodo illæ duæ absurditates vitari possint, ac quâ ratione homo liberè, secundum vel contra rationem, vitam suam componat. Scriptum id post ejus mortem demum editum est. Eodem autem anno, sententiam Joannis Cameronis Scoti examinavit, qui per aliquot annos Salmurii fuerat Theologiae Professor : ac cujus sententiam rebantur quidam minùs esse odiosam, minoribusque absurditatibus obnoxiam, quàm communem de irresistibili operatione Dei sententiam. Camero, nempe, nixus communi sententiâ, intellectum & voluntatem duas facultates esse realiter à mente, & inter se distinctas, statuit *voluntatem necessariò sequi judicium intellectus. Ad voluntatem itaque depravandam satis esse, si in mente non sit lumen judicii practici, voluntatem dirigens & impellens in id quod fieri oportet ; & ad voluntatem emendandam aut rectè ordinandam satis esse, si lux judicii talis practici in mente ponatur, & tollantur impedimenta quæ*

Atque  
contra  
Camero-  
nem.



obstant, quominus intellectus rectam rerum apprehensionem capiat: eâ enim voluntatem ita affici, ut non possit non ferri in boni amorem. Itaque ad regenerationem hominis sufficere solam mentis illuminationem: & pro copia illuminationis, modum aut gradum regenerationis intendi ac remitti. Hanc sententiam brevi Scripto Episcopus examinavit ac demonstravit clarè, illam omnibus absurditatibus laborare, quæ in communi sententia de irresistibili operatione gratiæ Dei in regeneratione reperiuntur: ac in primis eam omnes hominis actiones necessarias statuere, quoniam omnis operatio intellectûs necessaria sit; & homo rem clarè ipsi propositam non percipere non possit, vel rem obscurè propositam dilucidè percipere nequeat, sed necessariò tali modo eam percipiat, quali ipsi offertur. Examen hoc, quod multis rationibus Cameronis refellebat sententiam, sub forma epistolæ scriptum missumque erat ad Edmundum Mercerum, doctum virum Parisiis degentem. Is gratiâ suorum parentum, quorum facultates satis amplæ erant, sed acerrimorum Catholicæ Religionis propugnatorum, quia Reformatam Religionem erat amplexus, exciderat; ac jam quoque, quia Remonstrantium sententiæ erat addictus, Reformatis erat invisus, atque ad magnam redactus inopiam: qui tamen nec egestate, quâ premebatur, nec probris contumeliisque, quibus à Reformatis petebatur, nec adhortatione parentum, eorûmque magnificis promissis, eò adduci umquam potuit, ut confessionem veritatis, cujus notitiam à Deo impetraverat, desereret. Maluit, nimirum, bonâ conscientiam pauperiem pati, quàm læsâ conscientiam hujus mundi divitias commodâque emere. Hic vir acceptam illam ab Episcopo epistolam in lucem edidit, insciòque

Episcop'o hunc ei titulum præfixit. *Epistola viri docti ad amicum, quâ expenditur sententia Joannis Cameronis, de gratia Dei, & libero hominis arbitrio*

Adver-  
sus id se  
defendit  
Camer'o,

Contra hanc epistolam, Camero eodem anno defensionem edidit, quâ magna cum acerbitate, in titulum *Viri docti*, invehebatur; ac si Episcopus, præ superbia, eum titulum sibi ipse tribuisset; eamque Carolo Harlæo Dolotio dedicavit. Cùm Camero in componenda sua defensione esset occupatus, vitulum fuit Uitembogardo Episcopiôque, relicta Galliâ, perere Holsatiam. Sub finem itaque Augusti, Mercator Rothomagensis conduxerat pro iis locum in libera Hamburgensi nave, cujus nauclerus Hamburgo erat oriundus, qui eos Quillebovii navi suâ excepturus erat. Quum primo Septembris Quillebovium appulissent, necdum illic navis esset, noctem unam commorari coacti sunt; ubi Uitembogardus agnitus fuit à nauta Amstelodamensi, à filio familias in Conclave, ubi erat Uitembogardus, introducto. Hamburgensis ille nesciens quinam essent, illic navi suâ eos excepit, navigavitque cum iis usque ad Portum Gratia. Dum ventum illic secundum expectarent, nauclerus cum aliquot aliis nautis, inter quos & ille Amstelodamensis erat, in terram egressus, in cauponam ivit: ubi rogatus, an nosset, quosnam in navim suam admisisset? Ille, non novi quidem eos, inquit, sed honestos viros esse video, nempe, senem nobilem, unâ cum suo filio ac famulo. Nullo modo, ait, Amstelodamensis, Uitembogardus est ac Episcopus, quos si, & præsertim senem illum, in Hollandiam vehas, pro certo habeo te navi novâ donatum iri. Nauclerus hoc non sine admiratione audito, illicò ad navim suam se contulit, comiterque admodum ab iis quæsiit, quinam essent,

Episco-  
pius cum  
Uitem-  
bogardo  
Holsa-  
ti-m pe-  
tere cu-  
pit.

Ac ser-  
mè ab  
Amste-  
loda-  
mensi  
nauta  
fuit pro-  
ditus.

essent, dicens præterea, se se cum hoc sciret, singulare aliquid ipsos monere velle. Uitembogardus cum rotundè nomina totumque suum statum exposuisset, narravit eis nauclerus, quidnam in caupona audivisset; porrectaque Uitembogardo dextrâ, ei fidem dedit: addens se se eam perfidiam committere nolle, licet duæ naves, imò maximæ divitiæ præmium forent; ac se scire, si tale facinus commisisset, se Hamburgi per plateas tutò non incessurum. Tum verò rogarunt hominem, quid faceret, si navis bellica ex Hollandia vel Zelandia secundo vento, tum spirante, portum ingrederetur, atque Præfectus in ipsius navim transcenderet, ut sæpè eveniebat? Nauclerus nullum fore periculum credere, quippe cui liberum esset sine metu Hollandicarum navium mare ingredi, liberamque haberet Hamburgensem navem; ac quod amplius erat, eos in littore esse Gallico, ac sub tutela Galliæ Regis; quare navim bellicam non ausuram eum illic aggredi. Episcopus verò ac Uitembogardus putabant, Præfectum ejus navis bellicæ, si fortè veniret, atque ex illo Amstelodamensi nauta audiret, quinam ipsi essent, nullam rationem ejus libertatis habiturum esse; sed magis præmium spectaturum, quod in Hollandia, si se illuc duceret, accepturus esset. Regem verò, ob violatum suum portum, bellum non suscepturum. Decretum tandem, ut nauclerus, quoniam adverso illo vento vela dare non posset, intentè excubias ageret, eosque tempestivè moneret. Postridie postquam quædam naves sine navi bellica primo æstu essent ingressæ, sub secundum venit ad eos trepidus nauta, monens è mari eò tendere navem bellicam: quapropter se se, cum suis impedimentis, in littus illicò exponi curavere. Præfectus

postea bellicæ navis eam, in qua ipsi fuerant, navem totam perscrutatus est, summamque ostendit indignationem, quòd consilium suum irritum fuisset. Uitembogardus ac Episcopus mutato consilio Rothomagum remearunt, gratias Deo agentes, quòd ex illo periculo tam feliciter evasisent, ac aliquamdiu adhuc in Gallia commorati sunt.

Episcopus refellit Cameronem atque id scriptum Dolotio dedicare in animo habet.

Statim Episcopus defensionem Cameronis refutare aggressus est, responsionemque suam sub initium anni M. DC XXV. ad finem perduxit. Grotius scripsit ad Carolum Harlæum Dolotium, cui Camero suam defensionem dedicarat, nisi ingratum ipsi foret, Episcopium responsionem ad defensionem Cameronis ipsi quoque dedicare cupere. Hoc autem non sine ratione ei fuit oblatum. Dolotium hunc anno M. DC XXI I I. Episcopus unà cum Uitembogardo inviserat, & cum eo de reconciliatione Remonstrantium cum Contra-Remonstrantibus collocutus fuerat; cùmque illi demonstrarent non ipsos, verùm Contra-Remonstrantes schismatis fuisse causam, ac Reformatos in Gallia eos fuisse secutos, idque schisma in Synodo Aleziana confirmasse, dixit ille, *Molinæum præcipuam ejus rei causam esse, cui hoc etiam dixerat sapius, ac demonstrarat ejusmodi schisma Reformatis in Gallia admodum fore noxium: illosque postea pœnitentiâ ductum iri, sed frustra.* De Synodo verò Dordracena, aiebat, *se numquam majorem audivisse tyrannidem, quàm quæ ibi adhibita fuerat.* Tradiderant quoque illi paraphrasin observationesque Episcopii in nonum caput Epistolæ ad Romanos, quas magna cum voluptate se lecturum testabatur. Hinc non immeritò colligebant illum non alienum esse à Remonstrantibus, eique dedicationem hujus responsionis non displicituram. Ille itaque id offic-

offerenti Grotio respondit, *se se defensionem Cameronis nondum vidisse, ac mirari librum sibi dedicatum, nec tamen ejus ad se missum exemplar. Ad didit, si Episcopus ipsum eo honore afficere vellet, ut suam ipsi responsionem dedicaret, gratum sibi fore.* Hujus rei Grotius Episcopium certio rem fecit, qui tum decrevit illi responsionem suam dedicare. Verum haud multis diebus post, Dolotius Parisios venit & diversatus est in ædibus cujusdam Medici, summi Cameronis amici. Hic ei nomine Cameronis defensionem cum exhibuisset, statim Dolotius ad Grotium se contulit, se mutasse consilium significans, dedicationemque Episcopii accipere nolle. Grotius ab eo mirabundus petiit, quidnam timeret? dixitque, se se Episcopium jam ejus rei certio rem fecisse. At ille nihil aliud regessit, quam illis controversiis se immisceri nolle. Judicavit Episcopus bono illi seni fortem animum, magis quam scientiam veritatis, defuisse. Hæc itaque dedicatio omissa est. Antequam responsionem hanc Episcopus in Hollandiam mitteret, ut ederetur, quæsit de ea Grotii, Tilenique judicium. Grotius in epistola ad fratrem suum, fol. 78 r. Ep. 89. hisce verbis sententiam suam exprimit: *Episcopus Cameroni doctè respondit: id Scriptum nunc perlego, miror Scriptoris acumen ac diligentiam.* Ac in epistola ad Episcopium: *Legi, magno meo cum fructu & voluptate, quæ Cameroni iterum opposuisti. Soli-  
dissima esse judico, & argumenta tua & responsa.* Epist. præst. Vir. P. 719. Tilenus suum judicium hoc modo exprimit: P. 718. Judi- cium Grotii & Tileni, de hoc Scrip: o. *Aut hoc argumentorum satis est compescendo, imò & sanando, si sanabilis est, adversario, aut nescio quid sit satis. Utinam quàm maturrimè lucem adspiciat, & protervis istis hominibus delicias suas excutiat!* Judicio duorum tam doctorum viro- rum motus Episcopus responsionem hanc in  
Hol-

Quare id  
respon-  
sum non  
imprimetur.

Hollandiam, ad patrem meum Franciscum à Limborch, misit, cui nupta erat maxima natu filia fratris ejus Remberti Episcopii, ei curam editionis commendans. Verùm haud multò post, cum obiisse audivisset Cameronem, in Hollandiam statim scripsit, ne ea responsio ederet; nolle se enim cum mortuo, qui se defendere amplius non posset, certamen inire. Quamvis autem ei objiceretur Cameronis sententiam cum ipso non esse mortuam, sed eum haud paucos reliquisse discipulos, quorum causa eam responsionem edi necesse esset; non tamen adduci potuit, ut id concederet. Postea in Hollandiam reversus sæpius rogatus est, ne tam eruditum opus ejus cupidus invideret; præsertim, quia de defensione gloriabantur Cameronis discipuli, & à nemine refutati eam posse dictitabant, quibus operæ pretium esset inanem illam gloriam adimere. Verùm hisce rationibus à suo proposito dimoveri non potuit. Judicavit Cameronis sententiam, in sua epistola, satis esse refutatam: nec ea quæ Camero in sua defensione attulerat, tanti esse momenti, ut necesse esset novam responsionem ideò edere. Hisce aliam adhuc rationem quidam accessisse putant; nimirum, quòd in Apologia Confessionis Remonstrantium, quam postea composuit, & de qua in sequentibus plura dicemus, quædam ex ea desumpsisset, quæ iterum sub alio titulo in lucem dare indecorum, & lectoribus tædiosum fore putabat. Interdum dicebat, se velle hanc responsionem ad incudem revocare, & quæ hinc illic occurrebant superflua, atque alibi jam tractata retereare, & quando id facere vacavisset, flagitantium se tunc voluntati morem gesturum. Ita factum est, ut responsio hæc inedita remanserit, donec post ejus obitum

tum, unâ cum aliis ejus operibus, fuerit emissa. Dum hoc contra Cameronem opus conscriberet, fratre suo natu maximo Remberto Episcopus orbatus fuit, qui decimo Aprilis anni M. DC. XXV. diutinâ febrî, quæ interdum remittebat, sed iteratis vicibus intendebatur, obiit. Tam cari fratris morte nihil gravius in suo exilio accidere sibi potuisse Episcopus testatus est, quippe cum non solum fratrem, sed re verâ quasi patrem amisisset. Grotius de illius obitu hæc ad Episcopium scripsit: *Fratris tui mortem tamquam mei fratris accepi. Satis enim intelligo quantum in eo & boni omnes perdiderint, & tu in primis, cujus præsens calamitas non alio magis solatio sublevabatur.* Mortuus est eodem mense Princeps Mauritius, ac in ejus locum frater ejus Fredericus Henricus illicò susceptus Gubernator creatus est. Ab eo tempore sperarunt Remonstrantes duras illas persecutiones, sub quibus jam per sex fermè annos gemuerant, aliquantum mitigandas. Episcopus subinde cogitare cœpit, de revivenda Patria, erectus in illam spem le minore cum periculo, quàm antehac, illic commoraturum.

Cùm Remonstrantium Confessio jam fermè quinque annis lucem adspexisset, edita est anno vigesimo sexto in eam Professorum Leidensium Censura. Episcopus ab omnibus consentientibus votis destinatus est, ut huic responderet. Rothomagi dum adhuc esset, scripsit egregiam illam Orationem, quâ Remonstrantes alloquebatur Ministros, quæ Præfationis instar Apologiz est præfixa. Per idem tempus, Episcopus postquàm cum Uitembogardo deliberasset, ac amicos in Hollandia consulisset, in Hollandiam reverti decrevit. Duodecimo Junii, Uitembogardo valedixit, quod adnotavit hisce verbis:

Remberti Episcopi obitus.

1626. Professores Leidenses contra Confessionem Remonstrantium scribunt.

Episcopus in Hollandiam revertitur.

*Tristis erat valedictio , quâ discessi à sapientissimo fidelissimoque amico ; quem Deus tueatur , ac in patria mihi iterum in pace conspiciendum prabeat. Sibi invicem posterioribus etiam litteris valedixerunt. Uitembogardus in una è suis litteris hæc habet , quantum dolorem sustineam , quòd te destitutus sim , dicere non possum. Deus novit , quid sentiam. Nos æquo animo hæc ferre oportet : vir enim Macedo auxilium postulat. Te illuc ire , me verò hîc remanere Deus vult , qui jam in suorum commodum uti vult multis illis eximisque dotibus tibi in eum firmam concessis , me verò tamquam emeritum , & jam inutilem expectare ultimum ejus adventum in mœsta solitudine. Ito igitur , in nomine Domini , anima dimidium meæ. Dominus , qui te vocat , te servabit , tuumque iter secundabit. Vigesimo quinto Julii , Episcopus Portu Gratia profectus vento secundo Rotterodamum contendit , quò vigesimo octavo sub vesperam feliciter advenit. Ubique amicos suos adventûs sui fecit certiores , à quibus magna cum benevolentia exceptus fuit. Elapsis fermè duobus mensibus , sequutus eum est Uitembogardus , qui è Portu Gratia vigesimo primo Septembris vela dedit , ac vigesimo sexto feliciter Rotterodamum appulit.*

Hi duo præcipui Remonstrantium causæ patroni , ubi iterum in Belgio fuere , omnia è propinquo curare ac dirigere cœperant. Uitembogardus se aliquamdiu religiosis Remonstrantium Conventibus , qui clam fiebant , abstinuit ; tam ob periculum , quod ei magis quàm aliis imminebat , quàm etiam ne suâ præsentia eos in majus discrimen adduceret. Verùm Episcopus non tantum interfuit Conventibus , sed etiam interdum in iis est concionatus. Sed præcipuè calamo veritatem , causamque Remonstrantium uterque defendit. Episcopus , de quo solo hîc lo-



loquar, totum se applicuit refutandæ Professorum Leidentium in Confessionem Remonstrantium Censuræ. Dum hoc labore adhuc occuparetur, Belgicè libellum conscripsit, hoc titulo, *Judicium de Disceptatione de ordinario medio conversionis hominis, quæ nuper accidit Amstelodami inter eos, qui vulgò vocantur Waterlandi Anabaptistæ, inter Nittardum Obbesum, & Joannem de Ries.* Quoniam autem anno sequenti vigesimo septimo, Antonius Walæus Belgicè Censuram Professorum ediderat, eique præposuerat epistolam dedicatorem Ordinibus Generalibus inscriptam, quæ varias contra Remonstrantes criminationes continebat; Episcopus adversus eam statim Belgicè edidit *Apologiam Confessionis Remonstrantium.* Idem Walæus, mense Julio, in Academia Leidenfi disputationem habuit, prout eam vocabat, *de quatuor controversis Remonstrantium articulis, in qua status controversiæ nudè proponitur, ac Remonstrantes ad Ecclesiæ Belgicæ unitatem invitantur, integrâ veritate.* Edidit Episcopus adversus eam, *Examen Disputationis Walai, &c.* ac quàm inanes essent ejus propositiones ac invitatio ad Communionem demonstravit. Quum jam Magistratus mitiùs aliquantò cum Remonstrantibus agere inciperet, ac persecutionum illarum in Religiosos eorum Conventus æstus deferveret; Ministri, qui hucusque dixerant hæce acerbitates ab ipsis non oriri, sed Illustrum Ordinum esse Edicta, libellis supplicibus Ordines ferè obruerunt, quibus querebantur de Remonstrantium Conventibus, ac seriò admodum postulabant, ut secundùm Edicta punirentur. Vix una Congregatio Illustrum Ordinum Hollandiæ indicta fuit, quin Deputati Ecclesiarum Hagam venerint querelas, ac libellos supplices adversus Remonstrantes deferentes. Concio-

Judicium suum scribit de controversia inter quosdam Anabaptistas.

1627. atque parva duo Scripta contra Walæum.

Ut & quædam pro libertate Religiosorum Conventuum Remonstrantium.

natores insuper Amstelodamenses libellos supplices privatim adhuc Magistratui ejus urbis exhibuerunt, petentes, ut antecedentia Edicta renovarentur. Episcopus contra hæc libellum composuit hoc titulo : *Edictorum cupida Contra-Remonstrantium Religio, præcipuè Concionatorum Amstelodamensium.* Verùm cum hic absolutus non fuerit, editus non est : fortè quòd Uitembogardus libellum, adversus eos libellos supplices, emisit. Quoniam autem eo tempore Contra-Remonstrantes editis litteris probare nitebantur, ob graves rationes, Remonstrantium Religiosos Conventus vetandos, libellum in lucem dedit Episcopus : *Libera Religio, vel colloquium Remonstrantis cum Contra-Remonstrante, de liberis religiosis Remonstrantium Conventibus.* Horum Scriptorum compositio non impedivit, quominus Episcopus Apologiam Confessionis contra Censuram Professorum Leidensium conscriberet. Sub initium anni millesimi sexcentissimi vigesimi octavi, jam perfecta erat, nec tamen ante annum trigessimum edita fuit. Quippe cum opus esset in defensionem Confessionis cunctorum Remonstrantium scriptum, visum est Episcopo id non edere, antequàm præcipuorum è Remonstrantibus judicio id subjecisset. Mense Maio Lupistenium missum est, ibique à septem captivis Ministris descriptum, ut imprimi posset. Quidam ac in primis Carolus Niellius, observationes suas in id composuerunt. Itaque in varias manus pervenit, priusquàm prælo potuerit subjici. Uitembogardus, cum accuratiùs jam esset limatum, quarto Februarii, suum judicium de hoc opere ad Episcopium scripsit : *Legi id, magna cum admiratione ac voluptate. Tale est, ut non videam quòd confutari possit. Nitentur quidem adversarii, sed nixos de-*

Atque  
Apolo-  
gam  
Confes-  
sionis  
Remon-  
stran-  
tium.

*stituet eventus. Multa tamen captum meum superant, & acumen meum fugiunt, quippe qui multis in rebus non sum satis exercitatus. Optarem jam esse editum, ut studiosè id legere possim, multa enim ex eo mihi sunt discenda. Itaque editum fuit.*

Interim Magistratum æquitate Remonstrantes majori libertate frui cœperunt; Conventus apertius celebrari, quibusdam etiam in locis ædificia, in quibus haberentur conciones, ædificari.

Amstelodami, antequàm id ædificium inchoatum illic esset, trigésimo Decembris anni M. DC. XXIX.

Aliquoties Amstelodami concionatur.

Episcopus de nuntiata per Angelos Nativitate Christi Pastoribus, concionatus est, ex Luc. II.

8, 9, 10, 11, 12. Concio verò, cujus dimidia pars nondum absoluta erat, strepitu turbulentorum aliquot hominum interrupta fuit; sed biduo post, primo, nimirum, sequentis anni die inchoata iterùm ac sine ullo tumultu ad finem perducta est. Emtum interim est in platea vulgò vocata *Cæsarea*, ædificium, & in Oratorium habendis concionibus commutatum. Hermanus Montanus ultimo Januarii anni M. DC. XXX. die Jovis primam in eo concionem habuit. Sequenti die Dominico, tertio Februarii, Episcopus secundam concionem pronuntiavit in verba Epistolæ ad Hebræos X. 24, 25. *Et observemus alii alios, ut nos acuamus ad caritatem & bona opera: non deserentes congregationem nostri mutuam, sicuti mos est quibusdam, sed adhortantes alii alios,*

sine ullo turbulentorum hominum concursu, quia pluvia erat tempestas. Cùm die Mercurii sexto ejus mensis, concio iterùm haberetur, venere quidem tumultuosi aliquot homines, sed brevi rursus abierunt. Ab eo tempore, palam celebrati sunt Conventus, & domus illa in Ecclesiam mutata fuit. Ædificium id eo anno perfectum cùm esset, Episcopus in nova Re-

illic pri-  
mam in  
Remon-  
stran-  
tium  
Ecclesi-  
con io-  
nem  
pronun-  
ciavit.

Matri-  
monium  
contahit.

monstrantium Ecclesia, octavo Septembris pri-  
mus est concionatus, in verba Apostoli Pauli-  
i. Corinth. VI. 19, 20. *An ignoratis corpus ve-  
strum esse templum Spiritus Sancti, qui est in vobis,  
quem habetis à Deo, neque vos esse vestri juris?  
nam emti estis pretio: glorificate igitur Deum in cor-  
pore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Cùm  
jam Remonstrantes palam, sine ullo impedimen-  
to, libero Religionis suæ cultu fruerentur, Epi-  
scopus, postulantis ab ipso cunctis fratribus,  
formam composuit ad administrandum Christiani-  
sum Baptismum, & Dominicam Cœnam, ut hoc  
modo in omnibus Ecclesiis eadem ratione hæ-  
sacra Cærimonix administrarentur, quæ formu-  
læ post Catechesin Remonstrantium sunt im-  
pressæ: verùm cùm aliquantò essent prolixiores,  
additæ sunt iis aliæ breviores. Jam palam per  
urbes incedebant Pastores Remonstrantium, si-  
ne ullo captivitatis metu. Accidit tamen eo  
anno, ut dum Episcopus sub finem mensis Au-  
gusti Alcinariæ esset, venerit ejus urbis Prætor  
in Diverforium, cujus insigne erat Æthiops;  
Uitembogardum ac duos alios quærens, prout  
narrabat uxor Cauponis, & præ se ferens, si eos  
illic offendisset, se se comprehensurum illos fuisse.  
Jam omnibus ad tranquillam in Patria habita-  
tionem spectantibus, Episcopus de adsumenda  
sibi vitæ focia cogitare cœpit. Uxorem sibi ele-  
git Mariam, Joannis Pelleri filiam, Henrici  
Niellii viduam Rotterodami degentem; piam,  
benignam, ac prudentem, & perhonestâ insu-  
per stirpe ortam matronam. Ne in contrahen-  
do matrimonio, ab acerbis quibusdam homi-  
nibus impediretur, qui fortè ægrè ferrent nomen  
Episcopii, ut Sponsi, palam pronunciari; no-  
men suum legi curavit *Simonem Egberti*. Matri-  
monium octavo Decembris anni M. DC XXX. in  
Curia

Curia Rotterodamensi, solemniter promulgatum fuit. Secretarius nomen *Simonis Egberti* legens, Episcopiumque intuens, cum agnovisset, reliquis dixit Scabinis, hunc virum Episcopium esse, ac in exilium missum, an id Scabini quidem nossent? Illi verò cum simularent se non audire, Secretarius id repetiit, sed Scabinis sibi eam admonitionem non placere ostendentibus, tacuit ille, adeoque matrimonium consummatum fuit. Inter eos, qui sibi gratum esse hoc matrimonium testati sunt, fuit quoque Grotius, qui Lutetiâ Episcopo gratulatus est, ac inter alia hisce usus verbis: *Maximi viri Erasmi memoria merebatur, ne tales nuptiæ alibi, quam in sua urbe fierent.*

Narravi Apologiam Confessionis Remonstrantium, contra Professorum Leidensium Censuram, hoc anno fuisse editam. Lectâ passim eâ Apologiam, sparsus fuit rumor satis jam apparere, Remonstrantes à partibus Socinianorum stare. Ad id probandum, non dicebantur Remonstrantes in eadem esse cum Socinianis sententia; sed tantum gravari eos, qui circa Dogmata illa sublimia cum Socino sentirent, damnare ac salute æterna excludere. Anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, libellus sine nomine Scriptoris erat editus, *De Pace ac Concordiâ Ecclesiæ*, quem scriptura aiebant in defensionem Socinianorum, eorumque doctrinæ. Auctorem hujus libelli Episcopium esse contendebant, licet illo minimè conscio scriptus esset, nec nosset Scriptorum. Compertum postea est, eum fuisse Nobilem Polonum *Samuelem Pripkovium*. Mense Septembri, Deputati Synodorum Fœderatarum Provinciarum libellum supplicem Illustribus Ordinibus Generalibus exhibuerunt, quo petierunt, ut Remonstrantium Conventus

Criminationes  
adversus  
Remonstrantes  
ex Apologia  
petitæ.

riò impedirentur. Libello huic adjecta erant excerpta quædam ex Remonstrantium Apologia, quæ primò putabantur facta à Professoribus Leidensibus, sed ii dixerunt postea à Festo

Professo-  
res Le-  
denses  
contra  
eam pro-  
dromum  
edunt.

Hommio collecta fuisse. Haud multò post, Professores Leidenses breve Scriptum ediderunt, specioso hoc titulo ei præposito: *Specimen calumniarum atque heterodoxarum opinionum ex Remonstrantium Apologia excerptarum: instar prodromi, ad præmonendos omnes veros Christianos, in lucem emissum.* Scriptum id tam Latinè, quàm Belgicè editum fuit: sed plena refutatio hunc prodromum numquam sequuta est. Uitembogardus Belgicè id refutavit. Episcopus quoque Belgicè aliquid composuerat, sed non edidit; at Latinè ampliorem responsionem ad Specimen Leidensium Professorum conscripsit, quâ omnia quibus Remonstrantes petebantur, solidè & singillatim fuere refutata, multæque rationes traditæ, ob quas Remonstrantes gravati essent eos damnare, quos clarè in Scriptura damnatos non videbant.

Qui ab  
Epif o-  
pio refel-  
lebat.

1631.  
Ministri  
ex carce-  
re Lupif-  
tenia  
cum evi-  
sissent in  
ejus do-  
mum ve-  
niunt.

Episcopus tranquillè ita Rotterodami degens, vigesimo Julii anni M. DC XXXI. sub meridiem, die Dominico, in ædibus suis excepit septem Ministros, qui è Lupistenensi arce evaserant, ac ante ejus ædes navi egressi, ad ipsum intrarunt. Jam sæpiùs, quoniam Remonstrantes jam in omnibus fermè urbibus libero Religionis exercitio fruebantur, ab Illustribus Ordinibus, dimissionem in arce Lupistenensi captivorum Ministrorum petierant, Caroli, nempe, Niellii, Petri Cupi, Bernheri Vezekii, Simonis Lucæ Bysteri, Theodori Bomii, Pauli Lydenii, Arnoldi Geesterani (Poppio jam ante aliquot annos in carcere mortuo) quorum quidam octo, alii pauciores, imò Bysterus plures annos in eâ arce fue-

fuerant inclusi, nec tamen dimissionem impetrare potuerunt. Deliberatum itaque, quâ arte ex arce ea evadere possent. Ad id opera militis cujusdam usi sunt, qui primò admodum alienus ab iis fuerat; sed postea singulari quadam ratione immutatus, se iis plane obtrinxit. Pepererat ejus uxor, infans graviter ægorabat; nullus erat in arce Minister Contra-Remonstrans; itaque vocatus est Niellius, ut baptizaret infantem. Hac occasione de Religione sermo incidit. Miles Niellio objecit Contra-Remonstrantium doctrinam; Niellius dicere, eam Contra-Remonstrantium sententiam esse, & quia ei cum fratribus adsentiri non posset, se ideò in ea arce captivos teneri. Cùm mirum id militi videretur, hortatus eum est Niellius, ut in eam rem accuratiùs inquireret. Miles, compertâ veritate, se semper fuisse in sententia eorum comperit, quos antea contumeliosè tractaverat, iisque omne studium auxiliùmque est pollicitus: & re verâ ab illo tempore omne officium, comitatémque iis præstitit. Decreverunt itaque rationem inire, quâ possent ex domo Lupisteniensis in arcis murum pervenire, è quo se se fune demitterent, in scapham, quæ applicaretur muro ex ea parte, quâ Hollandiam spectat, quo solo loco, quia illac Vahalis fluit, mixtus folsâ in terra nullâ est cinctus: ac secundo flumine Rotterodamum peterent. Cùm jam inventa esset ratio, quâ nocte in murum pervenirent; Niellius vix poterat adduci, ut eo modo evaderet. Arcis Præfectus captivis Ministris potestatem fecerat aliquando interdiu recreationis causâ in vallo ambulandi, eâ lege ac sponsione, ne eâ libertate ad effugiendam abuterentur. Hoc promisso obstrictum se credebat Niellius, ad remanendum in arce, donec à Magistratu

dimitteretur. Putabant contrà alii sese promisso esse obstrictos, quoties eis Præfectus veniam daret ambulandi in vallo: promissum autem id impedire non posse, quin aliam quærent viam evadendi ex Arcis domo, ac ita alio tempore, cum ipsis non permitteretur ire in vallum, ex Arce effugiendi. Diu Niellius, qui religioni ducebat quidquam facere, quod aliquâ specie fidei violatæ infamari posset, huic consilio adversatus est. Tandem cum omnes unanimiter rem decrevissent, conducta est scapha, eique remiges impositi; qui tantâ arte remigabant, ut dum remos impellerent, nullus exaudiretur strepitus. Statuta est nox, quâ ille miles, de quo dixi, prope eum locum, ubi à muro se se demissuri essent, excubias ageret, ne ab alio vigile exsequi consilium impedirentur. Duo verò erant obices, qui difficulter videbantur posse superari. Unus erat, quòd ex illa parte Arcis, cui applicanda erat scapha, satis altum esset arundinetum; adeò ut ad ripam propè accedere scapha non posset. Alter verò erat Arcis Præfecti ingens canis, qui domo ad murum euntes allatrando magnum strepitum erat editurus. Singulari autem Dei providentiâ (ut quidem credunt Remonstrantes) ambo illi obices præter spem fuere sublati. Subinde Hispani quidam prædones in eo arundineto parvis scaphis se se abscondere soliti erant, ac flumen trajicientes ex improvise adoriri, eosque, priusquam quisquam se adsequi posset, in solum Hispanicum abducere. Hac de re delatæ sunt ad Arcis Præfectum querelæ, qui ad arcendos hosce prædones totum id arundinetum refecari curavit. Jam unus sublatus erat obex; canis verò hoc modo amotus est. Arcis Præfectus amicos Lupistenium ad epulas invitaverat. Jam aderant convivæ parati mensæ ac-

Miri  
eventus  
in hac  
fuga.



accumbere, cum canis ille culinam, ubi tum fortè nemo erat, apertam inveniens januam, ingressus est, ac omnem panem sectum ad offerendum convivis comedit. Cum jam mensæ accubuissent, ac apponerentur cibi, defuit panis, quem canem comedisse compertum est. Duabus horis opus erat, priusquam Gornichemo alius panis afferri posset. Præfectus tantâ irâ ob id correptus fuit, ut se se à mensa proripiens canem sclopeto trajecerit. Ambo hæc paucis diebus, antequam consilium Remonstrantium esset exsequutioni mandandum, evenerunt. Omnibus jam ad id instructis, nocte inter decimum nonum & vigesimum Julii diem, tempestate pluvîâ, feliciter exsequutioni fuit mandatum; scaphâ sine ullo remorum strepitu remis impulsâ, donec eò usque pervenissent, ut nec conspici, nec audiri possent ab iis qui in Arce erant, adeoque sub meridiem Rotterodamum inveci sunt. Hujus evasionis rumor totam civitatem illicò replevit, atque utræque fossarum ripæ hominibus oppletæ sunt, ad videndos hosce fugitivos Ministros exscendentes, eosque excipiendos.

Deliberatum dein à Remonstrantibus, quomodo constitueretur Seminarium, ad erudiendam in Theologia juventutem. Videbant Ministros exauctoratos, ante undecim vel duodecim annos, jam provecctam agere ætatem, ac nisi novi substituerentur, fore ut, veritas inopiâ Doctorum, brevi funditus concideret. Ad id necessarium negotium, ab omnibus communi suffragio designatus est Episcopus. Urbs in qua hocce Seminarium constitueretur, electa est Amstelodamum, quippe ubi Schola Illustris nuper instituta erat, in qua viri celebres, Vossius ac Barlæus, erant Professores; Vossius quidem Historiarum, Barlæus verò Philosophiæ. Quoniam  
autem

Episco-  
pus or-  
dinatus  
ad inter-  
viendum  
Semina-  
rio.

autem hi ambo non alieni erant à Remonstrantibus, judicatum est, Studiosos qui ab Episcopo in Theologia erudiebantur, ab iis in Philosophia & Historiis institui posse. Aliquot tamen anni elapsi sunt, antequàm Decretum hoc exsequutioni mandaretur. Ecclesia enim Rotterodamensis Concionibus ejus, quas subinde habebat, diu frui cupiens, adduci non potuit, ut eum dimitteret, ac Amstelodamum abire sineret. Remansit itaque adhuc Rotterodami, usque ad mensem Octobrem anni trigesimi quarti. Ibi aliquot Concionibus quintum Caput Evangelistæ Matthæi explicuit. Interim perpetuò fuit scribendo occupatus. Nicolaus Vedelius, qui non ita pridem Geneva in Belgium venerat, in lucem edidit librum inscriptum, *Arcana Arminianismi*. Contra hunc, anno trigesimo primo, scripsit Episcopus. Verùm in componendo hoc opere interpellavit eum Pontificius quidam Wilhelmus Bommius, qui cum eo colloquutus cùm fuisset, nec Auditoribus satisfecisset, disceptationem Scriptis instaurare voluit; adeoque Episcopus, alioquin occupatissimus, coactus fuit adversùs hunc hominem, stylum arripere. Attamen eum negotia ita obruerunt, ut & ab hoc opere fuerit abstractus, atque adeò duo Scripta, quorum unum fermè absolutum erat, imperfecta relinquere necesse habuerit. Opus adversùs Vedelium tamen processit, ac anno trigesimo tertio sub hoc titulo lucem adspexit, *Vedelius Rhapsodus*. Significare volebat Episcopus hinc illinc è variis Remonstrantium Scriptis Vedelium quædam collegisse, atque ex iis, prout voluit, varias deduxisse consequentias, easque Remonstrantibus affinxisse. Verùm antequàm editum id esset, jam aliis Scriptis fuit occupatus. Jacobus Triglandius

Suas  
Concio-  
nes com-  
ponit in  
Matth.  
V.

Contra  
Vede-  
lium  
scribit.

Contra  
Bom-  
mum.

dius, Amstelodami Concionator, anno trigesimo primo, edidit Conciones contra *Angustam portam Poppii*; quas omnes ingenti volumine comprehendit, quod vocabat *Vim pietatis*. Adversus id Episcopus, anno trigesimo secundo, parvum Scriptum edidit, hoc titulo: *Imbecillitas pietatis doctrinae Jacobi Triglandii, in libro contra Angustam portam Eduardi Poppii*. Triglandius refutationem eodem anno composuit inscriptam, *Imbecillus Remonstrans, prostratus ac dilaceratus vi doctrinae veritatis, quae secundum pietatem est*. Episcopus ei respondit, eodem anno, secundo Scripto cui fuit titulus: *Vis pietatis prostrata ac dilacerata Jacobi Triglandii, partim omissis responsis, partim infirmis subterfugiis*. Anno sequenti trigesimo tertio, edita est contra hoc Scriptum à Jacobo Triglandio, *Vera Religio defensa contra calumniosas ac perversas argutias Remonstrantium Societatis*; isque libellus formâ colloquii inter *Reformatum & Remonstrantem* compositus erat. Anno trigesimo quarto, contra eum Episcopus edidit librum, hoc titulo: *Rixosa Religio, sive intricata, falsa & ratione carens Religio Jacobi Triglandii*. Constat is quoque colloquio inter *Reformatum & discretum Contra-Remonstrantem*. Triglandius secundam quidem, contra hoc Colloquium, defensionem edidit; sed Episcopus, judicans se rem pertractasse, nihil illi reposuit. Sub idem tempus, vir celebris Joannes Beverovicus ab Episcopo per epistolam petiit iudicium de quaestione, *de Termino Vitæ*, fatalisne ille sit, an mobilis. De qua quaestione, Episcopus anno trigesimo tertio duas amplas litteras ad ipsum ea de re dedit. Antequàm Rotterodamo abiret, contra Pontificios edidit libellum inscriptum. *Vera antiquitas septem propositionum vel articulorum*; cui præfixum fuit, præfationis instar, parvum quoddam

Contra  
Triglan-  
dium.

Ad Be-  
verovi-  
cium.

Et contra  
Pos-  
tificios.

dam Scriptum, quod antea separatim editum hunc titulum gesserat: *Labyrinthus, sive circulus Pontificius*. Eo tempore, in animo habebat Episcopus aliquid contra Twissum, qui ingens Opus contra Arminium ediderat, scribere. Certiorem faciens hujus sui consilii Uitembogardum in epistola: *Cuperem quidem, inquit, subtili illi Twisso in Anglia parvo libro gloriam aliquantum minuere, ad tuendam bonam Arminii nostri famam*. Gavissus est summopere Uitembogardus, hoc sibi proposuisse Episcopium, eumque magis instigavit, si absque gravi ejus incommodo fieri posset. Occupationes verò tot eum obruerunt, ut hoc inchoatum non sit. Cùm jam status Remonstrantium, eorumque Seminarium non paterentur Episcopium diutiùs extra Amstelodamum remanere, tandem sub initium Octobris anni M. DC. xxxiv. illuc profectus est, sedemque ibi fixit, & ante finem ejus mensis Theologiam docere cœpit. Dum hoc munere fungeretur, composuit Episcopus præclarum Opus, post mortem ejus editum, *Institutionis Theologicae*. Eo Opere non tantùm inquit in veritatem singulorum dogmatum Religionis Christianæ, sed etiam momentum eorum, necessitatèque expendit, ut viam sternat paci & concordia, in Christiana Ecclesia. Omnes Theologi satis officio suo se defunctos credunt, si veritatem suæ sententiæ, ut putant, & falsitatem adversariorum doctrinæ probent: judicantes sese, hoc facto, jure à suis adversariis separatos manere. Planè aliud sentiebat Episcopus; putabat homines varias quidem tueri posse sententias, attamen una in Ecclesia & Communione conjunctos remanere; quando, nempe, Dogmata in controversiam vocata, non sunt ejus momenti, ut circa ea errans extra salutis spem constituatur, sed

1634.  
Amste-  
lodami  
habitan-  
dum  
venit.

Institu-  
tiones  
suas  
Theo-  
logicas  
scribit.

sed ut salutiferam fidem nihilominus retineat, eamque confiteatur. Eum in finem Opus id aggressus erat, ac postquam in cujusque Dogmatis veritatem inquisivisset, statim subjungebat examen ejus necessitatis; ut videntes quidnam necessarium esset, & circa id consentientes, in reliquis nos invicem, licet sententiis variantes, fratres amicè toleraremus, nec in partes Christi Ecclesiam divelleremus. In animo habebat omnia eo modo tractare Dogmata, ac demonstrare omnes, qui à Pontificia Ecclesia secesserant, in necessariis fidei Dogmatibus, consentire. Utinam utile hoc Opus, quale numquam hætenus in Ecclesia Christiana conspectum est, ad finem perduxisset! At visum est Deo fidelem suum servum, priusquam Operis hujus dimidia pars esset perfecta, cum ad tractationem Prophetici Muneris Christi pervenisset, in beatam quietem recipere. Hanc ipsam materiam Belgicè quoque tractavit, sed brevius in Concionibus, quas habuit in verba Domini nostri Joan. xvii. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, quæ etiam in tractatione de Munere Prophetico Christi finiuntur. Concedebat insuper discipulis suis potestatem per vires quæstiones circa Religionem, vel explicationem obscuri cujusdam Scripturæ loci, ipsi proponendi, ad quas respondebat. Tales sunt sexaginta quatuor, quibus respondit. Præter huncce laborem, provocatus subinde fuit ad defendendam bonam Remonstrantium causam. Editus erat tunc parvus quidam libellus inscriptus *Remonstrans Theologus*, ex quibusdam Nicolai Vedelii Scriptis conflatus. Adversus id Episcopus composuit, *Verum Remonstrantem Theologum*. Sub idem fermè tempus, Ecclesia

Et suas  
Concio-  
nes in  
Joannis  
xvii. 3.  
Atque  
aliquot  
alia  
Scripta.

Rotterodamensis enixè Episcopium repetiit, ut Concionatoris Munere fungeretur; sed post diutinam deliberationem, judicatum est eum in commodum totius Societatis, majori cum fructu, Amstelodami remanere. Sub finem Augusti anni M. DC. XL. Episcopus conductâ scaphâ, unâ cum uxore, Rotterodamum se contulit. Post meridiem, dum in itinere esset, corripuit eum febris, & sub vesperam tonitruum, pluvix, ac fulminum coorta est tempestas, qualis per aliquot annos non fuerat. Hæc fuit causa, cur seriùs Rotterodamum appellentes clausas invenerint urbis portas. Episcopus per longum tempus ex febre tremens ante portam expectare coactus fuit, donec tandem aperta sit. Hinc gravis orta febris, quæ per quatuor integros menses lecto affixum tenuit; atque adeò ejus vires attrivit, ut nulla fermè vitæ spes superesset. Tandem tamen Dei bonitate, valetudine restitutâ, sub initium Februarii sequentis anni Amstelodamum rediit; ubi non multò post in morbum incidit, sed brevi, Dei gratiâ, valetudinem rursus recuperavit. Usque ad vitæ ejus exitum gravissimi hujus morbi reliquiæ in ejus corpore remanserunt; interdum etiam calculi dolores coorti, quos antea numquam senserat. Eodem anno, Evaldus ac Ysbrandus Rosii fratres, Episcopiique uxoris cognati, Rotterodami degentes ad Pontificiam inclinantes Ecclesiam (ob rationes, uti creditur, mundanas, spe, nimirum, hereditatis adeundæ, quâ alioqui excidere verebantur) Episcopio decem quæstiones Scripto exhibuerunt, quæ sub titulo *Decem Dilemmatum Pontificiorum*, unâ cum responsione Episcopii, editæ postea fuere. Secundo Decembris ejusdem anni quadragesimi primi, Episcopus uxorem amisit, quæ postquàm aliquot diebus

In gravem morbum incidit.

1741.  
Responsum ad decem dilemmata Pontificiorum. Uxoermsuam amittit.

Dysuriâ

dysuria laborasset, ad quam accedebat febris, post nonum morbi diem obiit. Tam lectæ, probæque conjugis mors, cum qua summâ concordia vixerat, non parum eum affixit. Tamen fortis animus constansque fides erexerunt eum denudò, ad omnes sui muneris partes eodem studio & alacritate obeundas. Occupatus jam erat ultimo suo Opere, *Responsione ad Examen Abrahami Heidani contra Institutionem Religionis Christianæ, secundum Confessionem Remonstrantium*, eamque mense Septembri anni M. DC XLII. prælo subjecit. Verùm antequàm planè esset excusa, in lethalem morbum incidit; adeò ut ipse alloquutionem Abrahami Heidani ad Remonstrantes non refutaverit; sed libera illa Confutatio, Responsioni ejus præfixa, à Joanne Uitembogardo conscripta sit. Hâc itaque Responsione ad Examen Heidani ad finem fermè perductâ, Episcopus in eundem morbum dysuriæ, quo ejus uxor fatis concesserat, incidit. Sensit hoc malum decimo Februarii anni M. DC XLIII. ac omnibus remediis nequicquam adhibitis, octavo & nono die lotii aliquid emisit; verùm mox rursus substulit. Duodecimo die, plus lotii quidem emisit, sed cùm urina jam sanguinem ejus inficeret, varia signa exstiterunt, quæ mortem præfagebant. Veterno obrutus interdum manibus pedibusque non amplius sentire videbatur. Vigesimo quarto Februarii, oculorum usum amisit, quem quidem aliquatenus recepit, ita tamen ut distinctè nihil videret. Cæcitas hæc gravis admodum, quamdiu spes aliqua vitæ supererat, illi fuisset, nisi ejus sensum veternus minuisset. Nihilominùs per intervalla soporis illius, apud amicos de hac cæcitate conquerebatur; quòd se deinceps Ecclesiæ Christi inservire, ut antea, non posse animadverteret. Reliqui

Contra  
Heida-  
num  
scribit.

In mor-  
bum  
incidit.

1643.

Atque  
moritur.

ejus sermones nihil præter pietatem, & fiduciam in Christo Servatore spirabant. Tandem ingravescente morbo, omnis spes vitæ evanuit, omniâque ad mortem vergebant; donec tandem quarto Aprilis, circa horam decimam matutinam, piè in Domino obdormiverit, cum sexagesimum ætatis annum & circiter tres menses explevisset. Animadverterunt quidam eâdem horâ, quâ mortuus est Episcopus, Lunam Eclipsin esse passam; quapropter dixerunt tam eximii viri mortem instar Eclipsis fuisse, quæ parte radiorum, quos à Christo Sole suo accipiebat, ut in alios refunderet, ad tempus usque resurrectionis justorum eum privavit; alterâ interim in Scriptis, quæ reliquit, fulgente, & ignorantiz tenebras ex animis multorum discutiente. Cadaver ejus, quarto post die, in Ecclesia Occidentali juxta uxorem est depositum. Uitembopardus summâ senectute, quippe qui non ita pridem annum octuagesimum septimum attigerat, Amstelodamum venit, ut funeri adeslet. Pridie ante exsequias cum in ædibus Episcopi esset, ad capulum propius accessit, impositaque capiti cadaveris manu, non sine magna animi commotione dixit: *O caput, quanta sapientia in te recondita fuit!* Grotius, Lutetiz audito hocce obitu, ad fratrem Hagam, paucis verbis hunc in modum scripsit: *Episcopi mortem scio tristem fore Remonstrantibus: valebat ingenio, & eloquentiâ, & bonis moribus.* Consanguinei, in memoriam tam eximii viri, numisma cudi curarunt; cui impressæ Veritatis, Libertatisque icones fuerunt, ad significandum eum, dum viveret, utramque fortiter defendisse. Patrem meum Franciscum à Limborch Scriptorum suorum heredem fecit, ac curam eorum Petro Cupo Rotterodami apud Remonstrantes Ministro, cui nupta erat Episcopi



pii uxoris soror, Bartholomæo Prævostio Amstelodami, ac Joanni Polyandro Alcmariæ Concionatori commendavit; quos cum Patre meo oravit, ut Scripta sua reviderent, ac in lucem ederent.

Hoc modobreviter jam Episcopii vitæ curriculum descripsimus, indefectumque laborem, quem ad obeundum suum munus, ut fidelem servum Dei Christique decet, usque ad vitæ exitum impendit. Superest jam ut eum, quoad ejus fieri potest, penitiùs introspeciamus, & ingenii, animique ejus dotes in apertum proferamus. Quamvis ex iis, quæ dixi, satis colligi queant, ac in ejus Scriptis clarè fulgeant; operæ pretium tamen est, eas paullo accuratiùs describere. Fuit itaque vir præclari liberalisque ingenii, judicii acris acutique, diligentia indefessæ, eruditionis eximiæ, efficacis eloquentiæ, probitatis spectatæ, ac tandem fortitudinis constantiaque intrepidæ. Hisce dotibus splendorem adjecerunt hilaris ejus candidusque animus, modestia & comitas; qua se singulorum captui accommodare, parvisque ingeniis subvenire noverat, & omnes amicè comiterque compellabat.

Si hæc omnia singillatim fusèque probare cuperemus, actiones ejus Scriptaque satis amplam materiam nobis præberent. Verùm latum hunc dicendi campum non ingrediemur. Acumen ejus ingenii & eruditio tantopere excellent, omnibusque adeò innotuerunt, ut superfluum videatur quidquam de iis dicere. Remonstrantes agnoscunt eum præcipuum patronum & defensorem veritatis, ac doctrinæ de Tolerantia, quam profitentur. Joannes Uitebogardus, cujus dotes eximiæ omnibus notæ sunt, sæpiùs consanguineis Episcopii est testatus, *se se cum multis eruditis viris fuisse colloquutum, verùm nul-*

Testi-  
monia  
circa ejus  
ingeni-  
um &  
eruditio-  
nem.

*lum Theologum offendisse, qui notitiâ Scripturæ rerumque Divinarum Episcopo æquiparandus esset. Addidit, se se hæc non dicere consanguineis adsentandi causâ, sed quia ita ex animo sentiebat. Quanto in pretio ejus Scripta in Angliâ sint, omnes norunt, librîque eruditissimorum quorûmque virorum indicant, quantum ab eo didicerint. Imò maximi ejus adversarii excellentes hominis dotes coguntur agnoscere. Heidanus in *Causa Dei*, fatetur, hæc egregia ornamenta in eo splendere, magnam eruditionem, subtilitatem, eloquentiam, & peritiam: easque tantas, ut si hæc dotes ad defendendam Heidani sententiam adhibuisset, quibus ad eam oppugnandam usus est, potuisset non inter minimos nostri ævi Doctores æstimari, ac in pretio haberi.*

p. 959.  
960.

p. 667.  
s. xv.

Franciscus Burmannus nuper Ultrajecti Professor, in secunda parte Synopsis Theologicæ, hoc ei perhibet testimonium. *Inter Remonstrantes omnium ferè instar est eorum primipilus Episcopus, qui adversus Judæos & Pontificios laudabilem operam contulit, in reliquis maximo cum judicio & sale legendus. Qui opera viri celeberrimi Andreæ Riveti ediderunt, nullum aliud iis elogium præposuere, quàm quod ei Episcopus in epistola quadam ad Beverovicium tribuit, qui hoc iterùm Riveto indicavit: eo ipso ostendentes quanto in pretio eruditio, judiciûmque Episcopii apud eos sit. Imò multi ex Pontificiis tantopere ejus eruditionem venerantur, ut, quamvis eorum Ecclesiam & Dogmata quàm maximè impugnaverit, magna tamen cum laude de ejus Scriptis loquantur.*

Nuper Joannes Mabillonius Scriptis in Gallia hoc tempore clarus, hoc testimonium Episcopo dedit: *Prætermittere nequeo, quin hîc dicam, si*

qua.

*quædam loca ex Theologicis Institutionibus Episcopii delerentur, quas tanto in pretio habuit Grotius, ut eas semper secum portaverit, (Errat Mabillonius, id enim Opus Episcopii nimis amplum est, quàm ut circumferri queat, ac præterea quinque annis post obitum Grotii lucem demum adspexit) magno usui eas in Theologia esse posse. Opus hoc in quatuor libros est divisum, quorum ordo planè est diversus ab eo qui vulgò usurpatur. Stylus est elegans, modus tractandi res cum stylo consentit, nec malè tempus poneretur in eo legendo, si demta ei essent quædam loca, quibus contra Catholicos loquitur, vel suam defendit doctrinam.*

Des  
études  
Monast.  
Part. II  
c. 6.

Qui vel minimùm in ejus Scriptis erit versatus fatebitur, quodcumque Scriptum Episcopii inspiciatur, in quemcumque locum Scriptorum oculi incidant, hæc dotes quàm splendidissimè ubique fulgere. Si perlegatur tractatio materiæ Theologicæ, quæcumque tandem sit, non tantùm accuratè res à se invicem distinctas cernere licet, & Dogma in quod inquiritur clarè & perspicuè propositum; sed etiam ita exhaustum argumentum, ut fateri necesse sit, de illo nihil ampliùs dici posse. In confirmanda sua doctrina & in impugnanda ea quam improbat, non omnibus sine discrimine argumentis utitur, ut vulgò à multis Theologis fieri solet; sed priùs singulorum vim & momentum sedulò expendit, & rejectis iis quæ exiguam vim habent, ea tantùm adhibet, quæ convincere queant; ratus probationis pondus non in copia, sed in vi argumentorum situm esse, ac debilibus argumentis, quæ facilè ab adversariis solvi queunt, veritati magnum damnum inferri, & errantes in erroribus suis confirmari; eo quòd debilitate argumentorum, quæ solverunt, facilè animus præoccupetur, credantque reliqua non esse majoris momenti, atque tam infirma ob penuriam meliorum adhiberi. Si

Ejus  
acumen  
in tra-  
ctanda  
Theo-  
logia.

conicias in explicationem Scripturæ ; vel ob-  
 scurum dubiúmve ejus locum ab Episcopo ex-  
 plicatum ; fatearis oportebit omnia , quæ in  
 egregio interprete requiruntur , ab eo fuisse ob-  
 servata. Nempe , ante omnia operam dat , ut  
 scopum sacri Scriptoris reperiat , accuratè at-  
 tendit vim loquutionis , quæ adhibetur , ac  
 quidnam illa in lingua originali significet , ple-  
 rumque illam eligit explicationem , quæ è totius  
 orationis filo sequi videtur , & quæ nullo modo  
 detorta est. Quin etiam sensum , quem eligit ,  
 gravibus rationibus confirmat , adeò ut atten-  
 tum lectorem , & qui præjudicio non laborat ,  
 in suam sententiam trahat ; vel saltem interpre-  
 tationem suam , admodum esse verisimilem ,  
 ostendat.

Quid  
 senserit  
 de lectio-  
 ne 'a-  
 trum &  
 Ecclesia-  
 sticarum  
 Historia-  
 rum.

Quidam ejus eruditionis famam inquinare  
 conantur , objicientes eum non multum exer-  
 citatum fuisse in Antiquitatibus Ecclesiasticis  
 & Scriptis veterum Ecclesiæ Doctorum , qui  
 vulgò Patres vocantur. Libenter fateor Epi-  
 scopium non in tanto pretio habuisse Antiqui-  
 tates Ecclesiasticas , quanto ii qui ex iis ac-  
 curatam cognitionem omnium Ecclesia-  
 sticarum Controversiarum peti posse existi-  
 mant , & ex consensu , quem in omnibus Scri-  
 ptoribus inventuros se sperant , normam habe-  
 re se putant secundum quam de hodiernis  
 Ecclesiæ diffidiis tutò judicare possint. Episco-  
 pius non videbat jactatam eam utilitatem , in  
 Patrum Scriptis ; judicabátque consensum eo-  
 rum cum hodiernis Dogmatibus quærere infi-  
 niti esse laboris ; quia non tantum ii omnes er-  
 rare potuerunt , sed etiam re verâ , nemine exce-  
 pto , cuncti erraverunt. Tam accuratè Scriptu-  
 ram eos non explicuisse , ex eorum Scriptis ap-  
 paret , quàm alios multos , qui seriùs vixere.

Qua-

Quare tanti non faceret cognitionem Historiæ Ecclesiasticæ ipse in initio secundæ suæ Epistolæ ad Waddingum , de Cultu Imaginum , exprimit ; ubi rationes edit , ob quas non libenter disceptationem inire vellet ex Ecclesiastica Historia , postquam prius dixisset multa obscura in iis Antiquitatibus esse , verba sæpè ambigua , ac in perversum sensum detorqueri , sæpè mutuari ac perfidè mutari , adeoque infiniti esse laboris hæc omnia rectè secernere , hanc addit rationem : *Accedebat , quæ me maximè urgebat conscientia , quòd in Historiis operam talem non posuissem , qualis in eo requiritur , qui ab earum citatione , causæ suæ lucem aut patrocinium facerari studet. An genio quodam meo , an studio id accidat , vix dixero. Hoc scio , non affici animum meum , aut saltem non nisi leviter affici ab Historiis , qualescumque eæ ferè sint , in primis Ecclesiasticis. Experior enim hodie , quàm sit incerta Historicorum fides. Id variis cum probasset rationibus , hoc modo pergit : Nec præterita tantùm , sed præsentia etiam , & quæ recens gesta sunt , eadem fide narrantur. Sentimus id nostro malo , & damno in patria nostra , & in hoc nostro exsilio. Quæ non dicuntur , scribunturque ab Historicis in omni orbis parte de Remonstrantibus , quos vocant ? Quàm fœdâ historiâ maculavit chartas suas , nihil minùs quàm historici nomine dignus , Baudartius ? Quid non de iis , quæ in Belgio gesta sunt , scripsit ineptus iste Hesus Daniel Angelocrator , in libro suo de Synodis ? qui tamen unus ex Patribus , ad Synodum conscriptis , fuit , & coram de re totâ resciscere potuit. Quis fidem detrahere audebit Theologo , ad Synodum conscripto , qui per menses aliquot in Hollandia fuit , & conversatione Theologorum & Deputatorum Ordinum uti potuit ? Totidem hæc argumenta sunt ad fidem ei faciendam , in primis ubi*

*liber ejus, quantumlibet insulsus, ætatem nactus fuerit; & tamen tam sunt apertè falsa, tam à vero aliena, quæ scripsit, ut mendacium Græcorum historicus accenseri debeat. Hæc aliâque dum confidero, abripior sæpè in eam opinionem, ut, an quæ olim gesta esse dicuntur, quæque his & illis tribuuntur, re verâ ita se habeant: saltem ut iis vel me apud animum meum convinci patiar, vel alios convincere velim, adduci non possim; in primis cum historiæ partium conscribuntur. Fieri enim vix potest, quin affectus iis se misceant, per quos rei veritas plerumque obnubilari solet. Suspecta meritò est historia omnis, nisi is, qui scribit, extra partes positus sit omninò, & ipsius proorsus non interfit, utrum hoc vel illud narretur.*

Ejus  
paci  
amor.

Verùm præ omnibus excellit pacis ejus amor, ubique in ejus Scriptis conspicuus. Quamvis ab aliis sententiâ discreparet, neminem tamen umquam constringi voluit, ut suæ sententiæ adsentiretur; quos vi argumentorum convincere non poterat, eorum paratus erat errores fraternè tolerare. Fundamentum hujus tolerantix erat, quòd, sicut omnes statuunt Protestantes, omnia quæ unicuique necessaria sunt creditu & factu ad æternam salutem, plenè ac clarè in Sacra Scriptura continentur, utpote unicâ ac infallibili regulâ Fidei & Morum, nobis à Deo & Jesu Christo solo & supremo Legislatore tradita. Quodcumque itaque nullo modo, vel non clarè, vel non additâ necessitatis notâ, ad consequendam vitam æternam in Scriptura continetur, nemini umquam ut necessarium creditu præscribere conatus est. Quod Scriptura disertè damnat, numquam statuit tolerabile, nec eos qui talia docent in Christianam Societatem admitti fas esse censuit. In omnibus solebat se gerere ex sententiâ à Domino la-

ta ; quippe qui sciret non sibi , sed supremo Doctore , & Legislatore Jesu Christo jus esse leges salutis & damnationis ferendi , ac unumquemque , qui sibi jus arrogat plura ad salutem necessaria constituendi,quàm Christus ipse in suo Verbo definivit , sibi arrogare quod Christi solius est , ejúsque adscendere tribunal. Hoc Dogma tanti apud eum fuit momenti , ut id longè præponeret defensionem Dogmatis maximi momenti de Prædestinatione , in cujus patrocinium tot eruditos conscripsit Tractatus. Id ipse in epistola ad Hugonem Grotium testatur : *Societatis nostræ piam causam amo majore affectu, quàm juvare possum. Nec enim existimo esse cœtum, qui Christiano orbi dissidiis ac schismatis laboranti saniora remedia propinet. Quinquarticulanam litem tanti non facerem , nisi conjunctam sibi haberet eam, quæ est de discretione necessariorum Dogmatum à non necessariis , sive de mutua Christianorum tolerantia. Video esse qui aliter sentiunt , & intra quinque articulos rigidè & ἁποτόμως consistendum esse arbitrantur. At eorum sententiæ ego non possum accedere ; non quod movendum quidquam putem, quod hæctenus immotum voluit Christianus orbis. Nihil minùs. Usque adeò amo Christianam pacem ac concordiam , ut dissimulare malim non necessariæ veritatis scientiam , quàm ex pertinaci ejus ostentatione velut ex mustaceo inanem gloriæ laureolam quærere. Sed quod parum actum & profectum credam, nisi omnibus simul non necessariis litibus ac jurgiis , quæque ex iis nascuntur, dividiis, secessionibus, schismatis, & persecutionibus , obex ponatur per accuratam non necessariorum à necessariis Dogmatibus discretionem. Hoc agere, in hoc eniti, operæ pretium puto. Pro veritate , & de veritate non necessaria anxie contendere, aut acriter digladiari tanti mihi non est.* Præ-

Epist.  
præst.  
Vir. 484.  
P. 750.

stat

stat errare circa non necessariam veritatem, quam rectam de ea opinionem vertere in occasionem schismatis, aut divortii causam facere. Error non opus est carnis, sed schisma, odiorum & factionum, adeoque persecutionum mater ac nutrix. Atque hunc ego arbitror esse omnem laborum Scriptorumque nostrorum scopum, ac finem, cui omnia posthabenda sunt. Non dubito, quin hoc propositum nostrum usque adeo gratum acceptumque sit supremo Numini, ut vel eo solo nomine favorem & benedictionem ejus Societati nostræ promittere audeam, vel si totus orbis refragetur. Ob hanc moderationem & pacis amorem, Socinianismi insimulatus fuit, imò palam dictum est eum esse Socinianum; cum reputare homines oportuisset planè aliud esse non audere Socinianum, ob suam sententiam, damnare, eumque salute excludere; aliud verò esse Socinianum, Sociniquæ doctrinæ adsentiri. Hoc discrimen Abrahamus Calovius nuper Wittembergæ Professor facere rectè novit, licet æquè à Tolerantia Remonstrantium sit alienus, quam quisquam inter omnes Contra Remonstrantes, cum ita de Episcopo scribit: *Num verò Episcopus Sociniana Hæreseos reus peragendus sit, de eo haud dubitare videtur Voetius. Vedelius verò, in primis Episcopium, è Mystagogis Arminianorum, Socinianum esse, totumque innutritum, totum perfusum esse lacte Sociniano, idque in medullis habere pronuntiat. Ceterum è Scriptis Episcopi contrarium haud obscure patet. Quandoquidem S. S. Trinitatem luculenter propugnet, & præexistentiam Filii Dei, ante Nativitatem è Maria Virgine, ac Divinam ejus naturam, etiam adversus Socinum adsertum eat, hujusque argutias & exceptiones operosè refellat, quemadmodum legere est in Inst. Theolog. Episcop. lib. IV. c. xxxi. Non sunt quidem*

Confid.  
Armin.  
pag. 11.



*quidem omnia sana, aut Catholicæ Fidei de S. Trinitate prorsus consentanea, quæ ibidem tradit, uti suo loco monebitur, Auctorem tamen non docent Socinianum, sed alienum potius à Sociniana doctrina demonstrant. Ut proinde minùs tutum sit soli Calvinianorum accusationi fidem adhibere, nisi altera pars, Remonstrantium scilicet, audita fuerit, eorùmq; sententia è propriis Scriptis produeta. Imò dicere ausim Episcopium suâ moderatione, & vi rationum magis profecisse erga Socinianos, quàm omnes alios Scriptores, qui sæpè eorum sententiam infirmis argumentis impugnarunt, adeoque eos magis in sua sententia confirmarunt. Id hac occasione exemplo illustrabo. Dum Episcopus Leidæ esset Professor, Jonas Slichtingius & Martinus Ruarus per aliquod tempus Leidensem Academiam frequentarunt. Episcopus varios sermones cum iis de Religione habuit, ac in primis de vi mortis Christi. Proposuit iis Episcopus sententiam Remonstrantium, quæ media est inter sententiam Contra-Remonstrantium & Socini. Docent, nempe, Contra-Remonstrantes, Christum suscepisse in se omnia electorum peccata, omnes luisse pœnas, quas ipsi meruerant; atque adeò, propriè loquendo, eum loco ipsorum punitum esse, ac eâ ratione vindictivæ justitiæ Dei satisfecisse. Socinus contrà credit Christum mortuum esse, ad doctrinam suam morte obsignandam & confirmandam, ac è mortuis excitatum in cœlo constitutum fuisse Regem super omnia, omnémque in cœlis & terris potentiam accepisse, atque hac potentiâ eum verbum suum in mundum mittere, cujus vi homines convertit, & conversis ut cunctorum Rex omnia peccata ignoscit, adeoque eos cum Deo Patre reconciliat. Sententia verò*

Remonstrantium est, Christum acerbâ suâ ignominiosâque morte, quam innocens passus est, Dei voluntati satisfacisse, quæ simul iustâ fuit ac misericors: id est, Deo promptè paruisse, ac omnia passum, quæ Deus voluit eum pati ad expianda generis humani peccata; adeoque mortem ejus fuisse propriam, ac efficacem oblationem pro peccatis hominum, quâ ira Dei erga peccata placata fuit; atque adeò Deus cum hominibus novum fœdus iterum fecit, quo pronunciat se se omnia commissa peccata clementer iis remittere, ac eos salute æternâ donare velle, eâ conditione, ut Filio suo Jesu Christo credant, ejusque Evangelio obtemperent. Dum verò hoc gratiæ Verbum ipsis prædicatur, cohibet suam iram, eorumque conversionem patienter expectat. Hujus suæ sententiæ, quæ inter duas alias vel media est, Episcopus anno millesimo sexcentesimo decimo sexto, per Gerardum Vossium, Hugonem Grotium certiolem fecit, cum ille ab hoc peteret iudicium suum de ipsius erudito adversus Socinum libro, de *satisfactione Christi*. Hanc sententiam Episcopus ita Scripturâ confirmavit, ut Slichtingius & Ruarus convictos se sentientes, desertâ suâ, Remonstrantium sententiam fuerint amplexi, quod etiam in Scriptis suis subinde ostendunt.

Epist.  
præst.  
Vir. 278.  
p. 28. 477.

Ejus moderatio  
& comitas.

Hunc pacis amorem comitabatur modesta ac moderata libertas, sententiam suam in aliorum ædificationem proponendi, eamque singulorum iudicio subjiçendi. Quantam libertatem sibi postulabat, tantam etiam concedebat aliis; & quod nimis iudicabat aliis esse, id sibi non petebat; sed libertatem cum caritate conjungens id semper egit, ut aliis faceret, quod sibi fieri cupiebat, & quod sibi fieri volebat, id aliis etiam

etiam non faceret. Hoc effecit, ut æquo animo ferret dissentientes, eosque, nullâ discriminis ratione habitâ, comiter compellaret, & se se uniuscujusque captui, imò imperitorum ingenio accommodaret, ut eos quibuscumque modis ad veritatis cognitionem adduceret. Talem cum agnoverunt, quotquot familiaritate ejus usi sunt.

At fortè dicent hîc quidam, Episcopium in suis Scriptis egregiam eam mansuetudinem non ostendisse, sed è contrario eos, contra quos scripsit, acriter nonnumquam perstrinxisse. Scio multos ea de re queri, eosque omnium maximè qui minimam causam querendi habent. Queruntur Apologiam Confessionis Remonstrantium, ejusque Scripta contra Heidanum & Vedelium, acerbo stylo esse exarata. Sed si concessero eum quædam leniùs dicere potuisse, quàm fecit, an ideò querendi materiam hisce hominibus præbuit? Non jam hîc dicam Episcopium alios priorem non esse adortum, sed ab aliis laceffitum suam Remonstrantiùmque bonam causam defendisse; verùm hoc solum, ut Scripta tantùm, adversus quæ Episcopus scripsit, comparentur cum Episcopii responsis, & tum sine affectu præjudiciòve perpendat Lector, utri majorem animi acrimoniam adhibuerint. Hi homines Scriptis suis ostendunt, se non id agere, ut Remonstrantes erudiant, sed ut eos odiosarum hæreseon suspectos faciant, atque hac ratione novas in eos persequutiones excitent. Omnia tamquam perniciosas hæreses damnant, idémque acerbum ingenium ubique in eorum Scriptis conspicuum est. Episcopus temerarium hunc damnandi morem seriò impugnavit, ostenditque quàm repugnaret mansuetæ Jesu Christi indoli, ejusque Evangelio. Non id est purus putus error, sed

Respon-  
sum ad  
accusa-  
tionem  
quòd  
ejus Scri-  
pta acer-  
ba sint.

pec-

peccatum pœnâ dignum, atque eò magis quòd specie zeli pro veritate Dei tectum est. Sanè ut verus esset Christianæ pacis ac libertatis defensor, non potuit non ejusmodi peccatum vividis coloribus depingere, atque seriò castigare. Interim licèt quibulvis probris contumeliisque ipse, cum suis fratribus, sit petitus, quamvis odiosas hæreses ipsi affinixerint ad vexationem iterùm iis creandam; numquam liquebit eum calumnias vel probra illis rependisse, sed tantùm feris, &, si opus esset, acribus castigationibus, quæ bonis rationibus fultæ erant, usum fuisse. Nullibi in ejus Scriptis reperias adversarios ab eis dictos *hæreticos vel fœderum ruptores*: vel de eorum animis temerarium tulisse judicium, ac quod defendunt, *oriri solummodò ex gloriæ cupidine, ac animi ambitione, ac deinde id in seriam contentionem verti*; adeò ut quod ab aliis persuasum voluerant, hoc ipsi tandem jam credant, quasi contra conscientia dictamen scriberent ac docerent, ac tandem ea crederent, quæ diu reluctante conscientia præ inani solummodò gloria docuissent. Ejusmodi temeritas, quâ sibi arrogat judicium de corde proximi, & in Dei tribunal ascendant, numquam in mansuetum ejus animum irrepsit. Qui laudare queunt Scripta, ad quæ Episcopus respondit, non video, quomodo ii de acerbitate, quam fortè adhibuit Episcopus, queri possint. Norunt omnes, quomodo Doctores ii Calvinò & Bezæ acerbitates, tam Scriptis, quàm in primis factis & persequutionibus exercitas, condonare queant. Heidanus, *Calviniani*, inquit, *iram rarò quisquam expertus est, quàm is qui eam meruit. Hoc magnis viris innatum est, qui in rebus suis serii sunt, ut paucis benè cesserit, qui ipsos laceffere volunt. Irasci quidem possumus, & tamen non peccare. Ira pro Dei gloria*

*via & veritate suscepta magnos animos decet.* Qui vel centesimam partem condonet Episcopio eorum, quæ hîc Calvino; non solum nihil in Episcopio castigandum reperiet, sed etiam mansuetudinem ejus laudet, necesse est.

Verum dicunt alii, argumenta ab eo sacra scurriliter nimis tractata. Respondeo, numquam compertum iri Episcopium Theologicam materiam, vel Dogma Religionis tractasse scurriliter. Fortè homines, qui alios temerariè damnant, & censent se tamquam Magistros aliis legem credendi vel non credendi præscribere posse; cum interim ignorantiam suam in rebus Theologicis nimis manifestè ostendant, serio increpuit. Si hoc sit illis scurriliter agere & joculari, tum verò summum in temeritatem & audaciam ejusmodi hominum jocus dici potest; at procul absit, ut materiam ad Religionem pertinentem scurriliter tractarit; quin contra eas serio ac reverenter tractavit. Rationem sui styli solito acrioris Episcopus ipse in epistola ad Casparum Barlæum tradit: *Ne sine dropacibus & synapismis scriberetur Apologia, visum fuit ple-  
risque fratrum, ac tandem etiam mihi, quamquam, ut nosti, ab iis sum naturâ alienior. Censendi illa impetigo defricanda videbatur, salis alicujus adspersione. Et cum passim appareret censores id agere, non ut nos meliore veri scientiâ erudirent, sed ut nos odiosarum suspicionum maculis infamatos, tantum non victimas facerent publici odii, profectò libertate utendum videbatur & non parcendum hominibus tam parum Christianis, sed panè cum scom-  
matis, eorum cum in disputando inscitia, tum in censendo protervia, publicitus erat pandenda.* Ac in epistola quadam ad Beverovicium, de acerbitate cujusdam Concionatoris questus hoc modo pergit: *Ego meliorem mentem illi precor, & in-*

Atque quod sacras materias jocose tractat.

Præf. VII. Epist. 478. P. 947.

Epist. 523. P. 775.

nocentiæ meæ conscientia me consolor. Tantùm doleo, istis conviciis ali atque acui odia promiscuæ plebis in capita innocentium, magno Ecclesiæ & Reipublicæ damno. Absque illo esset, jam callum obduxisset animus contra omnia ista maledicta & opprobria: multa enim malevoli contra nos machinantur. Atque hæc est causa, quæ me aliquando impellit, ut istorum hominum malevolorum & maledicorum imperitiam acriore calamo perstringam; non quòd isto scribendi genere delecter; sed ut larvam istis detrahâ, quâ miseræ plebi imponunt, eamque tantùm non tribunitiis suis Concionibus & Catilinariis Scriptis in rabiem & furias agunt. Nimirum dissentientem à se vix sine odio ferunt, & si quis ea, quæ novitiis heri ac nuper in Scholis didicerunt, non ad crepitum digiti, tamquam prætoriam quædam edicta amplectatur, eum fugere atque odisse jubent, non aliter quàm fideratum, aut qui bidental aliquod calcavit. His & talibus ferè suadeor, non ut aliter scribam, sed ut ne scribam, & silentio tutus sim, quia ratione vix licet. Magnis ingeniis & quæ indolis sunt elegantioris ac hilaris, facilè venia conceditur, si maledicta & opprobria aliorum acumine quodam dicendi retundant. Inciderat Episcopus in difficilia tempora, quibus Ecclesia dissiidiis turbata erat, nec tantùm cum errore, sed etiam cum ignorantia, acerbitate, tyrannide, & dominandi cupiditate luctandum fuit, & aliquoties de eadem re scribendum. Sæpiùs questus est coactum se se esse florentissimam ætatem in tractandis controversiis absumere; adeò ut, cùm argumento quod ædificare posset, vel explicationi Scripturæ se se dederet, inde passim disceptationibus abstraheretur. Notum est quàm sit tædiosum, pacis amanti homini, ab utilioribus occupationibus invitum trahi ad contentiones. Tædiosius verò non tam errori, quàm

quàm contendendi libidini, tyrannidi adversari; tædiosissimum denique idem argumentum sæpiùs tractare. Ideóque vix vitari potest, quin quandoque datâ occasione tædium illud emicet. Et si concederem Episcopium in absurda Dogmata quæ à quibusdam defenduntur, fuisse jocatam, quod nullo modo fecit, magisne propterea increpandus esset, quàm Phil. Marnixius, qui in suo Alveario tam apertè jocatur in doctrinas Pontificiorum? vel quàm Petrus Molinaus, de cujus cavillationibus adeò Pontificii queruntur, ut eum alterum Rabelæsum vocitent? Interim quemnam Reformatorem hi joci offendunt? Imò quis est, qui eos non laudet, ac iis lectis non magnopere gaudeat? Quænam ergo ratio est, cur Episcopo, qui in nulla Dogmata jocatus est, sed vitia quorundam hominum solummodò castigavit, adeò indignentur? Nulla alia, nisi quod Episcopus stylum adversùs ipsos strinxerit. Si pro iis scripisset, fuisset vir incomparabilis. Si Remonstrantes vel alios dissentientes oppugnasset, quamvis ejus calamus acerbitate ac amarore æquasset stylum multorum aliorum qui inter ipsos fuerunt, neminem offendisset. Sed cogitare nos oportet, nos non majus in alios jus habere, quàm alios in nos: quæ nobis concedi volumus, & aliis concedere nos oportere. Si ita nos geramus, in aliis Doctõribus non vituperabimus, quod in nostris laudamus, ac virtutem laudabimus, in quocumque tandem sit. Sed de hisce satis.

Ad hæcæ dotes accessit probitas summa, quæ <sup>Ejus</sup> <sub>probitas.</sub> omnibus exemplum fuit vitæ Christianæ: ac in primis maximus Dei timor, cujus hoc est clarum argumentum, quod ut puram & immaculatam conscientiam servaret, florente ætate, (quippe non plusquàm triginta sex annos natus)

munus suum , quo magna cum laude in Academia Leidensiungebatur , adimi sibi passus est , maluitque omnibus vitæ commodis carere , ac in exilium ire , & in regione peregrina inter ignotos oberrare , sine ulla verisimili in patriam umquam revertendi spe , quàm quidquam facere , quo gloria Dei. bonæque conscientia læderetur. Si porrò loquerer de ejus fortitudine , constantia , liberalitate , modestia , comitate & humanitate , & omnia narratione singularium ejus factorum confirmare vellem , latissimus mihi aperiretur campus. Uno verbo , vixit ut verum Christianum decet , qui fidem suam vitâ piâ confirmavit , qui in probitate usque ad finem , Dei gratia , perseveravit , ac sanctâ fiduciâ in Jesu Christo suo Servatore collocatâ , mortem fortiter exspectavit , nixus testimonio bonæ conscientia , fretusque expiatione Christi , & ejus intercessione , ac tandem spe plenus Deo fido Creatori animam suam commendavit ; pro certo habens eum in quem crediderat , & apud quem animam suam , ut pretiosum pignus , deposuit , eam usque ad supremum diem servare posse. Det nobis omnibus Deus , ut copiosam gratiam ei benignè præbitam agnoscamus & laudemus , Deo confidamus , & bonam semper conscientiam servantes , cum optimo viro resurrectionis justorum participes fiamus.

F I N I S.





# I N D E X

## Rerum præcipuarum.

### A

- A** *Academia* Leidenſis reformatio poſt ſolutam Synodum Dordracenam, 251
- Alcmariæ* diſſidia ſunt in Eccleſia. 18
- Alcmarian*: Episcopium ad Miniſterium Eccleſiaſticum vocant, ſed irritò ſucceſſu. 31
- Amſtelodamènſe* Synedrium ſe Episcopio valdè adverſum oſtendit. 17
- Rembertum Episcopium aliòſque Remonſtrantes excommunicat. 283-293
- Amſtelodamènſis* nauta Uitembogardum & Episcopium prodere ſtudet. 298
- Quando Remonſtrantes *Amſtelodami* primam poſt perſecutionem publicè habuerint concionem. 307
- Quo tempore ibi templum ipſorum ædificatum ſit. *ibid.*
- Anglus* quidam turbas movet in cœtu Remonſtrantium. 86
- Angli* Theologi judicant, Theologorum judicia oportere publicè in Synodo prælegi. 223
- Cupiunt aliquot duras quorundam Theologorum phraſes à Synodo damnari. 232
- Varia circa Canones Dordracenos non probant. 235
- Cenſuræ personali ſe immiſcere nolunt. *ibid.*
- Antonidis* (Henrici) Profeſſoris Franckerani col-  
quium

# I N D E X

quium cum Episcopo.	10
<i>Apologia</i> pro Confessione Remonstrantium ab Episcopo scripta.	306
Uitembogardi de ea iudicium.	<i>ibid.</i>
Contra eam Professores Leidenfes edunt Specimen calumniarum.	310
<i>Arminii</i> sententia de Prædestinatione.	6
Illius obitus.	11
<i>Arresto</i> detinentur Citati Remonstrantes Dordraci.	189, 191, 193, 205, 209, 227
B	
<b>B</b> <i>Alcanqualli</i> iudicium de dimissione Remonstrantium è Synodo Dordracena.	205
De acri contentione inter Sibrandum Lubbertum & Martinium.	216
De Sibrando & Gomaro.	222, 229
De modo concipiendi Canones in Synodo Dordracena.	228
De Præfide Bogermanno.	235
<i>Barlaeus</i> (Caspar) Remonstrantibus Dordraci in concinnandis Scriptis egregiam præstat operam.	209, 214
Removetur à munere Subregentis Collegii, & à Professione Logica.	251
<i>Batalerius</i> (Jacobus) Amstelodami coram Walonibus Remonstrantibus concionatur.	84
<i>Becius</i> (Joannes) adversatur vocationi Episcopi ad Ministerium.	25, 27
<i>Bergii</i> (Joannis) iudicium de actionibus Synodi Dordracenæ.	210
<i>Bleisvicum</i> Episcopus ad Ministerium Ecclesiasticum vocatur.	19
<i>Bodecherus</i> (Nicolaus)	294
<i>Bogermannus</i> (Joannes) Præfes Synodi Dordracenæ.	120
Episcopium ob Orationem in Synodo sine veniæ petitione habitam reprehendit.	167
	11-

## RERUM PRÆCIPUARUM.

Illius adversus Remonstrantes vehementia.	192
Censet Remonstrantes Synodo esse ejiciendos.	
	199
Acerbâ admodum Oratione eos dimittit.	204
Cum Gomaro & Lubberto contra Brementes conspirat.	220
A Legato Carletono per epistolam moderatiùs agere monetur.	222
Judicia Theologorum , non consultâ priùs Synodo, clam prælegi curat.	223
Solus Canones conflare incipit.	227
Quantam sibi auctoritatem arrögaverit.	228
Multùm spem omnium de se fefellit.	235
<i>Borrius</i> (Adrianus) auctor prolisioris explicatio- nis Cap. ix. ad Rom.	213
<i>Burmanni</i> (Francisci) testimonium de Episco- pio.	322
	<b>C</b>
<b>C</b> <i>Alovi</i> (Abrahami) judicium de Synodo Dordracena.	256
<i>Calovius</i> Episcopium à crimine Socinianismi pur- gat.	328
<i>Cameronis</i> sententia de libero arbitrio & gratiæ Divinæ operatione ab Episcopo refutata.	296
<i>Cameronis</i> defensio.	298
Illius refutatio ab Episcopo scripta.	300
Cur illa tunc non fuerit in lucem emissa.	302
<i>Camphusius</i> non probat Confessionem Remon- strantium.	278
<i>Canones</i> Synodi Dordracenæ concipiuntur.	227
De quibusdam in Synodo disputatur.	230
Præleguntur publicè in Templo.	236
<i>Cappelli</i> (Jacobi) judicium de Synodo Dordra- cena.	252
<i>Carletoni</i> Legati epistola de Remonstrantium è Synodo dimissione.	207
[ <i>Considerationes Remonstrantium in Cate- chis-</i>	

# I N D E X

<i>chisum</i> Synodo traduntur.	186
<i>Charentonenfis</i> Synodus.	293
<i>Citatoria</i> Litteræ , quibus aliqui Remonstrantium ad Synodum evocantur.	138
<i>Citati</i> Remonstrantes in Synodo comparent.	142
Adversus Synodum protestantur.	175
E Synodo dimittuntur.	204
Dordraci egredi vetantur.	189, 191, 205
Exigitur ut abstineant ab omni functione Ecclesiastica, quâ clam, quâ palam.	238
Petunt dimissionem ex sua detentione.	239
Decreto Ordinum in exsilium mittuntur.	241
Belgio educuntur.	247
<i>Classis</i> Alcmariana dissentientibus de Prædestinatione negotium facessit.	34
Ne in Classe Lugdunensi & Woerdana idem fiat, Ordines cavent.	36
<i>Classis</i> Rotterodamensis, post molestas & prolixas quorundam molitiones, Episcopium ad Ministerium Bleisvicense promovet.	21, 29
<i>Cloppenburgius</i> Episcopium Lutetiæ vidit.	53
<i>Coddæus</i> (Guilielmus) Hebrææ linguæ Professor suspensione muneris punitus.	252
<i>Collationi</i> Hagiensi adhibitus fuit Episcopus.	37
<i>Collatio</i> qualis Remonstrantibus in Synodo Dordracena concessa sit,	142
<i>Confessio</i> Belgica à Guidone de Bres conscripta, non ut esset fidei Canon.	32
Contentio de illius auctoritate.	<i>ibid.</i>
Eam revideri Ordines jubent.	33
Remonstrantium in <i>Confessionem</i> Belgicam considerationes Synodo traditæ.	184
<i>Confessio</i> Remonstrantium ab Episcopis cripta.	277
Censuram in illam scribunt Professores Leidenses.	303
Apologiam pro ea edit Episcopus.	306
	<i>Con-</i>

## RERUM PRÆCIPUARUM.

- Conspiratio* contra Principem Mauritium falsò  
imputata Remonstrantibus. 282
- Contra-Remonstrantes* schisma in Ecclesiis Belgicis  
promovere cupiunt. 81, 112
- Cur non possint esse Judices Remonstran-  
tium. 172
- Eorum libelli supplices in oppressionem Re-  
monstrantium. 305
- Corvinus* ( Joannes Arnoldi ) citatus ad Syno-  
dum Dordracenam. 140
- Costeri* ( Samuelis ) Medici Amstelodamensis di-  
cterium in excommunicationem decem Re-  
monstrantium à Synedrio Amstelodamensi in-  
stitutam. 293
- Crocii* ( Ludovici ) iudicium de Remonstrantium  
è Synodo dimissione. 206
- Ipie à Sculteto & Gomaro heterodoxias ac-  
cusatur. 217, 218
- Illius patientia. 221
- Contra Episcopium in Synodo differit , qui  
ad illum epistolam mittit. 227
- Cupus* ( Petrus ) è carcere Lupisteinensi evadit.  
310
- Curatores* Academiæ Leidensis coram se audiunt  
disceptantes Episcopium & Festum Hom-  
mium. 55. & seqq.
- Episcopo testimonium concedunt contra Fe-  
sti accusationes. 68
- Denuò utrumque coram se audiunt. 69. & seqq.
- Curatoribus* Academiæ Leidensis aliqui è cœtu  
Ordinum adjuncti , qui post habitam Syno-  
dum Dordracenam Academiam reforment.  
251
- Curia* Hollandiæ memorabile Decretum contra  
cœtus religiosos Remonstrantium. 265
- Curcellæus* ( Stephanus. ) Quid cum eo egerit Sy-  
nodus Carentoniensis. 294

# I N D E X

<b>D</b> <i>Ammannus</i> (Sebastianus) Scriba Synodi Dordracenæ.	120
<i>Davenantius.</i>	212, 223, 229
<i>Deodatus.</i>	144
<i>Directores</i> Societatis Remonstrantium constituti.	263
<i>Dolotius</i> (Carolus.) Ejus de Synodo Dordracena judicium.	300
<i>Dominicani</i> Remonstrantibus inimici.	260
<i>Dordracena</i> Synodus. Vide <i>Synodus Nationalis.</i>	
<i>Drusius</i> (Joannes.)	8
<i>Dwinglo</i> (Bernardus.)	140, 248

## E

<b>E</b> Dicta contra cœtus religiosos Remonstrantium.	240, 265
<i>Episcopus</i> (Simon) quando & ex quibus parentibus fit natus.	2
Ejus prima juvenus & educatio.	3
Promovetur Magister Artium.	4
Tradit se totum studio Theologico.	<i>ibid.</i>
Quibusdam minùs est gratus, quia Arminio adhæret.	7
Concedit Franekeram, & disputat cum Sibrando Lubberti.	8
Colloquitur cum Professore Henrico Antonide.	10
Invisit Arminium ægrotantem.	11
Franekeræ ex levi causa suspectus redditur Socinianismi.	<i>ibid.</i>
Quidam eum ex Academia Franekerana expellere student.	12
Aliæ ipsius cum Sibrando disputationes, Sibrandique contra Episcopium vehementia.	14, 15
Episcopus à Synedrio Amstelodamensi reprehensus, quòd absque nova testimonii exhi-	

## RERUM PRÆCIPUARUM.

exhibitione ad cœnam accesserit.	17
Rogatur ut Alcmariæ Concionem habeat.	18
Vocatur Bleisvicum.	19
Post aliquot Ministrorum Amstelodamensium obstacula, à Magistratu obtinet approbatio- nem.	20
Magna de eius vocatione contentio in Classe Rotterodamensi.	21-29
Examen ipsius perficitur.	29
Quidam ex Classe contra eius vocationem protestantur.	30
Ab Ecclesia Alcmariana ad Ministerium ordi- narium vocatur.	31
Adhibetur in Collatione Hagienfi.	37
Et in contentionibus Rotterodamensibus.	39
Vocatur Trajectum.	40
Et ad professionem Theologicam in Academia Leidenfi.	<i>ibid.</i>
Suspectus redditur Socinianismi à quodam Gallo studioso.	43
Colloquium ipsius cum aliquot Flandris.	44
Assistit Amstelodami baptismo infantis fratris sui, & quæ inde turbæ ortæ.	45-50
Incipit explicationem suam in 1. Epist. Joan- nis.	51
Ministerio Ecclesiastico Magistratus Leidenfis eum adhibere cupit.	52
Proficiscitur Lutetiam : eâ occasione falsi de ipso rumores sparsi.	53
Contentio ipsius cum Festo Hommio coram Curatoribus Leidenfis Academiae.	55
Altera ipsius cum Festo coram Curatoribus disceptatio.	69
Quomodo Episcopi cum Polyandro vixe- rit.	79
Quid egerit in causa Venatoris.	105.108
Illius cum Principe Mauritio colloquium.	110,

# I N D E X

Explicationem Matthæi inchoat.	112
Concionatur Hagæ, & falsò ad Ordines Hollandiæ defertur.	113
Testimonium à Synedrio Hagiensi ipsi perhibitum.	<i>ibid.</i>
Ab Ordinibus per Epistolam ad Synodum Dordracenam vocatur.	118
Oratione valdè patheticâ Academiæ Leidensi valedicit.	121
Orationem habet in Synodo Dordracena.	145
A Politicis Deputatis de illa Oratione interrogatur.	169
Falsi rumores occasione hujus Orationis de ipso sparsi.	<i>ibid.</i>
A Synodi Præsidi mendacii accusatur, & contra eum se defendit.	170, 177
Ipsius sermones cum Præsidi de libertate sententiam suam defendendi Remonstrantibus concedenda.	180
Alterum ipsi impingere cupiunt mendacium.	200.
Respondet acerbæ Præsidis dimissioni.	204
Epistolam scribit ad Crocium.	227
Quid responderit ad iudicium Synodi de Remonstrantibus.	237
Responsum ipsius ad Decretum Ordinum, quo Remonstrantes Citati in exilium mittuntur.	243
Imperialis cum singulari caractere & inscriptione ipsi datus cùm in exilium mitteretur.	246
Valevicum cum aliis Citatis deportatur.	248
Valevici Episcopum Silvæducentem compellat, & ab eo ad convivium vocatur.	259
Antwerpiam venit.	262
Conscribit Confessionem Remonstrantium.	



## RERUM PRÆCIPUARUM.

Colloquia ejus cum Jesuita Waddingo.	279
Coloniam tendit: redit in Brabantiam, inde abit in Galliam.	280
Scribit de Munere Magistratûs, & in quædam Capita Epist. ad Rom.	281
Refellit excommunicationem contra aliquot Remonstrantes institutam.	293
Scribit contra Jac. Cappellum, & Nic. Bode- cherum.	294
Et de libero arbitrio.	295
Et contra Cameronem.	296
Cum Uitembogardo Holsatiam petere cu- piens, ab Amstelodamensi nauta fermè fuiſſet proditus.	298
Refellit defensionem Cameronis.	300
Quare id responſum tunc non fuerit impres- ſum.	302
Revertitur in Hollandiam.	303
Judicium ſuum edit de controverſia quadam inter Mennonitas.	305
Scribit contra Walæum, aliòſque tractatus pro libero Religionis exercitio.	<i>ibid.</i>
Et Apologiam pro Confessione Remonstran- tium.	306
Amſtelodami primam in ipſorum Templo ha- bet Concionem.	308
Uxorem ducit.	<i>ibid.</i>
Destinatur ut Remonstrantium Seminario præſit.	313
Scribit Conciones ſuas in Matth. Cap. V.	314
Refellit Vedelium, Bommiùm Triglandium.	<i>ib.</i>
Domicilium, ſigit Amſtelodami.	316
Componit Inſtitutionem Theologicam.	<i>ibid.</i>
Et Conciones in Joan. xvii. 3.	317
Incidit in gravem morbum.	318
Reſpondet ad decem dilemmata Pontificior.	<i>ib.</i>
Amittit uxorem ſuam.	319
	Scribit

# I N D E X

Scribit contra Heidanum.	<i>ibid.</i>
Illius obitus.	320
Uitembogardi de ipso testimonium.	<i>ibid.</i>
Testimonia variorum de ipsius ingenio & eruditione.	321
Acumen ejus in tractanda Theologia.	323
Quid senserit de lectione Patrum & Historiarum Ecclesiasticarum.	324
Ipsius pacis studium.	326
Vindicatur à Socinianismo.	328
Etiam testimonio Calovii.	<i>ibid.</i>
Ipsius moderatio & comitas.	330
Occurritur accusationi, quod quandoque stylo aciori scripserit.	331
Et quandoque sarcasmis utatur.	333
Ipsius pietas.	335
<i>Excommunicatio</i> decem Remonstrantium Amstelodami, & ejus formula.	291
F	
<b>F</b> <i>Aukelius</i> (Hermannus.)	120
<i>Festus</i> Hommius.	28
Gratulatur Episcopo Professionem Theolog.	41
Ejus contentio cum Episcopo coram Curatoribus Academix Leidensis.	55
Altera contentio.	69
Edit Specimen controversiarum Belgicarum.	119
Judicium Episcopi de Festo Hommio.	77
Est Scriba Synodi Dordracenæ.	120
Surrogatur in locum Vossii.	251
<i>Fides</i> in negotio justificationis quomodo consideranda.	13, 14
<i>Franckeræ</i> Episcopus disputat cum Sibrando Lubberto.	8, 9, 14, 15

## G

<b>G</b> <i>Edennis</i> à Boetselaer Legati Ordinum in Gallia testimonium Episcopo perhibitum.	<i>Geeste.</i>
53	

## RERUM PRÆCIPUARUM.

<i>Geesteranus</i> (Arnoldus.)	310
<i>Geesteranus</i> (Joannes.)	278
<i>Geselius.</i>	39
<i>Goadus</i> ex Anglia ad Synodum Dordracenam missus.	222
Componit Catalogum durarum phrasium, à Synodo, judicio Anglorum, rejiciendarum.	232
<i>Goclenius.</i>	216, 217
<i>Gomari</i> sententia de Prædestinatione.	5
Episcopii judicium de Gomaro, comparato cum Lubberto.	9
<i>Gomari</i> contentio cum Martinio in Synodo Dor- dracena.	211, 219
Ejus excandescencia.	212, 222, 229.
<i>Gosvinius</i> (Thomas.)	140
<i>Goulartius</i> (Simon.)	84
<i>Grevinchovius</i> (Nicolaus.)	39, 137, 143, 239, 263, 280
<i>Grotenhufus</i> Prætor Amstelodamensis, benignè agit cum Remberto Episcopo.	274, 275, 276
<i>Grotius</i> (Hugo) in carcerem coniectus.	116
Auctor est Episcopo, ut scribat contra Les- sum.	281
Judicium ejus de Scripto Episcopii contra Cameronem.	301
De Remberto Episcopo.	303
Gratulatur Episcopo nuptias.	309
Testimonium ejus de Episcopo defuncto.	320
<i>Guido</i> de Bres Auctor Confessionis Belgicæ.	32
H	
<b>H</b> <i>Aberkornus</i> (Petrus.)	256
<i>Hagienfis</i> Collatio.	37
<i>Halesii</i> (Joannis) testimonium de Episcopo.	179
Judicium de Remonstrantium è Synodo di- missione.	207
<i>Hallius</i> Minister Amstelodamensis.	47
	<i>Ham-</i>

# I N D E X

<i>Hamburgensis</i> nautæ fidelitas erga Uitembogardum & Episcopium.	298
<i>Hermannus</i> Tholingius.	93
<i>Heidani</i> (Caspari) actio cum Episcopo, super baptismo infantis fratris Episcopii.	45, 46
<i>Heidanus</i> (Abrahamus) ab Episcopo refutatus.	319
Testimonium ejus de Calvino.	332
Et de Episcopo.	322
<i>Heinsius</i> (Daniel) sermonem habet cum Episcopo.	79
Est Secretarius Politicorum in Dordracena Synodo.	169, 173
Edit quamdam epistolam Episcopii.	266
<i>Hellenii</i> (Cornelii) contentio cum A. Venatore.	18
<i>De Historiis Ecclesiasticis</i> quid senserit Episcopus.	324
<i>Hollingerus</i> (Henricus.)	140, 204
<i>Honardus</i> Senator ad Synodum Dordracenam deputatus.	197
<i>Hoornbeekii</i> iniquum de Episcopo iudicium refutatum.	51
<i>Hugo</i> Grotius. Vide <i>Grotius</i> .	
<i>Hugo</i> Muis ab Holy.	197, 245
<i>Hulfemannus</i> .	256
<i>Hunnii</i> (Nicolai) de Synodo Dordracena iudicium.	254, 255, 256
<i>Huttenus</i> (Albertus.)	14, 16

## I

<b>I</b> <i>Acchæus</i> (Gilbertus) Philosophiæ Professor, suspensione muneris punitus.	252
<i>Jacobus</i> Laurentius Realius.	88, 291
<i>Jacobus</i> Roelandus.	23, 120
Ejus sermones cum Remberto Episcopo antiquam is excommunicaretur.	284
<i>Jacobus</i> Triglandius. Vide <i>Triglandius</i> .	
<i>Joannes</i> Egberti Episcopus, frater Simonis Episcopi.	

## RERUM PRÆCIPUARUM.

Episcopii	23
A plebe Amstelodamensi malè habetur.	88
Ægrè domum suam tutatur ne diripiatur.	98
Verba ejus ad Urfinum.	284
Et ad Adrianum Smoutium.	291
Excommunicatio illius.	<i>ibid.</i>
<i>Jesuitæ</i> . Calumniæ de Episcopo sparsæ, quòd cum <i>Jesuitis</i> sentiat.	<i>item p. 289.</i> 44
Et cum <i>Jesuitis</i> conspiret.	<i>p. 279.</i> 53
<i>Imperialis</i> singulari caractere & inscriptione Episcopo datus cum in exsilium pelleretur.	246
<i>Joannes Bogermannus</i> . Vide <i>Bogermannus</i> .	
<i>Joannes Polyander</i> . Vide <i>Polyander</i> .	
<i>Joannes Uitembogardus</i> . Vide <i>Uitembogardus</i> .	
<i>Isaacus</i> Frederici in exsilium mittitur.	243
Amstelodami clam concionatur.	267
<i>Justus</i> Brasserus.	42
Excommunicatur.	291

### L

<b>L</b> <i>Andasensis</i> Episcopus.	212, 219, 222
<i>Leidenses</i> Professores edunt Censuram in Confessionem Remonstrantium.	303
Et Specimen calumniarum contra ipsorum Apologiam.	310
<i>Leo</i> (Hendricus) citatur ad Synodum Dordracenam.	140
Unus ex omnibus Citatis se promisso silentii obstringit.	239, 240
Ex <i>Lupisteinensi</i> carcere evadunt captivi concionatores Remonstrantes.	310

### M

<b>M</b> <i>Abillonii</i> egregium de Episcopo testimonium.	322
<i>Maria</i> Pessera nubit Episcopo.	308
Illius obitus.	318
<i>Martinii</i> (Matthiæ) contentio in Synodo cum Gomaro.	211, 219
Cum	

# I N D E X

Cum Sibrando Lubberti.	215, 217
Judicium ejus de actionibus Synodi Dordracenæ.	223
<i>Martinus</i> Gregorii Deputatus Politicus ad Synodum Dordracenam.	194, 199
<i>Matthæus</i> (Assuerus.)	140, 243, 282
<i>Mauritius</i> Princeps loquitur cum Episcopo.	111
Conspiratio contra ipsum suscepta.	282
<i>Mercerius</i> (Edmundus.)	297
<i>Meursius</i> (Joannes) Græcæ linguæ Professor acri censurâ notatus.	252
<i>Molinæi</i> (Petri) testimonium pro Episcopo contra falsos rumores de ipso sparsos.	55
Illius stylus sarcasticus.	335
<i>Molinæi</i> (Ludovici) de Synodo Dordracena judicium.	257
<i>Montanus</i> (Hermannus.)	307

## N

<b>N</b> <i>Æranus</i> (Samuel.)	204, 243
<i>Niellius</i> (Carolus.)	140, 172, 174, 195, 204, 213, 258
Sermones ejus cum milite quodam in Arce Lupisteinensi.	311
Quàm agrè disponi potuerit, ut cum reliquis ex Arce illa evadat.	<i>ibid.</i>

## O

<b>O</b> <i>Ratio</i> Episcopi quâ Academiæ valedicit.	121
Ejus <i>Oratio</i> habita in Synodo.	145
Varii de ea rumores sparsi.	169
<i>Ordines</i> Hollandiæ mandant revideri Confessionem & Catechismum.	33
Edunt Decretum pro pace Ecclesiarum.	39, 51
Petunt Professorum Leidensium judicium de libello Venatoris.	105
Malunt viam concordiæ iniri, quàm controversiam decidi auctoritate Synodali.	114
Contentiones Politicæ inter <i>Ordines</i> Hollandiæ	

## RERUM PRÆCIPUARUM.

& Principem Mauritium.	115
Ipsis invitis Synodus indicitur nomine Ordinum Generalium.	116
Per epistolam vocant Remonstrantes ad Synodos Provinciales.	117
Et Episcopium ad Synodum Nationalem.	118
<i>Oudsboorn</i> Consul Amstelodamensis, amicus Rem- berti Episcopii.	274
P	
<b>P</b> istor Valevici in concione sua invehitur in Re- monstrantes.	260
De <i>Patribus</i> quid Episcopus senserit.	324
<i>Pavius</i> (Reinerus) Consul Amstelodamensis, quibus- dam Remonstrantibus durum dat responsum. 89. 90	
Ingreditur Remberti Episcopii domum postquam jam spoliata erat.	102
Acerbè alloquitur Ministros Remonstrantes cum in exsilium essent mittendi.	245
<i>Pestis</i> Amstelodami.	3, 4
<i>Philippus</i> Pynakkerus.	140
<i>Petrus</i> Matthiæ Scabinus Amstelodamensis.	100
<i>Plancius</i> (Petrus) cum Episcopo convivio interesse recusat.	42
Multa de ipso falsa disseminat.	44, 53
Baptizat infantem generi Uitembogardi, & quid circa baptismum illum contigerit.	45, 48
<i>Ploosius</i> .	246
<i>Polyandri</i> (Joannis) judicium de vocatione Episcopii ad professionem Theologicam.	41
Quomodo Episcopus cum ipso vixerit. 78, 79, 80	
<i>Polyander</i> (Joannes) Minister inter Remonstrantes Alcmarix.	321
<i>Poppius</i> (Eduardus.)	310
De <i>Prædestinatione</i> status quæstionis inter Gomarum & Arminium.	5
<i>Præostius</i> (Bartholomæus.)	273
<i>Pripkovius</i> (Samuel) auctor libelli de pace & con- cordia Ecclesiæ.	309
	Pre-
Z	

# I N D E X

<i>Professores</i> Leidenses agunt cum Adolpho Venatore.	105, 106
Consuluntur ab Ordinibus de conficiendo Edicto.	108
<i>Protestatio</i> quorundam è Classe Rotterodam. contra vocationem Episcopii in Ecclesia Bleisvicensi.	30
<i>Protestatio</i> Remonstrantium Citatorum contra Synodum Dordracenam.	175
Et contra Decretum Ordinum quo in exilium sunt missi.	243
<i>Provinciales</i> Theologi post Exterorum discessum actiones Synodales continuant.	249
<i>Provinciales</i> Synodi habitæ ante Synodum Dordracenam, quomodo cum Remonstrantibus egerint.	118, 119
Quomodo finitâ Synodo Remonstrantes exauctoraverint.	250

## R

<b>R</b> <i>Embertus</i> Episcopus Simonis Episcopii frater.	3
A plebe malè tractatur.	88
Domus ipsius diripitur: exacta direptionis illius narratio.	91-103
Ipsi sacra Cœna interdicitur.	104
In Curiam ob epistolam quamdam à Magistratu Amstelodamensi vocatur.	267
Se occultat & uxor ejus in Curiam venire jubetur.	268
Duo Scabini tablinum ejus perscrutantur.	269
Ipse Edicto sonante campanâ citatur.	270
Quorundam Jurisconsultorum consilium de hac citatione.	271
Ipse se contra hanc citationem defendit.	272
Contendit Antwerpiam atque inde in Galliam.	273
Redit Amstelodamum, & comparet in Curia.	274
Deputati Ecclesiastici eum accedunt.	283
Citatur ut coram Synedrio compareat.	284
Eum in finem aliqui è Synedrio ad ipsum deputantur.	286

Excom-



RERUM PRÆCIPUARUM.

Excommunicatur.	291
Ejus mors, & Grotii de eo iudicium.	303
<i>Remonstrantes</i> denominati à Remonstrantia. Quâ occasione illa Ordinibus sit oblata.	31
Quid in ea ab Ordinibus petant.	35
Judicium ipsorum de sopiendis controversiis.	38
Decreto Ordinum pro pace Ecclesiarum se morigeros præbent.	52
Exhibent Ordinibus alterum libellum supplicem.	83
Quid ipsos impulerit ad conventus separatos Amstelodami habendos.	84
Illorum cœtus Amstelodami prohibiti.	103
Vocantur ad Synodos Provinciales.	117
Quomodo in Synodis Provincialibus cum ipsis actum sit.	119
Negatur ipsis potestas aliquos è suis quos velent ad Synodum mittendi.	135
Litteris ad Synodum citantur.	138
In Synodo comparent.	142
Qualis ipsis collatio concedatur.	143
Salutant Exteros Theologos in ipsorum ædibus. <i>ib.</i>	
Prælegunt scriptum in Synodo, & Contra-Remonstrantes causæ suæ Judices agnoscere recusant.	171
Propter id à Synodo castigantur, seque contra eam defendunt.	173
Protestantur contra Synodum, & Decreto Delegatorum respondent.	175
Contendunt cum Præside de modo agendi.	180
Exhibent sententiam suam de primo articulo.	181
Vetantur loqui de Reprobatione.	182
Tradunt considerationes suas in confessionem.	184
Et in Catechesin.	186
Ipsis à Synodo negatur potestas sententiam suam defendendi quantum necessarium iudicabunt, & contrariam refutandi.	186, 187
Hanc sibi deberi libertatem scripto tuentur.	188
Vetantur Dordraco egredi.	189, 193, 205, 209,

# I N D E X

Oblatio Remonstrantium scripto comprehensa.	191
Politicis Scriptum exhibent in quo rationibus probant se per conscientiam non posse mandato Synodi parere.	192
Prælegitur ipsis Ordinum Generalium Decretum.	193
Demonstrant se nulla effugia quærere.	194
Aliam oblationem Synodo exhibent.	196
Disceptatio satis prolixa de libertate ipsis concedenda.	196, 197, &c.
Quid inter Delegatos & Remonstrantes actum sit.	201
Synodus decrevit Remonstrantes ejiciendos.	202
A Præside acerbâ Oratione dimittuntur.	204
Scriptum ad Synodum mittunt, quo acerbæ Præsidis dimissioni respondent.	208
Tradunt defensionem sententiæ suæ de primo articulo: & postea de aliis.	213, 214, 226
Judicium Synodi de ipsorum personis ipsis prælegitur.	236
Exigitur ab ipsis, ut ab omni etiam privata functione Ecclesiastica abstineant.	238
Petunt dimissionem è sua detentione.	239
Hagam venire jubentur, ipsisque actus cessationis ab omni functione Ecclesiastica exhibetur.	240
Quia illi subscribere recusant in exilium mittuntur Decreto Ordinum.	241
Protestatio ipsorum contra hoc Decretum.	243
Belgio educuntur.	247
Eorum cætus religiosi vetantur.	240, 265
Erigunt Societatem, & tres in ea Directores constituunt.	263
Edunt Acta sua Synodalia.	264
Cætus illorum magnâ savitiâ turbantur.	265, 266
Confessionem fidei edere decernunt.	277
Conspiratio contra Principem Mauritium falso ipsis imputatur.	282
	Ma-

## RERUM PRÆCIPUARUM.

Majore incipiunt frui libertate, & nonnumquam Amstelodami Conciones habent.	307
Accufationes contra ipfos ex Apologia institutæ ab Epifcopio diluuntur.	310
Erigunt Seminarium.	313
Dogma de mutua tolerantia, præ omnibus aliis ipforum dogmatibus, ipforum Societatem commendabilem facit.	326
Sententia ipforum de fatisfactione Chrifti.	329
<i>Rykwardus</i> (Theophilus.)	140
<i>Rivetus</i> Leidam ad Profefionem Theologicam vo- catus.	251
Ab Epifcopio laudatus.	322
<i>Ruardus</i> Acronius opponit fe vocationi Epifcopii ad Ecclefiam Bleifvicenfem.	215, 0
<i>Ruarus</i> (Martinus.)	329
<b>S</b>	
<b>S</b> <i>Apma</i> (Dominicus.)	140
<i>Scholastica</i> Theologia.	123, 126
<i>Scultetus</i> (Abrahamus.)	43, 191, 202
Contra Martinium & Crocium in Synodo acrem habet invectivam.	218
<i>Seminarium</i> Remonftrantium erectum.	313
<i>Sententia</i> Synodi Dordracenæ in Citatos Remou- ftrantes.	236
Ordinum General. quâ in exilium mittuntur.	241
<i>Sibrandus</i> Lubbertus Profeflor Franequeranus di- fputat cum Epifcopio.	9
Epifcopii de illo judicium.	<i>ib d.</i>
Epifcopium Academia Franequeranâ expellere ftudet.	12
Alia illius difputationes cum Epifcopio.	14, 15
Ipfius contentio cum Martino in Synodo Dor- dracena.	215, 217, 222
Ipfius invectivæ in Theologos Anglos.	209
<i>Simon</i> Epifcopius. Vide <i>Epifcopius</i> .	
<i>Slichtingius</i> (Jonas.)	329
<i>Smoutii</i> (Adriani) verba infulfa ad J. Epifcopium.	290

I N D E X

<i>Societas Remonstrantium erecta.</i>	263
<i>Socinianismi</i> Episcopus immeritò infimulatus.	11, 43, 55, 328
<i>Stochius</i> (Paulus) Leidæ in carcerem coniectus.	266
<i>Studiosi</i> Franequeræ coram Academia Curatoribus de variis interrogantur.	13
<i>Swalmius</i> (Eleasar.)	21, 30, 286
<i>Synodi</i> Provinciales. Vide <i>Provinciales</i> Synodi.	
<i>Synodi</i> Nationales cur pluribus annis nullæ sint ha- bitæ.	33
<i>Synodus</i> Nationalis Dordracum convocata.	117
Ejus initium.	120
Illius modus procedendi cum Remonstrantibus.	142, &c.
Clam convenit non admittis ullis auditoribus.	210
Concipit Canones, & contentio de illorum con- cipiendorum modo.	227, &c.
Aliquot duras phrasas ab Anglis ipsi exhibitas damnare recusat.	232
Censura ipsius in Citatos.	236
<i>Synodus</i> Alesiana & Charentonensis.	294

T

<b>T</b> <i>Hyfius</i> (Antonius.)	220
Vocatur ad Professionem Leidensem.	251
<i>Tileni</i> (Danielis) iudicium de Scripto Episcopii con- tra Cameronem.	301
<i>Tolerantia</i> mutua decreta ab Ordinibus Hollandiæ.	39-51
Fundamentum mutuæ, quæ à Remonstrantibus defenditur, Tolerantiæ.	326
<i>Triglandius</i> (Jacob.) contentionem inter Episcopium & Festum Hommum, non ut gesta est, refert.	77
Illius liber de vera Religione ab Episcopo refuta- tus.	315
<i>Twiffus</i> (Guilielmus.)	316

V

<b>V</b> <i>E delirus</i> (Nicolaus) ab Episcopo refutatus.	314
Accusat Episcopium Socinianismi.	328
	<i>Ve-</i>

RERUM PRÆCIPUARUM.

<i>Venator</i> (Adolphus.)	18
Professorum Leidenſium de quodam Venatoris libello iudicium.	105
Illius cum Profeſſoribus colloquium coram duobus Ordinum Deputatis.	106
<i>Veselinus</i> (Bernherus.)	140, 241
<i>Uitembogardus</i> (Joannes) adest baptiſmo infantis privigni ſui, & à Plancio captioſè interrogatur.	45
Hortatur Episcopium, ut ſe Dordracò ſubducatur.	239
Fermè proditus erat à nauta Amſtelodam.	298
Ejuſepiſtola ad Episcopium è Gallia abeuntem.	304
Reditus ejus in Hollandiam.	<i>ibid.</i>
Judicium ejus de Apologia pro Confefſione Remonſtrantium.	306
Verba quæ de Episcopio conſpecto ipſius cadavere elocutus eſt.	320
Teſtimonium ejus de eruditione Episcopii.	321
<i>Voetius</i> (Gisbertus.)	328
<i>Vorſius</i> (Conradus) à Synodo damnatur.	236
<i>Voffius</i> (Gerardus) munus ſuum arbitrio Curatorum reſignat.	251.
Eſt in Illuſtri Schola Amſtelodamendiſi Hiſtoriarum Profeſſor.	313
<i>Urſinus</i> (Joannes) Miniſter Amſtelodamendiſis.	17. 20
Rembertum Episcopium, ejusque uxorem accedit.	283

W

<b>W</b> <i>Addingi</i> colloquia cum Episcopio.	279
<i>Walaus</i> (Antonius) ad Profeſſionem Theologicam in Academia Leidenſi vocatus.	251
Ab Episcopio reſutatus.	305
<i>Wardus</i> (Samuel) ſentit Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum.	212
<i>Wittenbergenſium</i> Theologorum iudicium de Synodo Dordracena.	253

# E R R A T A.

**P** Ag. 23. lin. penult. nec *lege* nec cum. pag. 28. lin.  
 12. mittendo. *lege* mittendos. p. 42. l. 16. erat. *lege*  
 opus erat. p. 44. l. 29. illi. *l.* illis. p. 45. l. 9. consuetu-  
 dinemque. *l.* & juxta consuetudinem. p. 48. l. 4. Ac.  
*l.* Ad. p. 82. l. 31. missus est. *l.* missi sunt. p. 92. l. 31. lace-  
 raretur. *l.* laderetur. p. 93. l. 19. eos. *l.* nos. p. 97. l. 8.  
 id. *l.* eam. p. 103. l. 24. ducatonum. *l.* ducentorum.  
*ibid.* l. 35. à *l.* è. p. 113. *l.* penult. *dele*, ordinis. p. 114.  
 l. 29. CIOIOCXVII. *l.* CIOIOCXVII. p. 116. l. 2. ne-  
 gântque *l.* non. p. 121. *l.* penult. at. *l.* ac. p. 124. l. 13.  
 efficere. *l.* afficere. p. 132. l. 34 quod. *l.* quos. p. 135.  
 l. 20. à ut *l.* ut à. p. 137. l. 31. ad rem se accinxit. *l.* ne-  
 cessitati cessit. p. 141. l. 14. Reformatorum. *l.* è Refor-  
 matorum. p. 142. l. 31. Bogermannus Synodo. *l.* Bo-  
 germannus: Synodo. p. 149. l. 26. quâ. *l.* suâ. p. 155.  
 l. 14. ac Jacobo Andrea. *l.* Jacobo Andrea. p. 160. l.  
 15. agit. *l.* ait p. 166. l. 29. innocentiam aut: illâ. *l.* in-  
 nocentiam: aut illâ. p. 183. l. 24. paratam eam. *l.* pa-  
 ratas eas. p. 187. l. 25. peteremûne. *l.* pateremûrne.  
 p. 195. l. 23. prælegi. *l.* prælecti. p. 204. l. 33. vocare.  
*l.* provocare. p. 210. l. 21. missus. *l.* destinatus. p. 211.  
 l. 4. exisse. *l.* exesse. p. 238. l. 16. promulgaretur. *l.* ede-  
 retur. p. 247. l. 7. alloquutione ultima. *l.* solutione ul-  
 timæ pecuniæ. p. 248. l. 24. Bombergius. *l.* Tomber-  
 gius. *ibid.* l. ult. Provincialibus. *l.* à Provincialibus.  
 p. 252. l. 33. Arminiani. *l.* Arminii. p. 254. l. 28. Hum-  
 mius. *l.* Hunnius. p. 256. l. 31. &. *l.* eò. p. 268. l. 14.  
 minimis. *l.* maximis. p. 269. l. 24. Senatoribus. *l.* Scabi-  
 nis. p. 271. l. 18. *dele* re. p. 272. l. 29. Senatorem. *l.* Sca-  
 binum. p. 275. l. 34. Prætor. *l.* Prætor respondit. p. 284. l.  
 19. facientes. *l.* faciatis. p. 295. l. 6. id. *l.* cum. p. 307. l.  
 19. platea. *l.* fossa. p. 311. l. 28. in terra. *l.* internâ. p.  
 317. l. 8. fratres. *l.* ut fratres. *ibid.* l. 35. id. *l.* eum. p. 324.  
 l. 1. conjicias. *l.* conjicias oculos. p. 330. l. 18. *dele*, vel.  
 p. 332. l. 14. eis. *l.* eo. *ibid.* l. 18. *dele*, ab. *ibid.* l. 33.  
 Calviniani. *l.* Calvini.







H.

